This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ital 4415.1


HARVARD UNIVERSITY LIBRARY
VE RI
TAS
FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT
MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST
MDCCCC
GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE

UCHBINDEREI

DE ECCLESIIS
RECANATENSI ET LAURETANA
EARUMQUE EPISCOPIS

COMMENTARIUS HISTORICUS

JOSEPHI ANTONII VOGEL

S. THEOLOG. LICENTIATI

CANONICI OLIM RECANATENSIS

Vol. II.

RECINETI
EX TYPOGRAPHIA LEONARDI BADALONI
1859

~~R5272~~
Ita 14415.1

[illegible] Library,
[illegible]
[illegible]
A. C. [illegible]GE,
Jan. 2[illegible], 19[illegible]2.

APPENDIX MONUMENTORUM

APPENDIX MONUMENTORUM

I.

Archiv. Eccl. Cathedr. S. Severini lib. A. N.º 230.

1151. Mense Junio.

In Dei nomine, anni sunt ab Incarnatione Domini Mill. Centi quinquagesi primo e die mensis junio Indic. I. I. I. X. Ego Alberto Agelo propria mea bona voluntate cogitante me de Dei omnipotentis . . . . . et remedium anni . . mee et de genitore meo et de genetrice mea et de omnibus parentibus nostris vevis atque defuntis in illa advenientis diem tremendi juditii quando venturus erit dominus ut a domino mercedem accipere mereamur ante Tribunal Christi pro ideo donamus et tradimus in *ecclesia sancto Johannes evangelista* qui situm est *in fundo Monte Vulpi* qui *Racanati* vocatur et in te *Donno Alberto* priore et in tuis subcessoribus ad possidendum in perpetuum in fundo *Campo retundo* territorio humanato Aux. constituto id est terra la medietate de ipso campo de ipso predicto Alberto cum omnibus infra se abentibus in integrum quia nulla reservatione non fazio de ipsa medietate de ipso campo conrent. a primo latere terra de Morico de Acto Vitale, et a secundo latere via currente, et a tercio latere de *Johanne sturracici,* et a quarto latere terra Massarelli, et insuper dono in praedicta Ecclesia in fundo *Rigo de Mazera* id est terra una pectia cum omnibus infra se abentibus in integrum coñre ius (currentiae ejus) a primo latere Rigo, et a secundo terra Johannes Caltiato, et a tertio latere de predicta ecclesia et a quarto latere terra de Petrucctio

de bona; et insuper dono in fundo *Asanello* id est terra una pectia cum omnibus infra se abenti in integrum. corr. ejus a primo latere Rigo et a secundo latere terra de filiis de Acto Martino, et a tertio via, et a quarto latere terra de Johanne buccanigra; et insuper dono in alio loco in fundo *Monte vulpi* qui *Racanati* vocatur id est terra quarta parte de uno stario cum omnibus infra se habentibus in integrum, corr. ejus a duobus lateribus terra de predicta ecclesia, et a tertio latere terra . . . . . .

Reliqua deficiunt quia charta hic abscissa est.

II.

Archiv. Capitul. S. Severini libr. A. N.° 380.

1162. mense Junio.

In nomine domini anni Mille. C. sexagemo secundo et die mense junius et indictione X. Ego quidem in dei nomine Paganus et Ugo filii quondam Johannes de Alimano filio quondam Acto per ehc cartula donatione donamus et tradimus et concedimus tibi Donnus Acto presbiter de ecclesia *beato sancto Johannes de pertica* id est de la nostra res in fundo *tiatiano* cum suis vocabulis infra territorio umanensi in comitato Auximi. CC. ejus a primo latera et a secundo et a tertio latere terra sancto Johannes et a quarto filii dicti donatori abeas duo starie de terra cum omnia infra se abente in integrum. ita die presente abeas teneas et facias quidquid sibi placuerit dare. Item nos donatori item nostris eredibus stare et defensare promittimus quod si defendere noluerimus aut non potuerimus aut minime observaverimus dicta quae superius legitur daturi nos promittimus dicti donatori vel nostris eredibus dare tibi donnus Acto vel cui dare vel cui derelinquere volueris pena nomine solidi X. X. aut res quoque meliorata in isso casale restituamus et ista donatione in sua firmitate permaned. Sinnum manum Ugo et Pagano et *quondadam* Alimano qui ista cartula rogaverunt ✠. Albrico de Presbiter Johannes ✠. Albertutio de Acto Johannes de Benivolo ✠. *Bernar* (vel *Offre*) *do* de Petro testes. Scrisci Acto Notarius.

III.

Lib. Rub. Archiv. Civit. Auximi N.° 64.

1174. mense Februario.

Cartula *Rainaldi infante.*

In Dei nomine. anni sunt ab incarnatione domini nostri yhesu christi millesimo centesimo septuagesimo quarto de mense februarii Indict. VII. Aux. civit. Ego Rainaldus infante et Tornainparte filii de Rainaldo *de monte morello* propria et spontanea nostra bona voluntate promittimus per nos et per nostros heredes vobis consulibus Auximi civitatis Taddeo Licolii,

Atto, Gislerio, et Bonjohanni et toto communo vestre civitatis a modo in antea tractare communum profictum et communum honorem de populo Auximano de majoribus et de minoribus, et bona fide sine fraude in perpetuum; et insuper promittimus per nos et per nostros heredes a modo in antea per unumquemque annum habitare unum de nobis, quando pacem habueritis duos menses in vestra civitate, nisi consules vestre civitatis demandari nobis dederint, et si guerram habueritis, nos ab hodie habitare vobiscum a principio usque in finem ipsius guerre; et si guerram habueritis cum communo Racanati unum de nobis promittimus habitare vobiscum, et alium cum Racanato; et hec omnia quae superius leguntur, promittimus per nos et per nostros heredes firmum tenere et observare omni tempore et bona fide sine fraude; et si hec omnia, quae superius scripta sunt, vobis servare promisimus, sciamus in penam dare vobis bizancios aureos duocentos et poena data et soluta cartula ista in sua permaneat firmitate et insuper exceptamus si guerram habuerimus cum Imperatore vel cum suis nuntiis, quia non debemus manere vobiscum[1].

Signa manus promittitoris, Jacobus de Albertino, Albricius de Stefanello Levi, Phylippus Gislerii de Rainaldo de Honesto, Phylippus de Johanne de berto, Thomas de Romano, Auximanus de Adamo toti in hac cartula rogati sunt testes, et nos predictus Rainaldus infante et Tornainparte promisimus per sacramentum evangeliorum per nos et nostros heredes hec omnia que superius leguntur firmum tenere omni tempore.

✠ Ego Nicolaus Not. de civit. Aux. complevi et corroboravi.

IV.

Ex Archiv. Almae Domus Lauretanae.

1179. 15. Junii.

In Dei nomine Amen. Hoc est exemplum cujusdam instrumenti, cujus tenor talis est — Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXVIIII. Indictione XII. die veneris, qui fuit XVII. Kalend. Julii. — Costat me Gislerium filium Racanati accepisse a te Dompno Ribaldoni Priore Ecclesie Clarevallis pro ipsa Ecclesia et pro toto conventu vestro tantum de bonis vestris quod fuit adpretiatum XXXI. libras lucenses. — et insuper promisum orationis vestri conventus finito pretio sicuti inter nos convenimus

---

[1] Filii Rainaldi infantis auximi fixas sedes habuerunt, nomenque fecerunt uni e civitatis illius portis, cujus in statutorum libro frequens fit mentio. V. g. L. 5. rubr. 16. . . . in strata a porta episcopatus usque ad *portam filiorum Raynaldi infantis* . . . et rubr. 158. *a porta filiorum Rainaldi infantis usque ad portam S. Nicolai supra murum antiquum*, et libr. 1. rubr. 75. . . .

de tota terra et de tota silva de paludibus de passcuiis et de omni ratione quam pater meus habuit infra subscriptas senatas et ego hucusque visus sum habere in fundo *Montis Ursi* et *Montis Prodi*. Hi sunt fines predicte sinactte: ab uno latere est finis qui venit a mare et vadit inter paludem et montem Ursi et pergit ad terminum, qui est in capite montis Ursi, et vadit per terminos costitutos usque ad terminum qui est in monte prodi et pergit ad fontem puthei, et vadit ad terminum qui est in capite campi brigulocti et vadit per cupam usque ad terram filiorum Ghirardi, a capite sinactte que sunt inter nos et seniores Racanati et vadunt ad Mossionem, ab alio latere vadit flumen Mossionis usque ad stratam maris, a pede strata que vadit justa mare. Excipimus venationem, forestam, stratam, et portum; naviculam unam ad piscandum et retem unam pro negotiatione vestre Ecclesie sicut Sinplicianus et Paulus ibi eas vos habere concessit sic et ego eas vos habere concedo, quam ratem si forum alinum adduxerit cum ipso portum petere debet. Alium finem extra supradictos locavimus a parte podii qui vadit ad fontem trevi et pergit ad *sanctum Johannem de Loreto* [1] et exit in fontana de filello, et vadit per rivum ad fontanam silve puthei et vadit ad terminum qui manet in ripa montis prodi. Exstra istos fines versus podium non debetis acquirere aliquid sine nostra licentia. Citra istos vero et supradictos ab omnibus hominibus licentiam ad proprietatem acquirendi quidquid potueritis, concedo. quam aut. predictam bona juris nostri pro suprascripto pretio et pro promisso vestre orationis que pro salute nostra nostrorumque parentum recepimus tibi Dompno Ribaldoni vendo trado confero et per presentem cartam mee venditionis tibi confirmo faciendam tu et tui subcessores una cum superioribus et inferioribus suis jure proprietario quidquid volueritis sine omni contradictione. Insuper promicto per me, et per meos heredes tibi Dompno Ribaldoni et tuis subcessoribus dicte Ecclesie predicta bona ab omnibus hominibus jura defendere et precipue a filiis *Coradi erici* et si defendere non potuerimus aud noluerimus vel si aliquid per quodvis

---

[1] Ecclesia *S. Joannis de Laureto* sive de *Monte Ciotto* A. 1345. Monasterium annexum habuit Virginum sacrarum, cui An. 1360. praefuit D. Lemba Abbatissa. Ad eam incolebant A. 1425. usque ad A. 1474. *Fratres* nescio quales. Ecclesia deinde conversa fuit in titulum Beneficii, quod translatum fuit A. 1563. in Altare majus Ecclesiae Cathedralis Recanatensis petente Sebastiano Rufino, qui tunc illud obtinebat. Existit adhuc gaudetque ipso R. D. Franciscus Marconi. Perierunt autem tum Ecclesia ipsa, ad quam Societas Lauretana SS. Sacramenti die veneris sancto instituere processionem solita erat, ut e statutis ejus A. 1571. conditis habemus, tum vero bona, scilicet modioli duo, cum domibus quae sita erant in Monteciotto juxta bona Almae Domus, bona Equitis Augustini Filagii et vias.

ingenium subtragere quesierimus tunc promicto vobis nomine pene componere predicta bona in duplum in simili loco, et cartam firmam permaneat, et ego predictus Ribaldo promicto vobis similiter pro me et pro meis subcessoribus, et promicto, quod si aliquis de vestris hominibus mortus fuerit sine herede non debemus accipere de suis bonis nisi medietatem. ✠. Signum propria manu suprascripti Gislerii qui hanc cartam fieri rogavit ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Signa de manibus Gislerii Pantaleonis, Donadei, Musei, Actonis Eserto boct., fortis filius magalotti, Ugonis de Marmanno qui fuerunt testes.

Ego Alexander Notarius interfui et rogatus scribere scripsi.

Et ego Franciscus Raynerii de Lauro Notarius ut supra legitur et in dicto autentico inveni, ita hic fideliter transcripsi et exemplavi nil adens vel minuens preter puntum vel silebam per errorem qui sensum non mutent et de mandato et autoritate sapientis viri Domini Boncompagni de Pessauro judicis super causis civilium in anconitana Marchia generalis scripsi et subscripsi. Qui judex ad bancam pro tribunali sedens suam et dicte curie auctoritatem interposuit et decretum sub annis Domini M. CCC. VII. Indictione V. tempore D. Clementis Pape V die XXI. mensis Aprilis. Actum fuit hoc in palatio comnis Montis Ulmi ubi jura reddebantur, presentibus Dño Andrea de Seczia Judice super causis civilibus in dicta provincia, Dño Jacobo de Civitella judice generali dicte provincie, Dño Detalleve de Tholontino judice, Dño Francisco de Fabriano judice testibus.

V.

Ex Archiv. Avellan. fascic. XV. N.° IV. edidit Maurus Sartius in Ephem. Rom. A. 1755., Annalistae Camaldul. Tom. IX. p. 37., et fr. Ant. Zacharia in anecdotis medii aevi pag. 303.

1193. 4. Januarii (1194.) [1].

In Dei nomine: anni ejus sunt ab incarnatione domini nostri Jesu christi M. C. LXXXXIII. IIII. die intrante Januar. Indic. XII. dompno Celestino papa sedente in Sede beati Petri apostoli et regnante Henrigo Imperatore Federicis Imperatoris filius anni ejus imperii III. — Nos quidem Jordanus Humanensis Ecclesie episcopus una cum voluntate et consensu canonicorum meorum q. preordinati sunt in nostra ecclesia, intuitu pietatis . . . . . et religionis et pro redencione nostrorum pec-

[1] Scripta fuit haec charta an. 1194. quamvis in ea legatur an. 1193., scilicet, ut mox subjungitur *ab incarnatione*, incipiendo annum a festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, quo Verbum caro factum est, qui mos annos computandi olim vix non ubique obtinuit.

catorum nec non et predecessorum . . . . . tradimus et cedimus et per transantum concedimus in perpetuum in heremo S. Crucis . . . . . fontis avellane et tibi dopno Marco venerabili priori et toti vestro conventui et vestris successoribus et per manus domni Rainerii q. est prepositus et rector ecclesie *S. Marie de Racī* . . . . . .[1] que est edificata *in fundo Rasenano q. Antiniano* vocatur, idemque damus et concedimus ipsam *Ecclesiam S. Marie que exita in fundo Laureti* totam cum omnibus suis dotibus et pertinentiis et cum libris et calicis et campanis et paramentis et cum cellis et cum circuitu et parochianis cum terris et vineis et olivis et ficis et salicis et cum molendinis et aquis aquimolis cum pratis et pascuis et erbis et cum omnibus suis pertinentiis et cum omnibus suis actionibus et rationibus que ad ipsam Ecclesiam pertinent vel pertinere debent de jure vel usu. Ita a die presente tu . . . . una cum tuis successoribus abeatis teneatis possideatis usufruatis predictam ecclesiam cum omnibus suis possessionibus et pertinentiis et in perpetuum possidendo tenendo et exfructuando et quidquid vobis placuerit faciatis.

Et ego Jordanus Humanensis episcopus una cum canonicis meis promittimus per nos et per nostros subcessores vobis dopno Marco priori et toto vestro conventui et omnibus vestris subcessoribus, et tibi domno Rainerio preposito S. Marie et vestro subcessori ipsam dationem et concessionem semper firmam et ratam habere et tenere, et nunquam retractare et nullam questionem vobis facere, sed semper stare et defensare et bonam facere et auctorizare vobis promictimus per me et meos subcessores contra omnes personas hominum. Quod si defendere noluerimus aut non potuerimus, aut hanc concessionis cartam irritare corrumpere vel falsare voluerimus, vel si dolo malo ingenio cuncta que superius leguntur non observaverimus tum obligo me Jordanus episcopus una cum canonicis meis meosque subcessores vobis supradicto priori vestrisque subcessoribus pene nomine libras lucenses C., et post pena data et soluta cartula ista donationis cessionis et concessionis semper firma permaneat, sicut superius legitur.

Dominus Jordanus Humanensis Ecclesie episcopus hanc cartulam fieri precepit.

Matheus Archidiaconus in ac cartula consensit.

Marcus archipresbiter in ac cartula consensit.

Sanguineus canonicus in ac cartula consensit.

---

[1] *Racanati*, scilicet ecclesia *S. Mariae castri novi*, quae ad Monacos Avellanenses pertinuit, nunc vero Episcoporum Recanatensium est. Collis ecclesiae imminens hodieque *Antiniano* vocatur.

Goffredus canonicus in ac cartula consensit.

Nicolaus canonicus in ac cartula consensit.

Rainaldus canonicus in ac cartula consensit.

Dopnus Angelus plebanus gardeti in ac cartula consensit.

Petrus Stephani de ac cessione et concessione fuit investitor et testis.

Acto Stefonis becti. Acto postere ab ipso Episcopo et a Canonacis rogati fuerunt testes.

Ego Acto Notarius precepto ipsius episcopi et rogatu et ab ipsis canonacis hanc cartulam scripsi.

VI.

Ex archivo Eccl. cath. S. Severini libr. B. N.° 281.

1202. 3. Junii.

A. D. sì 1202. tertia die intr. Junii indict. VI.

Ego quidem donno adque . . . . . campanelle per hanc cartulam apparum promitto vobis presbitero Gozo et presbitero Bernardo et vestris successoribus cappellanis rectoribus ecclesie *Sancte Marie Montazani* per me et filiis meis et nepotibus . . . . dare et solvere annuatim pensionem unum lucensem pro praedicta terra, quod vos mihi concedistis in fundo *gozoni* territorio . . . . cujus latera sunt hec. A capite et ab uno latere ego acceptor. a tribus lateribus . . . . . montis S. Marie, a pede rivus currente cum cannetum positum in ista terra . . . . . .
testes investitor Henricus de Henrigo Dalimanus johannis Squartarelli. . . . .
Actonis Agozo — Apollo rogavit.

VII.

Arch. secr. Recanat.

1202. 18. Maji.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Priori et fratribus *cruciferis hospitalis domus in ponte Potentie* tam presentibus quam futuris communem vitam deducentibus in perpetuam rei memoriam. Quotiens a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis favorem apostolicum impertiri. Eapropter dilecti in domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam vestram cum hospitali, in quo divino estis et pauperum deputati obsequio ad exemplar felicis recordationis Clementis et Coelestini Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum in jus et proprietatem beati Petri et sub nostra protectione suscipimus. Et presentis scripti privilegio communimus. statuentes ut quascunque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia vestra cum hospitali in pre-

sentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis praestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum hospitale. et *Ecclesia Sancte Marie* sita est cum omnibus pertinentiis suis. hospitale quod habet apud *civitatem novam* cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam *Sancti Leonardi* juxta mare sitam cum omnibus pertinentiis suis. *Hospitale de Ancona* cum omnibus pertinentiis suis. *Ecclesiam de Sco gulfo* sicut eam habetis per episcopum Anconitanum facto exinde publico ystrumento a felicis memorie papa Lucio confirmatam. possessiones quas habetis apud civitatem *Auximanam*. et extra. et eas quas emistis ab ecclesia *de firmo*. sub annuo Censu. possessiones quas habetis in *curte de girone*. et ea que habetis in castro *montissancti* et extra. et apud castrum *de lupin*. intus et extra. Sane novalium vestrorum que propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem et servitium pauperum Christi recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Inhibemus autem, ne aliqua ecclesiastica secularisve persona in domum vestram quenquam intrudere aut aliquem fratrum vestrorum de ipsa domo audeat eicere violenter. — Clerici etiam qui ad domos vestras ordinati fuerunt et assumpti nulli alii quam Magistro Ordinis vestri sicut hactenus observatum praestare obedientiam compellantur. Prohibemus insuper, ne cui liceat vos aut domos vestras interdicto vel excommunicationi sine manifesta et rationabili causa subjicere, presenti pagina decernentes, ut nullus ecclesiarum praelatus a domibus vestris quicquam exigere preter libram cere audeat vel etiam extorquere, salvis censibus illis qui usque ad tempus quo felicis recordationis Urbanus papa praedecessor noster per privilegium confirmavit eosdem, constituti fuerunt de consensu Episcoporum annuatim percipiendi. Nichilominus etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus vestris, ubi tot fratres assidue commorantur, quibus sit ecclesia necessaria, liceat vobis oratoria erigere et cimiteria fabricare, quorum sepulturam liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui in illis seppelliri deliberaverint nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora adsumuntur: Crisma vero, Oleum sanctum, dedicationes ecclesiarum, ordinationes clericorum qui ad sacros fuerint ordines promovendi, et cetera sacramenta ecclesiastica a quocumque malueritis catholico recipiatis episcopo qui nostra fultus auctoritate postulatus indulgeat.

Ad indicium autem, quod idem hospitale et ecclesia specialiter beati Petri juris existat duodecim Imperiales nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam et hospitale temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet fatigare, set omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva apostolice sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam venire temere tentaverit secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit domini nostri Jesu Christi . . . . . quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manus blaxii Sancte Romane ecclesie subdiaconi et notarii Turritani electi XV. Kl. jun. indictione sexta, Incarnationis dominice anno M.° CC.° II.° pontificatus vero domini nocentii pape tertii anno quinto.

VIII.

In Archiv. secreto civit. Recanat.

1226. Mart.

In nomine sancte et individue trinitatis. *Fridericus secundus* divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem et Sicilie Rex. Etsi omnia caduca sint hominum, et temporum diuturnitate labantur, *fiunt tamen ex hominibus aliqua perpetue stabilitati connexa, illi scilicet, que divinis addita cultibus caritatis Dei funiculum inter homines ampliant, tunc precipue, cum loca venerabilia, in quibus placens Deo sectatur hospitalitatem militia,* Imperialis potentie favor muniunt; et eis munimenta que vetustas non diluit, votive libertatis indulgent. Notum igitur esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod fidelis noster *Bartholomeus venerabilis Prior hospitalis Potentie, et procurator hospitalis ordinis Cruciferorum,* quod juxta Bononiam in strata majori situm est, ad presentiam nostram accedens ostendit nobis duo privilegia olim eidem hospitali a divis Augustis quondam progenitoribus nostris Romanorum Imperatoribus *Friderico avo,* et *Henrico patre* memorie recolende indulta. In uno quorum vidimus contineri qua-

liter prefatus Dominus Imperator Fridericus avus noster intuitu retributionis eterne predictum *hospitale Cruciferorum et omnia hujus professionis hospitalia* in Imperio Romano constituta et in domino constituenda et cuncta eorum bona mobilia et immobilia atque possessiones futuras et presentes in sue protectionis defensione et custodia suscepit, et confirmavit, statuens et imperiali auctoritate firmiter precipiens, ut nulla prorsus sacri Imperii persona contra hoc sue Majestatis edictum ea in locis sive rebus aut personis attemptare, nec aliquibus injuriarum damnis seu calumniis auderet infestare. Quod qui faceret, majestatis reus centum libras auri componeret, dimidium camere sue, et reliquum injuriam passis.— In alio quidem privilegio Domini Imperatoris II. Patris nostri continebantur in omnibus et per omnia singula supradicta: hoc tamen in eo addito, ut hospitale, quod fuit apud *Cesenam ejusdem professionis* cum omnibus attinentiis suis rehedificaretur et reficeretur.— Ipsis demum privilegiis nobis exhibitis dictus Prior Majestati nostre attentius supplicavit, ut privilegia ipsa et que continentur in eis, confirmare de nostra gratia dignaremur.— Nos autem ejusdem Prioris supplicationibus benignius inclinati considerato quidem zelo pie observantie regularis, que indefesse fulget in hospitali predicto, ac inspecta devotione, quam dictus Prior et fratres ejusdem ad nostram habere Celsitudinem irrefragabiliter dinoscuntur, predicta privilegia avi et patris nostri, et que continentur in eis, prout in ipsis sunt apertius denotata, jam dicto Hospitali Cruciferorum et domibus suis ejusdem professionis perpetuo confirmamus. De habundanti quoque gratia Celsitudinis nostre, volentes quieti et paci hospitalis ejusdem et domorum suarum in posterum benignius providere, hospitale ipsum et omnes domos suas professionis ejusdem cum possessionibus et bonis suis stabilibus et mobilibus hominumque personis, que et quas nunc juste habent, et in posterum justo titulo poterunt adipisci sub nostra et imperii protectione recipimus et tutela. Et liceat Priori et fratribus hospitalis ejusdem et aliorum etiam hospitalium suorum omnia, que ipsis fuerint in vita vel in morte cujusquam juste collata, recipere et habere. Nullique liceat bona ipsorum injuste invadere vel auferre, *vel personam aliquam ex eis extrahere*, vel rem ibi recommendatam auferre. Nullus etiam ausus sit *causas in eis tractare* seu colloquia ordinare. Precipimus insuper, ut nemini liceat a domibus hospitalium ipsorum, Prioribus, confratribus, et hominibus eorundem occasione alicujus festivitatis colende vel nuptiarum seu militie faciende aliquid exigere, vel invitis auferre, ipsosque trahere aut invitos ducere apud proprium accusantis judicem vel agentis, sed apud judices vel arbitros communiter electos vel Imperatoris Legatum seu nuntium, qui pro tempore fuerint. Et quod nulli liceat opponere contra jam dictas hospitalis

domos, Priores, confratres, et homines eorundem Capitula civitatum et statuta Castellorum; que a sacris legibus et sanctis deviare canonibus dinoscuntur. Et in suis causis liceat Priori et fratribus ipsorum Sindicum ordinare qui sacramentum calumnie subeat et lites peragat, liceatque eis aquas de fluminibus derivare, et clausuras facere pro fullis et molendinis construendis ad usus domorum hospitalium sine gravi accolentium damno. liceatque eis mercimonia sua naves proprias vel conductas per mare tam per terram quam per mare sine passagio vel theloneo transducere et portare. Concedimus insuper et confirmamus predicte *domui Hospitalis Potentie professionis ejusdem ecclesiam sancti Angeli* que constructa est in plano potentie in curte olim *girole* cum omnibus pertinentiis suis, sicut voluntate illorum, qui eam hactenus pro Imperio tenebant, juste recuperavit, que, quamvis destituta sit bonis suis, tamen nostra Imperiali auctoritate sancimus, ut liceat nominate domui Hospitalis bona ipsius Ecclesie Sancti Angeli requirere et ordine judiciario recuperare prescriptione centenaria non obstante. Confirmamus insuper ei *silvam* ab *Adenulfo* firmano Episcopo sibi concessam que est prope hospitale Potentie supradictum. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino persona parva vel humilis ecclesiastica vel secularis jam dictas domos hospitalis Cruciferorum, Priorem, et fratres ipsorum ac homines de supradictis omnibus molestare vel eorum bona invadere seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam centum libras auri puri pro pena componet, quorum medietas camere nostre, alia vero passis injuriam persolvetur. Ut autem hec omnia rata semper et illibata permaneant, presens privilegium fieri et sigillo Majestatis nostre jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt A. Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopus. — L. Reginus Archiepiscopus. R. Curensis Episcopus, et Abbas Sancti Galli, J. Taurinensis, et M. Imolensis Episcopi; R. Dux Spoleti. — Comes Gunterus de Quenrembere. Comes Rodulfus de Avensburc.— Comes Corradus de Vasserburch. Comes Gyfridus de Vienna. — Riccardus de Principatu Marescalcus Aule Imperialis et alii quamplures.

Signum Domini Frederici secundi dei gratia invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti Jerusalem et Sicilie Regis.

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis M. CC. XXVI. mense Martii quartadecima indictione, Imperante Domino nostro Friderico secundo dei gratia invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Jerusalem et Sicilie Rege. Anno Romani Imperii ejus sexto, Jerusalem primo, Regni vero Sicilie vigesimo octavo. feliciter amen.

Datum apud *Ariminum* anno mense et indictione prescriptis.

IX.

Archiv. Convent. PP. Minor. Convent. de Recan.

1228. 10. Martii — 1254. 16. Sept.

Innocentius Episcopus etc. ut in Bulla Alexandri IV. infr. N.° XXII.

In Dei nomine amen . . . . . (Nos Sang) uinus dei gratia Humanas Episcopus notum facimus tam presentibus quam futuris, quod cum dilectus in Christo filius *Thomas Notarius* habitator Castri Racanati proponeret hedificare Monasterium *in honore Sancti Nicolai* ad opus mulierum *in Castro Racanati in vico Montis sancti Viti in fundo Petreti,* a nobis licentiam postulavit, ut propositum suum opere proseguente compleret. Nos igitur attendentes, quod opus Domini esset, et multe anime possent in Monasterio ipso salvari, libenter concessimus postulata, et licentiam dedimus ei Monasterium construendi. Ad indicium autem libertatis Consororibus habitantibus in Monasterio ipso concessimus tres solidos Ravennates et Anconitanos tantum juris Episcopalis, et duas libras cere pro censu nobis et successoribus nostris annuatim in festo *assumptionis beate Marie* persolvere. Sic tamen, quod neque nobis, neque successoribus nostris in perpetuum licitum sit quicquam aliud neque pro consecratione neque pro alia quacumque occasione aliquid aliud a Monasterio ipso petere vel exigere quo possint in plena pace ac libertate Domino regulariter deservire. Ut igitur hec omnia que dicta superius inconcusse serventur. has litteras sub testimonio testium subscriptorum per Actonem Notarium scribi mandavimus, scilicet *Sanctori* Girardi, *Actonis Plebani Racanatensis*, Guarneri Morici, Magistri Bartholomei, *Dopni Philippi filippi Auximani*, donni Raynaldi, et Jacobi Johannis vivi de leto. Anno domini M. CC. XXVIII. die decima intrante Martio, imperante Domino Fr. Romanorum Imperatore. Indictione secunda. Hec omnia celebrata sunt coram *fratre Riccardo de ordine fratrum Predicatorum* nuntio Domini Pape in Castro *Racanati in Camera ipsius Episcopi.* Ego Acto Sancte Romane Ecclesie auctoritate Notarius interfui, et ut superius legitur mandato dicti domini Episcopi scripsi et in publicam formam redegi.

Ad indicium autem etc. ut in Bulla Alexandri IV. superius citata.

✠ Ego Innocentius catholice Ecclesie Episcopus SS. benevalete.

✠ Ego Rainaldus Ostiensis et Velletrensis Episcopus SS.
✠ Ego Stephanus Prenestinus Episcopus SS.
✠ Ego Stephanus Sancte Marie trans tiberim tituli Calixti Presbiter Cardinalis subscripsi.
✠ Ego frater Hugo tituli Sancte Sabine presbiter Cardinalis SS.
✠ Ego Riccardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis subscripsi.
✠ Ego Ottobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Anagnie per manum Guilelmi Magistri scholarum Parmens. Sancte Romane Ecclesie Vicecancellarii XVI. Kal. Octobris Indictione XII. Incarnationis dominice anno M. CC. LIIII. Pontificatus vero donni Innocentii Pape IIII anno duodecimo[1].

X.

Ex Archiv. secr. Civitat. Recanat.

1229. Jul.

In nomine sancte et individue trinitatis.

Fridericus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus Jerusalem et Sicilie Rex. Si subditorum nostrorum grata servitia acceptamus, ac eorum laboribus dignis beneficiis providemus, augetur in eis devotio fidei, et tam ipsi quam ceteri ad nostra servicia ferventius animantur. Inde est, quod Nos attendentes fidem puram, devocionem sinceram et grata servicia que universi homines Racanati fideles nostri nobis et Imperio semper devote prestiterunt ac prestare poterunt in futurum ipsos sub speciali defensione et protectione Imperii recepimus, promittentes ipsos conservare in libertate et bono statu suo, nec non Castrum ipsum cum omnibus justitiis et rationibus suis, videlicet districtibus jurisdictionibus et aliis ipsorum pertinentiis manutenere et amplificare, Villis etiam et ceteris de districtu suo concedimus libertatem. Et si quod Castrum vel Villa ab aliquo vel aliquibus est detenta vel occupata ea sine diminutione aliqua ipsos homines Racanati volumus rehabere. remittimus etiam eisdem hominibus Castri Racanati et hiis qui sunt de eorum districtu omne tributum Collectas et dativas que debent nobis vel Marchioni aut alicui ejus bajulo vel nuncio exceptis triginta tribus libris Ravennatum et Anconitanorum annuatim nostre Curie persolvendis. promittimus etiam eis quod non preficiemus eis, vel eorum districtui aliquem Marchionem in dominio vel signoria seu bajulum vel quemvis alium. ac Humanam. Castrum

[1] Gregorius IX Abbatissam et conventum Monasterii S. Nicolai ordinis S. Benedicti Humanatensis dioec. cum bonis suis sub B. Petri protectione suscepit literis datis Fulginei id. sept. an. VIII. (1234) — ex cod. archiv. —

Ficcardi. Camoranum. Massinanum. et Sirolum cum omnibus suis pertinentiis in suo bono statu et libertate volumus conservare. — De habundantiori quoque gratia qua benemeritis nostris consuevimus providere concedimus eisdem hominibus Racanati portum cum omnibus integritatibus et jure suo ac ipsum manutenere volumus et defendere tam per mare quam per terram. dantes eis plenariam potestatem ut portum ipsum habeant ubicumque voluerint a flumine Potentie et in ipso flumine usque ad flumen Aspie. et de ipso flumine aquas ducere. et ad usum portus facere, quod melius et utilius viderint expedire salvis promissionibus et pactis que inter ipsos Racanatenses et Auximanos sunt inita et contracta. Concedimus insuper eisdem libere. pacifice. et quiete totam Ripam portus et litus maris infra fluvios nominatos. et in ipsis fluviis datium. Ripaticum. Arboraticum et quodque jus aliud exinde nostre Curie deberetur. Item remittimus eis omnem penam seu bannum que extorquere possemus ab ipsis occasione alicujus offense facte majestati nostre et Ecclesie vel nostris nunciis ab eisdem de destructione alicujus castri vel ville. nec exinde compellantur ad restitutionem alicui proinde faciendam. concedentes et confirmantes hec omnia et alia que continentur in privilegio a Raynaldo duce Spoleti dilecto fideli nostro eisdem Racanatensibus ex auctoritate sibi a nobis commissa confecto. Ad hujus autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Stabilis de Caserta Notarii et fidelis nostri fieri, et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Comes. . . . . Henricus de niffen. Raynaldus Dux Spoleti. Riccardus Filangerus Marescalcus. Comes Gualterius de Manuplello. et alii quamplures.

Signum Domini Friderici dei gratia invictissimi Romanorum Imperato L. S. ris semper Augusti Jerusalem et Sicilie regis gloriosissimi.

Acta sunt hec anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo vicesimo nono mense Julii secunde Indictionis. Imperante Domino nostro Friderico dei gratia invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto. Jerusalem et Sicilie Rege gloriosissimo. Anno imperii ejus nono. Regni Jerusalem quarto. Regni vero Sicilie tricesimo secundo feliciter Amen.

Datum Baroli anno mense et Indictione pretitolatis.

E filis sericis flavi coloris pendet bulla aurea Friderici Imperatoris.

XI.

Ex Archiv. Eccl. Auxim. Compagnon. Memor. Osim. T. V. pag. 57.

1237. 17. Aug.

In Dei nomine Amen. Haec est copia quorundam instrumentorum quorum tenor talis est.

In Dei nomine amen. An. Dñi millesimo ducentesimo trigesimo septimo die decimo quinto exeunte Augusto tempore Dñi Gregorii PP. Noni Indic. X. *Dñus Synebaldus Episcopus Civitatis Auximi* propria sua bona voluntate presentibus astantibus, et consentientibus Canonicis majoris Eccl. S. Leopardi scilicet civitatis Auximi, videlicet Dño Odorisio Archidiacono, Donno Munaldo Archipresbytero, Donno Bruno, Magistro Johannino, Dño Anselmo, et Dño Rannutio Canonicis Auximanis dedit et concessit emphiteotico jure usque ad nonaginta novem annos proximos completos *Donno Bartholomeo Priori et Rectori Ecclesie S. Marie de Recanato* recipienti nomine et vice d. Ecclesie S. Marie, ut membri, et S. Crucis Fontis Avellane, ut capitis, Johannem et Andream Ugonis Actonis Martini, Actonem Ungrelli, Johannem Bernardi, Firmum Berte Vivum Lete, Actonem Antone, Raynaldum, et Petrum Murici Marini, *homines sive vassallos d. Ecclesie S. Leopardi,* vel ad ipsam Ecclesiam pertinentes, cum hominio, dominio, et segnoria, et cum angariis, et proangariis, et cum omnibus servitiis debitalibus et usualibus, prestationibus sive redditibus, et spetialiter dictum Johannem et Andream cum servitio novem denariorum in festo S. Stephani unius opere ad vineam, et unius caseate in Kalendis Maji. Et dictum Actonem cum servitio novem denariorum in festo S. Stephani, et prefatum Johannem Bernardi cum servitio novem denariorum in festo S. Stephani, et unius opere ad vineam. Et Firmum Berte cum servitio novem denariorum in festo S. Stephani, et unius caseate in Kal. Maji, et Vivum Lete, et Actonem Antone, quemlibet eorum cum servitio novem denariorum in festo S. Stephani, et Raynaldum et Petrum Murici Marini cum servitio novem denariorum in festo S. Stephani, que predicti annuatim facere tenentur vel ex debito, vel ex usu, vel alio quocumque modo vel jure Ecclesie supradicte. Et terras omnes positas infra fundos et latera infrascriptos, et infrascripta, videlicet terram positam *in fundo Monocule* infra hec latera a I. strata, a II. Adelardus Phylippi Grifi, a III. Monocula, a IIII. via que vadit ad Monoculam, et terram positam *in fundo Montis Perlonis* infra hec latera a I. *rivus Cisterne*, a II. filius Actonis Massarie et Martinus Phylippi, a III. filia Raynaldi Faidi, a IIII. strata. et terram positam *in ferrutio* infra hec latera a I. Mainarducius Albrici Rigi, a II. Johannes Alberti Montanarii, a III. Matheus Albrici Lamberti, Georgius Jacobi et via. et terram cum vinea positam *in fundo patregnani* infra hec latera a I. et II. via, a III. filius Marci Ugonis Bernardi. et terram cum vinea positam in eodem fundo patregnani infra hec latera a tribus lateribus via publica. a IIII. filius Pancelloni. et terram cum canneto positam *in fundo fracte* infra hec latera a I. via a II. et III. Maynarducius Albrici Rigi, et a IIII. filii Montanelli Morici Ade. et terram positam *in fundo*

Montisavelli infra hec latera a I. rivus *fontis vetule,* a II. Servusdeus, et filius Grimaldi Ungrelli, a III. filius Erculani *Regularis*, a IIII. Simeon Ugolini Actonis cum cognato. et terram positam *in fundo prete* infra hec latera a I. via, a II. Adelardus pro dicta Ecclesia, a III. Ugolinus Marie, et Johannes de Cenaria. et terram *in fundo patregnani* infra hec latera a I. via publica, a II. filius Marci Ugonis Bernardi, a III. Benvenutus Martini pro dicta Ecclesia, a IIII. Matheus Manentis. et terram *in fundo Montis Luparini* infra hec latera, a I. Adelardus, a II. et III. *Thebaldus Defensoris,* a IIII. filius Bernardi Grimaldi. et terram *in fundo Montis Actonis Dode,* a I. Adelardus Phylippi, a II. via publica, a III. Ugolinus . . . . a IIII. filius Benvenuti Raynaldi *Regularis.* et terram *in fundo rivi Cisterne* infra hec latera a capite via a pede *rivus Cisterne*, ab uno latere Adelardus, ab alio Johannes de Corvaria. et terram in fundo . . . . infra hec latera a I. rivus *fontis veteris,* a II. filius Pancelloni pro dicta Ecclesia, a III. Flavianus Grimaldi Ungrelli a IIII. Johannes Alberti Montanari pro dicta Ecclesia. et terram *in fundo Montis Actonis* . . . . a I. filius . . . Ugonis Rainaldi . . . . Bartholomei et dictus filius Amici, a III. Ugolinus Marie, et Albricus, et rivus *Mollie ducis,* a IIII. Acto Traversus, et Don-Tesalve pro dicta Ecclesia. et terram *in fundo Cereti* . . . . . via publica, a III. Guilielmus Morici Goci pro uxore, a III. Thebaldus Defensoris cum suis consortibus. et terram cum silva *in fundo Castellaris* Patregnani infra hec latera a I. Guilielmus . . . . a III. et IIII. Grifus Johannis Grifi. et terram cum Silva *in fundo Tessenarie* infra hec latera, a I. filius Pancelloni, II. *Petrus Capud tostum,* a III. filius . . . . Ugonis Actonis . . . . et terram in fundo *Valliscanina* infra hec latera, a I. rivus, a II. filii Actonis Massarii, a III. Servus Dei *pro dicta Ecclesia S. Leopardi*, a IIII. Martinus Phylippi. et terram *in fundo Ferruti* infra hec latera a I. via publica, a II. *terra S. Petri Montis Conarii* a III. Accursus Ugolini . . . . . a IIII. filii Montanelli. et terram *in fundo Campi rotundi* infra hec latera, a duobus lateribus via publica, a III. dictus Grifus, a IIII. Matheus Ugonis, et Villelmus Morici. et terram *in fundo Tassenarie* infra hec latera, a I. Dña Tassula, a II. Martinus Phylippi, a III. Maynardus Albrici. et terram *in fundo Cerreti de Fracte* infra sua latera. et terram *in fundo Pexe* sup. viam et subtus viam infra hec latera a I. Matheus Manentis, et Johannes Alberti Montanari, a II. Silva dicte Ecclesie, et filii *Bernardi Venerii* pro dicta Ecclesia, a IIII. via. et terram *in fundo Vallis Tassenarie* infra hec latera, a duobus lateribus Petrus Capud tostum a III. Rainus, a IIII. Adelardus, et uxor Pancelloni, et quartam partem Mollie posite *in fundo Patregnani* infra hec latera a I. murus . . . . Phylippi, a II. et III. Adelardus, a IIII. Benvenutus Thebaldi. et terram *in fundo Picalzone*

infra hec latera a duobus via, a III. filius Pancelloni pro dicta Ecclesia, a IIII. Phylippus Cari, et Maynardus Albrici pro dicta Ecclesia . . . . et terram *in fundo Monocule* infra hec latera, a I. Monocula, a II. rivus et Dña Tassula, a III. . . . . a IIII. via que vadit ad Monoculam et Castellare de Patregnano cum terra juxta ipsum in Acōte infra hec latera a I. via, a II. Matheus Manentis pro dicta Ecclesia, a III. Grifus, a IIII. filii Bernardi Venerii. et terram cum vinea *in fundo Patregnani* infra hec latera, a duobus lateribus via, a III. Adelardus Phylippi pro dicta Ecclesia, a IIII. Bentivolius Grimaldi. et terram in fundo *Mollie Vecle* infra hec latera, a duobus lateribus via, a III. filius Pancelloni, a IIII. Phylippi Rigi, et Arcoverectus. et terram *in fundo Tassenarie* infra hec latera a I. Johannes Alberti Montanarii, a II. filia Bartholomei Martini, a III. via publica, a IIII. Adelardus. et terram cum vinea *in fundo Saletti* infra hec latera, a I. via publica, a II. et III. filius Pancelloni, a IIII. Arcoverettus. et terram *in fundo Montisperlongi* infra hec latera a I. via, a II. strata, a III. filia Rainaldi Faidi, a IIII. Manentis Phylippi pro nepote. et terram in *fundo Patregnani* infra hec latera, a I. via publica a II. Acto Montanelli, ab aliis lateribus Guilielmus Morici Goci. et terram in eodem fundo infra hec latera a capite via ab omnibus aliis lateribus Guillelmus Morici Goci, et si qua alia eis sunt latera vel confines cum introitibus et exitibus suis etc. quas res predictas et homines dictus Episcopus constituit se ejus nomine possidere donec corporaliter etc. promittendo per se suosque successores dicto Donno Bartholomeo, et suis in dicta Ecclesia Successoribus omnia suprascripta attendere etc. debet solvere dictus Prior et sui successores pensionis vel canonis nomine dicte *Ecclesie S. Leopardi* annuatim duos solidos Ravenne vel Ancone etc. et post dictum tempus nonagintanovem annorum omnia supradicta *ad dictum Episcopum, et suam Ecclesiam S. Leopardi revertantur*. Actum fuit hoc in civitate Auximi in palatio dicti Dñi Episcopi presentibus *Donno Bene Abbate S. Florentii, Donno Ingo Priore S. Laurentii* de Auximo investitore et teste, Donno Jacobo Monacho S. Florentii, *Donno Bonaventura Sacerdote S. Jacobi,* Bernardo de Piro Benvenuto Compagnoni, Lombardo Bellini, et Petro Notario dicti Episcopi etc. Ego Johannes Britti Apostolica auctoritate Not. etc.

In dei nomine amen. Anno Dñi millesimo ducentesimo trigesimo septimo die quintodecimo exeunte Augusto tempore Dñi Gregorii Pape Noni indictione decima. *Dñus Synebaldus* Episcopus civitatis Auximi propria sua bona voluntate presentibus etc. Canonicis. majoris Ecclesie S. Leopardi scilicet etc. (ut supra) dedit et concessit et supposuit jure emphyteotico *Donno Bartholomeo Priori, et Rectori Ecclesie S. Marie de Racanato*

recipienti nomine et vice dicte Ecclesie S. Marie ut membri, et S. Crucis fontis Avellane ut capitis, *Ecclesiam S. Paterniani de Patregnano, vel de Collanutio* cum omni suo jure et pertinentiis, cum libris, paramentis, campanis, et vasis aliis, et aliis rebus ejusdem Ecclesie, scilicet cum possessionibus terris vineis etc. Item dedit etc. eidem Donno Bartholomeo etc. omne jus patronatus, quod ipse habet, vel sperat habere, vel sua *Ecclesia S. Leopardi in dicta Ecclesia S. Paterniani* predicto jure patronatus aut Episcopali etc. Item dedit et concessit eidem Donno Bartholomeo et suis successoribus plenam licentiam et potestatem instituendi, destituendi etc. Sacerdotes et Cappellanos in dicta Ecclesia S. Paterniani ad libitum et voluntatem interdicendi, excomunicandi, et absolvendi, ut ipsemet Dñus Episcopus in dicta Ecclesia facere posset etc. Et dictus Donnus Bartholomeus per se et suos successores etc. promisit pro dicta concessione et datione Ecclesie S. Paterniani etc. eidem Dño Episcopo vel ejus Nuntio vel Nuntiis nomine redditus sive pensionis tertiam partem mortuariorum omnium Parocchianorum dicte Ecclesie integre sine omni malitia, et duos galletos grani, et unum annone quolibet mense Augusti scilicet quodlibet galletum de quatuor buttinellis pro parte decime, et duos soldos annuatim *pro sinodo,* quadraginta soldos *pro visitatione* sive procuratione ante nativitatem Dñi et Carnisprivium, scilicet quadraginta solidos predictos, et predicta alia in mense Augusti, et dictam Ecclesiam S. Paterniani manutenere cultam, et augere bona fide etc. et eam alicui alie Ecclesie sive alteri non supponere vel concedere etc. Actum fuit in civitate Auximi in palatio dicti Dñi Episcopi presentibus (*ut supra*) Ego Johannes Britti etc.

Ego Bartholomeus Ser Gratiani Nigossy de Luca Imp. auct. Notarius etc. prout in scriptis instrumentis vidi et legi, ita hic fideliter exemplavi etc. et de licentia etc. Rev. Dñi *Dñi Francisci de Castro S. Angeli, Prepositi Ecclesie S. Laurentii de Appeczano, Vicarii super spiritualibus in Anconitana Marchia generalis per Ven. in Christo Patrem et Dñum Dñum Bonjohannem Dei et Aplice sedis gratia Episcopum et Principem Firmanum, Auditorem super spiritualibus in dicta Marchia per S. R. E. generalem, et sapientis viri Dñi Mathei de Cantellis de Parma Judicem super civilibus in dicta Marchia generalis* (sic) *per egregium et magnificum militem Dñum Johannem de Fulgosiis de Placentia dicte Marchie Vicerectorem per S. R. E. generalem* etc. Sedentium in audentia publica Curie generalis dicte provincie in civitate Macerata in publicam formam redegi sub anno Dñi millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, indictione quarta die quinta mensis Martii tempore Dñi Clementis Pape Sexti presentibus Ser Andrutio Johannis, et Ser Alerandrutio Magistri Aldovrandini de Macerata, Ser Galiardo Symonis de Monte Granario, et Ser Fre-

gionio Cicchi, de Macerata Notariis, cum quibus etc. abscultavi etc. Et ego Galiardus Symonis de Monte Granario etc. Ego Fregionius Cicchi de civitate Macerate etc.

XII.

Ex Archiv. PP. Conventual. Recanat.

1238. 14. April.

In Dei nomine. anni ejus sunt. mille ducenti. triginta octo. die quartadecima. intrante mense aprilis. indictione undecima temporibus Dñi Gregorii papae et dñi frederici Romanorum Imperatoris. Nos *Jacobus hum. Episcopus* gratia Jhesu Xp̄i nostro et Episcopatus humãae .nomine divino intuitu Beate Marie et apostolorum petri et pauli ac religionis obtentu non vi aliqua vel dolo inductus sed libera et spontanea voluntate donamus, cedimus, et largimur vobis sororibus scilicet dñe Margarite, Johanne, Jacobe, Angelice, et francisce recipientibus pro vobis et pro aliis vestris Sororibus que nunc sunt et in futuro erunt vobiscum et tibi Rainaldo Alexandri sindico et procuratori earum nomine et vice ac nomine Romane Ecclesie matris nostre recipienti locum et *Ecclesiam Sancte Marie* positum *in fundo sancti helie* in districtu et fortia castri Racanati et ejus territorio cum omnibus suis possessionibus, pertinentiis, juribus, et actionibus habitis et habendis. ut in eo virgines devote Deo et alie Ancille Xp̄i viventes juxta beati Benedicti regulam et institutionem *monialium sancti damiani Asisinatis* recluse et honeste domino famulentur et ipsis dominabus et eis succedentibus in perpetuum immunitatem plenam concedimus et libertatem. Volentes ut idem locus et Ecclesia, Rectrix, et Sorores et alie persone inibi constitute et que post eas illuc futuris temporibus sunt venture plena perpetua gaudeant libertate qua gaudent monasteria Ecclesie et loca religiosa que pleno jure noscuntur ad Romanam Ecclesiam pertinere, ipsum quoque locum sive ipsam Ecclesiam, Rectricem, Sorores ac personas commorantes in ipsis ab omni Episcopali jurisdictione tam in spiritualibus quam in temporalibus prorsus eximimus et duximus eximendum, nihil nobis et successoribus nostris in hiis omnibus in perpetuum reservantes nisi ecclesiasticorum sacramentorum collationem, dedicationem ecclesie, consecrationes altarium, benedictiones monialium, cum a rectrice et sororibus fuerimus requisiti, dum tamen ea gratis et sine pravitate qualibet ipsis exhibere volumus et unam libram cere que nobis et successoribus nostris annuatim in annuntiatione Sancte Marie census nomine persolvetur, et tertium mortuariorum quod aliquis relinquet pro anima sua detractis his que aliquis vobis relinquet spetialiter compensatis et computatis in ipsa tertia parte omnibus a testatore relictis, premissa

quoque fecimus absolute libere ac precise nullius conventionis sive pactionis aut conditionis tacite vel expresse generalis vel specialis nobis commodo reservato, sed salvo nobis et successoribus nostris tantummodo quod de sacramentis et libra cere et tertio mortuario sicut superius est expressum. Renuntiamus etiam in premissis omnibus universis cartis et quibuscumque rationibus vel conditionibus, sique in hoc contrarie apparerent, quas si contingeret inveniri, nolumus in aliquo prodesse nobis vel nostris successoribus ullo modo, sed eas cassas esse volumus et inanes. In cujus rei testimonium supradicta fecimus manu publica conscribi ac etiam annotari et sigilli nostri munimine roborari ad ipsius rei memoriam perhabendam. omnia et singula supradicta concessa sicut superius est expressum acta sunt etiam et firmata in Ecclesia supradicta Sancte Marie. Interfuerunt testes ad hoc spetialiter rogati et convocati Dñus Stephanus petri stephani, Dñus frogerius judex, Johannes rainerii, natus in guerra, Petrus Moysi, et Ajolus Jacob.

Item sub eodem anno Dñi die quarta exeunte mense augusti indictione predicta in civitate humane in Ecclesia sancte palatie presentibus Dño Guilielmo Dñi pauli, Longino ejus filio, dño corrado ejus genero, dño soldano delornano, Margarito Laurentii, et nato in guerra alexandri testibus ad spetialiter rogatis et convocatis. Donnus *cristianus*, Donnus *Laurentius*, Donnus *Bonaventura persone*, Donnus *Deuteadiute*, Donnus *Simon*, et Donnus *Stephanus* canonaci canonice dicti episcopatus exemptioni supradicte et in omnibus supradictis et singulis consenserunt, et per se suosque successores dicto Rainaldo sindico et procuratori stipulanti et recipienti nomine predictarum et vice et nomine Romane Ecclesie ut dictum est promiserunt omnia et singula supradicta perpetuo rata habere et non contravenire.

L. S. Ego philippus actonis imperiali auctoritate notarius ut supra legitur interfui rogatus scripsi.

Pendet e filis flavis et rubeis sericis sigillum cereum Jacobi Episcopi Humanat.

XIII.

Ex Regesto Gregorii IX. An. XIV. ep. 109.

1240. 4. Julii.

S. tituli S. Laurentij in Lucina presbytero Cardinali Marchie Anconitane Rectori.

Licet Apostolice Sedis ad hoc semper sit intenta benignitas, ut universos, et singulos Ecclesie filios benedictione dulcedinis prosequatur, expedit tamen ut sicut illis quos inter ipsos gratos devotione reperit condignam gratiam recompensat, sic et eos qui Deum in ipsa non verentur

offendere justa puniat ultione. Hinc est quod cum dilectus filius . . . . . Potestas, Consilium, et populus Racanateñ in fide, ac devotione Ecclesie illam studuerint observare constantiam, quod averti ab ipsa nequiverint, spretis dampnis rerum, et dispendijs personarum. Nos arbitrantes debitum ut circa ipsos Ecclesie benevolentia benemeritos beneficijs attollere consueta pateat per effectum, de fratrum nostrorum consilio disponendum duximus, quod eorum terra Episcopalis dignitatis perpetuo decoretur honore, et ad ipsos a maledictionis filijs populo Auximañ. qui F. dicto Imperatori fidem, et libertatem ecclesiasticam persequenti, divino timore postposito, dampnabiliter adheserunt Racanates eosdem afficiendo diversis injurijs, et multiplicibus nocumentis, Auximñ. Sedes cum omnibus suis juribus et pertinentiis transferatur. Verum cum dicti Racanates quinque milia librarum usualis monete, vel possessiones valoris ejusdem *pro dotanda futura cathedrali Ecclesia* liberaliter offerentes promittant quod velint edificare domos pro Episcopo, et Canonicis oportunas, mandamus quatenus secundum datam tibi a Deo industriam providere studeas ut ipsi ad hoc adjectionem faciant, de qua *dicti Episcopus, et Canonici* processu temporis honorifice valeant sustentari, maxime cum durante guerrarum discrimine non possit provenire de facili quod bonorum Auximañ. Ecclesie possessionem pacificam valeant adipisci. Ceterum Venerabili Fratri nostro . . . . Episcopo Humañat. pro jure quod in Castro Racañat. habuisse dinoscitur, de aliqua parte dioc. Auximañ, et de aliqua parte ejusdem dioc. Anconitañ Ecclesie concedendis discretio tua provideat, prout viderit expedire, villa Auximañ quondam Civitate cum reliqua parte ipsius diocesis dicte Racañat Ecclesie reservata. Ceterum quod super hoc feceris nobis quamcitius poteris tue litteris sinceritatis exponas, ut ad concedendum privilegium nuntiis dictorum Racañatuum propter hoc Sedem Apostolicam adituris expeditius procedere valeamus.

Datum Laterani IIIJ. Nonas Julij Anno XIIIJ.

XIV.

Ex regest. ann. 14. Ep. 170. — Compagn. Memor. della Chiesa di Osimo T. V. p. 67.

1240. 15. Novembr.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei

Ven. fratri Episcopo Humanat. salutem etc.

Attendentes constantiam et sinceritatem devotionis et fidei, quam dil. filii Consilium et populus Racanaten. in fidelitate Apostolice sedis contra

F. dictum Imperatorem observasse noscuntur, et detestantes proditionem populi Auximan. qui dicto F. fidem et libertatem ecclesiasticam persequenti dampnabiliter adheserunt, Castrum Racanat. a jurisdictione Humanat. Ecclesie exemimus, et Sedem Auximan. cum omnibus juribus et pertinentiis suis *ad Castrum ipsum* duximus transferendam, ita tamen ut in recompensatione jurium, que Humanat. Ecclesia in dicto castro obtinuit, tibi aliquam partem *Auximan. Dioc.* cum expedire viderimus, assignare possimus. Interim autem tibi et Ecclesie tue quantum cum Deo possumus providere volentes, fraternitati tue quod omnes proventus episcopales *in dicto castro* usque ad beneplacitum nostrum percipere valeas auctoritate presentium indulgemus. Dat. Later. XVII. Kal. Decembris anno decimo quarto.

XV.

Regest. Vatic. ann. 14. *ep.* 189. *f.* 34. — *edidit Ughellius T.* 1. *in Ep. Recan.* — *Didacus Calcagnius p.* 123. — *Compagnon. Mem. della Chiesa di Osimo T. V. p.* 66.

1240. 22. Decembr.

Populo et Clero Recanatensi

Gregorius Episcopus servus servorum Dei.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic justo examine pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et opprobrii pena perpetui infidelium colla premat, sic enim in bonorum beneficiis plures ad merita virtutum erigimus, et in pravorum penis ceteris delinquendi audaciam prohibemus. Eapropter, dilecti in Domino filii, prout convenit, attendentes, quod in devotione Ecclesie illam studuistis observare constantiam, quod nec damna rerum vobis per Fr. dictum Imperatorem Dei et Ecclesie inimicum illata nec pericula corporum vos a fidelitate Sedis Apostolice avertere potuerunt, et congruum estimantes, ut castrum Recanatense, quod de cetero esse Civitatem statuimus, grata honorificentia extollamus, de communi fratrum nostrorum consensu et assensu terre vestre, quam a jurisdictione Ecclesie Humanat. eximimus, *Episcopalem* concedimus *dignitatem*, a maledictionis filiis populo Auximano, qui dicto F. Dei Ecclesiam persequenti divino timore postposito damnabiliter adheserunt, ad Ecclesiam S. Flaviani de Recanat., quam de cetero Cathedralem esse decernimus, Auximanam Sedem cum omnibus juribus suis dignitatibus et honoribus transferentes; ita tamen ut cum expedire viderimus, Humanat. Ecclesie in recompensatione spiritualium et temporalium jurium, que in dicto castro et territorio ejus obtinuit, assignare

aliquam partem Auximane diocesis valeamus. Nulli ergo hanc paginam nostre exemptionis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc.

Datum Laterani XI. Kal. januar. anno decimoquarto.

XVI.

Archiv. Vatic. in Registr. Innocentii IV. ann. 2. *ep.* 6. — *Compagnon. Memor. della Chiesa di Osimo T. V. pag.* 69.

1244. 9. Decembr.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei

Clero Civit. et dio. Recanat. [1] spiritum consilii sanioris.

Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa Ecclesias solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum per quos spiritualiter et temporaliter continuum suscipiant, authore Domino, incrementum. Hinc est quod cum Ecclesia Recanat. diu fuerit pastoris destituta solatio, multisque propter hoc ipsum subjectam periculis, gravia in spiritualibus, et temporalibus detrimenta non sit dubium incurrisse; Nos, qui ex jugo Apostolice servitutis universis sumus Ecclesiis obligati, volentes Ecclesie predicte, ne damna ex longiori vacatione graviora subiret, salubriter providere, dilectum filium Magistrum *Petrum Gregorii* Basilice principis Apostolorum Canonicum, virum utique litteratum, providum et honestum acceptum nobis et fratribus nostris sue merito probitatis eidem Ecclesie *de potestatis plenitudine* prefecimus in Episcopum et pastorem, sperantes, quod sua circumspectione ipsa Ecclesia laudabilibus tam circa spiritualia quam temporalia, tribuente Domino proficiet incrementis. Ideoque mandamus, quatenus eum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Lugduni 5. idus Decembris anno secundo.

---

[1] Pomp. Compagnonius in Comment. de Ecclesia Auximana T. 2. p. 264. et seqq. conjicit verba quae sequuntur adjecta perperam fuisse a descriptoribus. Profecto sequuntur mox in Registro exempla ejusdem Epistolae scripta . . . . *populo civitatis et dioecesis Recanat.*, *et Capitulo Ecclesiae Recanat. et Capitulo Ecclesiae Racanat.* non adjecta clausula illa parum honorifica.

XVII.

Ughell. T. I. col. 745. *Human.* — *Ex regesto Vatic. f.* 468.
Compagn. Memor. della Chiesa Osimana T. II. p. 253.

1247. 13. Octobr.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Episcopo Humanati.

Cum olim Apostolicae Sedis providentia, cujus Praesul illius vices licet insufficientibus meritis gerit in terris, qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, de cujus manibus pendet aequitatis statera, subjectorum actiones dijudicans diligenter, ac benemeritis et indignis juxta suorum actuum exigentiam recompensans, utrisque meritorum suorum stipendia inferendo; Villam Auximanam propter infidelitatem rebellionem et indevotionem Incolarum ejusdem Episcopatus honore privaverit, ac statuerit, quod Castrum Recanaten. ob devotionem et fidelitatem habitantium in eodem, quod erat Humanati Ecclesiae lege Dioecesana subjectum hujusmodi honore polleret, Nos in recompensationem dicti Castri spiritualia et temporalia jura, quae in ipsa Villa et circa eam quondam Auximanus Episcopus habebat ejusdem, tibi et per te dictae Humanati Ecclesiae Auctoritate Apostolica concedimus in perpetuum, eandem Villam tibi dioecesana lege spiritualiter submittendo. Nulli ergo etc. nostrae concessionis etc. Si quis autem etc.

Datum Lugduni III. idus Octobris Anno V.

XVIII.

Compagnon. Memor. della Chiesa di Osimo T. II. pag. 256.

1247. 13. Octobr.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Episcopo Anconitan. et S. Joannis de pinnoclara, et S. Mariae de portu novo Abbatibus Anconit. Dioeces.

Cum olim Apostolicae Sedis providentia, cujus Praesul illius vices licet insufficientibus meritis gerit in terris qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, de cujus manibus pendet aequitatis statera, subjectorum actiones dijudicans diligenter, ac benemeritis et indignis juxta suorum actuum exigentiam recompensans, utrisque meritorum suorum stipendia inferendo; Villam Auximanam propter infidelitatem rebellionem et indevotionem Incolarum ejusdem Episcopatus honore privaverit, ac statuerit, quod Castrum Recanaten. ob devotionem et fidelitatem habitantium in eodem, quod erat Humanati Ecclesiae lege dioecesana subjectum hujusmodi honore polleret, Nos in recompensationem dicti Castri spiritualia et temporalia jura, quae in ipsa Villa et circa eam quondam Auximanus Episcopus habebat ejusdem, Venerabili

fratri nostro Episcopo Humanat. et per ipsum dictae Humanat. Ecclesiae auctoritate Apostolica in perpetuum duximus concedendam, eandem (*Auximanam*) Villam sibi dioecesana lege spiritualiter submittendo. Ideoque mandamus, quatenus consideratis super hoc diligenter circumstantiis universis, si vobis constiterit de praedicta Villa non esse factam praefato Episcopo pro jam dicto Castro (*Recanatensi*) recompensationem condignam, sibi de parte quondam ipsius Dioecesis (*Auximanae*) auctoritate Nostra recompensationem congruam assignetis: contradictores etc. quod si non omnes etc. tu frater Episcope etc.

Datum Lugduni III. idus Octobris Anno V.

XIX.

E tabulario Episcopali Auximano.

1249. 22. Martii.

In Dei nomine. Amen. Hoc est exemplum cujusdam privilegii domini Pape sic incipientis.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Episcopo Racanatensi ejusdem successoribus canonice substituendis in perpetuum. In eminenti Apostolicae Sedis specula. licet inmeriti disponente domino constituti fratres nostros Episcopos tam propinquos quam longe positos fraterna debemus caritate diligere. et ecclesiis sibi a Deo commissis pastorali sollicitudine providere. Sane felicis recordationis Gregorius Papa predecessor noster providere pensans, quod clerus et populus Racanatensis illam in ecclesie devocione studuerunt servare constanciam, quod nec dampna rerum eis per fridericum quondam Romanorum Imperatorem dei et ecclesie inimicum illata nec pericula corporum ipsos a fidelitate Sedis Apostolice avertere potuerunt: et congruum extimans ut Civitatem tunc castrum Racanati grata honorificentia exaltaret. de communi fratrum suorum consilio et assensu ipsi terre quam a jurisdictione ecclesie Humanat. exemit, Episcopalem contulit dignitatem et populo Auximano qui tunc dictò frederico divino timore postposito dampnabiliter adherebant ad ecclesiam Sancti Flaviani de Racanato quam cathedralem esse decrevit Auximanam sedem cum omnibus juribus suis dignitatibus et honoribus transferendo. ita tamen ut cum expedire viderit Humanat. ecclesie in recompensatione spiritualium et temporalium jurium, que in Racanato et territorio ejus obtinuit aliquam partem posset Auximanam dioces. assignare. Quocirca Venerabilis in Christo frater Episcope tuis justis postulacionibus clementer annuimus et predictam ecclesiam Sancti Flaviani de Racanato cui auctore Deo preesse dignosceris sub beati petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio comonimus statuentes ut quas-

cunque possessiones quecumque bona eadem ecclesia in presenciarum juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largicione Regum vel principum oblacione fidelium seu aliis justis modis prestante domino poterit adipisci. firma vobis vestrisque successoribus et inlibata permaneant In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: In Racanato. locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinenciis suis. Monasterium *Sancti johannis in perica* cum Cappellis et omnibus pertinenciis suis. ecclesiam *sancti Viti* cum pertinenciis suis. Ecclesiam Sancte *Marie de Varano* cum pertinenciis suis. *Sancte Marie de Monte* et *sancti laurentii de Monte zotto* ecclesias cum pertinenciis earundem, ecclesiam *sancti johannis de arculo* cum pertinenciis suis. Ecclesiam *sancti laurencii* cum pertinenciis suis. Sancti *Michaelis*. Sancti *Petri*. Sancti *Martini*, et *Sancte Marie de Ursis* ecclesias cum pertinenciis earumdem. *Sancti jacobi Sancti Simonis Sancti johannis de monte* et *Sancte Lucie* ecclesias cum pertinenciis suis. *Sancti Angeli Sancti georgii Sancti salvatoris Sancti gregorii* et *Sancti Michaelis* ecclesias cum pertinenciis earundem. *Sancti Severini sancti jacobi Sancti Michaelis de Monte Morello* et *Sancte Marie de plathea* ecclesias cum pertinenciis earundem. *Sancti Stefani Sancti Marati* ecclesias cum pertinenciis earundem. In territorio civitatis ipsius *Sancti Savini* Sancti *Lazari* Sancti *petri de lupiano*. et sancti *johannis de strata* ecclesias cum pertinenciis earundem. Sancti *petri blandanicii Sancte Victorie Sancti Salvatoris in Cute*. et *Sancti laurentii* ecclesias cum pertinenciis earundem. *Sancti Andree Sancte Marie de Cerro* et *sancti Martini de Morlongo Sancti Stefani de podio* et *sancti philippi* ecclesias cum pertinenciis earundem. *Sancte Marie de Montazano, Sancti Petri* loci ejusdem et *sancti stefani* ecclesias cum pertinenciis suis. Ad hec cimiteria ecclesiarum et ecclesiastica beneficia nullus hereditario jure possideat. quod si quis facere presumpserit censura canonica compescatur. Preterea quod communi consensu capituli tui vel partis consilii sanioris in tua diocesi per te vel successores tuos fuerit canonice institutum ratum et firmum volumus permanere. Proybemus insuper ne excommunicatos vel interdictos tuos ad officium vel communicacionem ecclesiasticam sine conscientia et assensu tuo quisquam admittat aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire presumat nisi forte periculum mortis immineat aut cum presenciam tuam habere nequiverint per alium secundum formam Ecclesie satisfacione premissa opporteat ligatum absolvi Sacrorum quoque canonum auctoritatem sequentes. Statuimus ut nullus Episcopus vel Archiepiscopus absque tuo consensu conventus celebrare causas etiam vel ecclesiastica negocia in tua diocesi nisi per Romanum Pontificem vel ejus

legatum fuerit eidem injuntum tractare presumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam Ecclesiam temere perturbare aut possessiones auferre vel ablatas retinere minuere seu quibuslibet vexacionibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum cubernacione ac substentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfacione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri jhesu Christi aliena fiat absque (*atque*) in extremo examine districte subjaceat ulcioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri jhesu Christi. quatenus et hic fructum bone actionis percipiat et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniat.

Ego Vllūs (*Vilelmus*) basilice duodecim apostolorum presbyter Cardinalis S.

Ego frater johannes tituli sancti laurencii in lucina presbyter Cardinalis S.

Ego frater Ugo tituli sancti Same presbyter Cardinalis subscripsi.

Datum Lugduni Magistri Marini Sancte Romane Ecclesie Vicecancellarii XI. chalendas aprilis Indictione VIII. incarnacionis dominice anno mill. CC. XLVIIII. pontificatus vero domini Innocentii pape quarti anno septimo.

Ego Innocentius catholice ecclesie Episcopus subscripsi.

Ego Petrus Albanensis Episcopus subscripsi.

Ego Rainerius Sancte Marie in Cosmidin diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego johannes Sancti Nicholai in carcere tuliano diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego guilelmus Sabine Episcopus subscripsi.

XX.

E tabulario Conventus PP. Min. Convent. Recanat.

1249. 29. Maij.

In Dei nomine. Anno Dñi millesimo ducentesimo quadragesimo nono septime indictionis tempore Dñi Innocentii quarti pape die tertio exeunte Majo. Nos Matheus Dei gratia Episcopus Racanatensis Vos Dominam Margaritam Abbatissam et Sorores tuas in Xp̄o Scolasticam, Johannam, Mathiam, Angelicam, Phylippam, Jacobam, Margáritam, Franciscam, Saviam, Annessam, Palumbam, Thomassam ob divinam et Apostolice Sedis reve-

rentiam cujus vos scimus esse filias spetiales et locum vestrum positum *in fundo petreti* infra hec latera, a primo Rambertus Dñi Ajoli, a secundo via publica, a tertio terra et vinea *ecclesie sancti Johannis de monte* et alia sua latera in quo divino estis obsequio mancipate cum oratorio et cimiterio pro Religiosis et familia loci que hic esse volumus, permittimus concedimus et ordinamus ad honorem Dei Beate Marie Virginis Sanctorum omnium et spetialiter *beate* Marie Magdalene cum pertinentiis et omnibus bonis suis que nunc habet et in futurum auxiliante Deo poterit adipisci. nec non personas vestras et familiarum vestrorum et earum que illuc post vos futuris temporibus sunt venture ab omni suciectione canonica lege diocesana et jurisdictione a cujuslibet alterius conditionis obligatione ac jure Episcopali per nos et successores nostros tam in spiritualibus quam in temporalibus absolvimus liberamus et eximimus pleno jure nihil in eisdem nobis et nostris successoribus reservantes nisi unam libram cere tantum pro temporalibus annis singulis in festo sancti flaviani nobis et nostris successoribus census nomine persolvendam, et pro spiritualibus Altarium et Ecclesie dedicationem, consecrationem Monialium, vel benedictionem, si tamen ea gratis et absque pravitate qualibet vobis et eis que vobis successerint cum a vobis fuerimus requisiti voluerimus exhibere, omnibus aliis juribus Episcopalibus a nobis et successoribus nostris in premissis totaliter abdicatis Reservamus etiam nobis tertiam partem mortuariorum vobis a quibuslibet relictorum Volentes vos et succedentes vobis moniales tantum et Monasterium vestrum seu locum cum pertinentiis suis ut predictum est illis immunitatibus et libertatibus et plenam exemptionem gaudere quibus gaudent monasteria et loca monialium nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinentia. In cujus rei testimonium fidem et memoriam sempiternam presentem paginam manu publica conscribi et sigilli nostri fecimus munimine roborari. Acta sunt etiam et firmata in oratorio sive ecclesia supradicta Sancte Marie presentibus Dño Albertino Canonico Egubino, Dño Leone dñi burdonis, dño nato in guerra Alexandri Actone bertini, Dño Rainaldo dñi burdonis. Thomeo Actolini Luctii. Magistro Frederico Notario predicti Dñi Episcopi. ad hoc rogatis et vocatis testibus.

L. S. Ego Petrus Riczerius Imperialis Aule Notarius hiis omnibus interfui Rogatu dicti Dñi Mathei Episcopi scripsi et publicavi.

In Dei Nomine. Anno Dñi millesimo ducentesimo quadragesimo nono septime indictionis tempore Dñi Innocentii quarti pape die octavo intrante junio. Nos donnus Bonaventura persone, donnus bartholomeus nassanelli; donnus homodeus. donnus Laurentius thome. donnus Rainaldus tarabocti.

donnus petrus Simeonis. donnus advinante jordani. donnus burdo domini jacobi leonis. donnus moricus morici suppi. Canonaci majoris ecclesie Rachanatensis confirmamus, approbamus et ratificamus tibi dñe Margarite Abbatisse Sancte Marie Madalene recipienti pro vobis et vestris Sororibus in dicto monasterio commorantibus *meternum (monasterium)* positum in fundo petreti exemptionem remissionem et quietationem quam vobis fecit dñus Matheus Dei gratia Episcopus Racanatensis et dicto Monasterio Sancte Marie et sororibus ibidem commorantium et in futurum deinceps advenientibus tam de personis quam de bonis dicti Monasterii et omnia et singula in privilegio dicte exemptionis vobis facto continentur approbamus et ratificamus promittentes dicte dñe recipienti pro dicto Monasterio et omnia et singula supradicta semper rata et firma habere et attendere et observare et in nullo contravenire neque de jure neque de facto nec in judicio nec extra nec vestro nomine nec alieno nec per nos et summissas vel summittendas personas immo ex nostro facto permittimus vos nomine dicti monasterii et ipsum monasterium in dicta exemptione et quietatione defendere ac tueri nostris propriis sumptibus et expensis Que omnia et singula predicta promittimus attendere et observare per nos et successores nostros in perpetuum et in nullo contravenire. Actum in horatorio Sancte Marie Madalene presentibus dño Jacobo dñi Leonis, dño nato in guerra Alexandri. Rainerio ejus filio. dño Leone dñi burdonis. Rainaldo dñi Alexandri, et aliis pluribus testibus.

L. S. Ego Petrus Riczerius Imperialis Aule Notarius rogatu dictorum Canonicorum scripsi et publicavi.

Appensum est sigillum cereum, cui impressa est figura Episcopi benedicentis cum epigraphe; S. MATHEI. DI. GRA RACAN. EPI.

XXI.

Archiv. PP. Minor. Conventual. de Recan.

1255. 6. Maji.

Alexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio O. Subdiacono et Cappellano nostro Marchie Anconitane *(Rectori)* salutem et apostolicam benedictionem.

Suam nobis dilecti filii Custos et fratres minores de Racanato petitionem monstrarunt, quod *Prior et fratres Heremitarum loci ejusdem Ordinis Sancti Augustini* quandam domum ad usum monialium sui ordinis adeo propinquam ipsorum loco via dumtaxat media construxerunt, magnum in ea conficere monasterium intendentes, quod propter vicinitatem hujusmodi eorundem fratrum domus quodammodo redditur inhonesta. Quare iidem custos et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut providere sibi

super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos autem volentes ipsorum famae et saluti consulere discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi praemissa vera esse constiterit, praedictam domum et moniales inibi existentes auctoritate nostra per te vel alium exinde facias amoveri, nec in eodem loco aut alio eisdem fratribus sic vicino aliquarum monialium aut religiosorum cujuscunque ordinis monasterium aedificare permittas, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Neapoli II. nonas maji pontificatus nostri anno primo.

XXII.

Archiv. PP. Conventual. S. Francisci de Racan.

1256. 10. Sept. et 1259. 18. Jul.

Alexander Episcopus servus servorum dilectis in Christo filiabus Abbatisse Monasterii Sancti Nicolai Racanatensis ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuam memoriam — Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis enervet. Ea propter dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et *Monasterium Sancti Nicolai Racanaten.*, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Monialium inclusarum Sancti Damiani Asisinat. et formulam vite vestre a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro ordini vestro traditam, cum adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium sive aliis justis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis et eis, que vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, terras, vineas, et possessiones, quas habetis in locis, qui *Petretum, Varianum, Bassetum, Vallis*, et *civitas* vulgariter appellantur; domos, quas habetis in Civitate Racanatensi, terras, vineas, et possessiones, quas habetis in territorio civitatis ejusdem in locis *Morello*, *Tresto*, et *Cruce* vulgariter nuncupatis (vineas, quas habetis in locis, qui *fundus Variani* et *Pissetus* dicuntur: terram, quam habetis in loco *sclavinici* vo-

cato: terras, vineas, et possessiones, quas habetis in fundo *Vallis*, *Civitatis*, *Arsitii*, et *Silvagnani)* cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in *Bosco* et *plano* in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas è seculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in Monasterio vestro professionem fas sit de eodem loco discedere, discedentem vero nullus audeat retinere; Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesie vestre sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis Episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis hec auctoritate nostra recipere a quocumque malueritis catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolice obtinente. Quod si sedes dioecesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis Episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum proprio Episcopo nullum prejudicium generetur. Quia vero interdum diocesani Episcopi copiam non habetis, si quem Episcopum Romane Sedis ut diximus gratiam et communionem habentem et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones monialium, vasorum et vestium, et consecrationes altarium accipere valeatis. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis excommunicatis et interdictis exclusis non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbatissa vel earum aliqua, que tibi successerit, nulla ibi a qualibet subrectionis astutia seu violentia preponatur, nisi quam sorores communi consensu vel earum major pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendam. Porro si Episcopi vel alii ecclesiarum rectores in Monasterium vestrum vel personas regulares inibi domino famulantes suspensionis excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolice indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere.— Preterea omnes libertates et immunitates quas Venerabilis frater noster Episcopus Racanatensis monasterio vestro indulsisse dinoscitur, sicut in ejus instrumento plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegio communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti presenti privilegio inseri fecimus, qui talis est.

In dei nomine Amen. Anno domini M. CC. LVI. Indictione XIIII. tempore Domini Alexandri pape quarti die 10. intrante septembre. Nos *frater Bonajuncta* divina patientia *Racanatensis Electus* cum consensu et voluntate totius Capituli Canonicorum civitatis ejusdem presentium, videlicet *Dompni Pauli Todelgardi Prioris* ipsius capituli, dompni *Homodei Simeonis*, dompni *Benedicti tornambene*, Dompni *Bartholomei Nassanelli*, dompni *Petri Simeonis*, Dompni *Ranaldi tarabocti*, dompni *advinante Jordani*, dompni *Laurentii Domini Thome*, dompni *Alexandri Domini Natoguerre*, dompni *Pauli gentilis*, et dompni *Burdonis domini Jacobi*, notum facimus tam presentibus quam futuris quod dilectas nobis in Christo Abbatissam et moniales seu sorores Monasterii Ecclesie Sancti Nicolai Racanatensis digna volentes gratia prosequi et favore, ac etiam ipsarum paci et tranquillitati debite providentes, ut eadem abbatissa et moniales earumque successores libere possint in eodem loco regulariter domino famulari, monasterium ipsum, et personas inibi commorantes et commoraturas cum omnibus possessionibus, bonis, rebus, et juribus suis tam presentibus quam futuris divine pietatis intuitu et ob sedis Apostolice reverentiam eximimus, et a prestatione exactionis cujuslibet ac obsequii absolvimus et perpetuo liberamus: nec non monasterium predictum cum omnibus possessionibus, bonis, et rebus suis tam presentibus quam futuris et predictas Abbatissam et moniales ac earum successores et familiares ab omni canonica subjectione, lege, et jurisdictione diocesana ac jure episcopali et cujuslibet alterius conditionis obligatione et honere per nos et successores nostros tam in spiritualibus quam temporalibus absolvimus, liberamus, et eximimus pleno jure, nichil in eisdem nobis et nostris successoribus reservantes, Sic quod neque nobis neque successoribus nostris sit licitum in perpetuum quicquam ab eis petere vel exigere pro consecratione altarium vel ecclesie predicte sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento vel alia occasione qualibet sive causa, sed hec omnia ipsis nos et nostri successores gratis impendere teneantur. Ad indicium autem hujus percepte libertatis unam libram cere tantum nobis et successoribus nostris Abbatissa predicta et ejus successores annis singulis in festo Sancti Flaviani pro censu persolvant. Que omnia et singula per nos nostrosque successores Marco Raynaldi predicti loci sindici (sindico) nomine ac vice ipsius Monasterii, Abbatisse et Monalium ac earum successorum cum consensu et voluntate totius Capituli supradicti et ipsum capitulum supradictum perpetuo promisimus observare et rata et firma habere, et in nullo contra facere vel venire occasione, ratione, exceptione aliqua sive causa. Ut igitur hec omnia inconcussa et illibata serventur, manu publica dilecti nobis in Christo Magistri Marini Notarii mandavimus adnotari. — actum

in camera palatii episcopatus civitatis Racanatensis, presentibus fratre Augustino, fratre Johanne, et fratre Simone de Racanato de ordine fratrum minorum, et Domino Raynaldo Domini Burdonis testibus. Ego Marinus gilielmi Notarius hiis interfui et mandato et auctoritate predicti fratris Bonajunte Electi et rogatus scripsi et publicavi.—

Ad indicium autem hujus percepte a Sede Apostolica libertatis unam libram cere nobis et successoribus nostris annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integre conserventur, earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Alexander catholice Ecclesie Episcopus subscripsi. bene valete.

✠ Ego Odo Tusculanus Episcopus subscripsi.

✠ Ego Stephanus Prenestinus Episcopus subscripsi.

✠ Ego frater Johannes tituli S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis subscripsi.

✠ Ego frater Hugo tituli Sancte Sabine presbyter Cardinalis subscripsi.

✠ Ego Riccardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis subscripsi.

✠ Ego Octavianus S. Marie in via lata diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Anagnie per manum Magistri Jordani Sancte Romane Ecclesie Notarii et Vicecancellarii XV. Kal. Augusti Indictione secunda, Incarnationis dominice anno M. CC. LVIIII. Pontificatus vero Donni Alexandri PP. IIII. anno quinto.

E filis sericis rubeis et flavis pendet bulla plumbea Alexandri PP. IIII., in cujus aversa parte exhibentur capita S. Pa. S. Pe.

XXIII.

Ex Regesto bullarum Urbani PP. IV. anni III. To. 3. epist. 127.

1264. 15. Martii.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei ad presentium notitiam, et ad aeternam memoriam futurorum.

Recti statera judicii aequo tunc examine temperatur, cum digna virtutibus praemia et congrua vitiis stipendia recompensat. Sic enim quibusdam quod suum est ex ordine reddente justitia, obsequiis videlicet gratiam, et injuriis talionem ad benemerendum lentos promovent exempla mercedum, et in delicta pronos interdum ab incentivo pravae similitudinis metus cohibet ultionis. Olim siquidem erga cives Auximanos et incolas castri Racanatensis Humanatensis dioecesis Apostolica Sedes eorum mater et Domina specialis hujusmodi utens judicii aequitate, quia iidem cives indevotionis ac rebellionis assumpserunt spiritum contra illam, Civitatem eorum episcopali dignitate privavit, ac eam cum tota dioecesi sua ad castrum praedictum, cujus tunc incolae dictae sedis erant devoti, transtulit, Civitatem ipsam et ecclesiam Auximanam Venerabili fratri nostro . . . . Episcopo et Ecclesie Humanatensi in recompensationem dicti castri, quod Humanatensis dioecesis tunc erat, in spiritualibus summittendo. Porro praedicti cives indevotionis et rebellionis hujusmodi notam per humilem, promptam, et devotam obedientiam et multa grataque obsequia modernis temporibus expiarunt; nam pro tuendis ejusdem sedis juribus et honore ac Patriae libertate pugnantes gravia rerum damna et personarum sustinere pericula et quasi cotidie sustinent illata eis ab ipsius sedis persecutoribus et filiis indevotis: dicti vero incolae in sensum dati reprobum, Dei et ejusdem Sedis reverentia et amore postpositis, et ad rebellionis superbiam spiritu obfirmato persecutori sedis ejusdem contra eam ipsiusque fideles dampnabiliter adhaerere praesumunt, propter quod tamquam accepti a praefata Sede beneficii immemores et ingrati reddiderunt facta sibi hujusmodi gratia se indignos meritoque privandos. Id itaque nos et fratres nostri provide attendentes et considerantes prudenter, quod favorem devotio promeretur, quodque urgendi sunt impugnatores Ecclesiae condignae punctionis aculeis, ut si existat possibile, a sua resiliant pravitate, atque ad studium devotionis debitae vitaeque laudabilis se convertant, praedictum Castrum et ipsius homines propter indevotionem et ingratitudinem eorundem perpetuo de ipsorum fratrum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis supradicta episcopali dignitate privavimus, eamque dignitatem non obstantibus privatione ac summissione praedictis Civitati eidem plenarie, dictaeque Auximanae Ecclesiae suam

dioecesim integre, praedictorum civium exigentibus meritis, restituimus, prout eas habuerunt ab antiquo, civitatem ipsam, et habitatores ejus et praedictam Auximanam Ecclesiam ab omni jurisdictione praedictorum Episcopi et Ecclesiae Humanatensis penitus eximendo. Ne igitur praefati Episcopus et Ecclesia Humanatensis per hoc, quod ab omni eorum jurisdictione supradictos Civitatem ipsiusque habitatores et ecclesiam Auximanam ut praemittitur, duximus penitus eximendos, se doleant in suis juribus sustinere jacturam, Episcopalem jurisdictionem ac omnia jura spiritualia et temporalia, quae iidem Episcopus et Ecclesia Humanatensis habere in praedicto castro, et ejus pertinentiis consueverant, antequam ad illud episcopalis dignitas transferretur, eisdem Episcopo et ecclesiae Humanatensi de ipsorum fratrum consilio, et potestate praedicta plenarie restituimus ita quod idem castrum et ejus homines de praedicta dioecesi Humanatensi omnimode, prout fuerant ab antiquo, existant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae restitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud Urbem veterem, tertio idus Martii Pontificatus nostri anno tertio.

XXIV.

Ex Regesto bullarum Urbani PP. IV. ann. III. Tom. 3. *Epist.* 247.

1264. 24. Maji.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri. . . . . [1] Episcopo Camerinensi salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicae dignitatis officium a Divina Nobis pietate commissum tunc ad executionem laudabilem et effectum dirigitur salutarem, quando personis in partem sollicitudinis evocatis, ac etiam Ecclesiis commissis eorum regimini, quae paupertatis gravantur onere, studemus de congruae provisionis subsidio subvenire. Sane licet Apostolica Sedes civitatem Auximanam pro eo quod se tunc eidem Sedi reddiderat indevotam, dudum episcopali dignitate privasset, et dignitatem hujusmodi transtulisset ad castrum Recanatense dioecesis Humanatensis, nos tamen postmodum attendentes, quod idem castrum pristinae sinceritatis et fidelitatis insignia derelinquens se convertit ad fraudis turpitudinem, et hostilitatis horrorem, devotos Ecclesiae multipliciter persequendo, dictaque civitas multae spiritum devotionis assumens, ac constanter et intrepide pro tuenda ecclesiastica libertate se in

[1] Guidoni.

conspectu Sedis ejusdem dignam constituit speciali gratia et honore, praefatum Castrum supradicta episcopali dignitate, justitia suadente, privavimus, et statuentes quod esset de praefata dioecesi sicut prius, dignitatem ipsam Civitati praedictae restituimus, ut eam in praemissae suae devotionis multitudine firmam et stabilem cunctis futuris temporibus redderemus. Quia vero, sicut Venerabilis frater noster . . . . . episcopus Humanas exposuit coram nobis, tempore quo castrum ipsum dignitatem eandem habebat, *Ecclesia sancti Flaviani Recanatensis et nonnulla alia bona sita in territorio ipsius castri eidem dignitati per dictam sedem concessa fuerunt*, praefatus Episcopus humiliter petebat a Nobis, ut cum ecclesia sua Humanas praetextu translationis de dignitate ipsa olim ad castrum factae praedictum ad gravem inopiam sit deducta, eandem ecclesiam Sancti Flaviani et bona praemissa sibi et mensae suae concedere in perpetuum de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque paupertati ejusdem episcopi paterno compatientes affectu, Fraternitati tuae mandamus, quatenus, si quod de concessione ipsius ecclesiae Sancti Flaviani et bonorum ipsorum facta dictae dignitati et inopia ejusdem Episcopi proponitur, veritate fulcitur, jam dictam ecclesiam Sancti Flaviani et bona praedicta eidem Episcopo et mensae in perpetuum per te vel per alium auctoritate nostra conferas et assignes, Contradictores quoslibet vel rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possit sine aliqua indulgentia sedis ejusdem, per quam executio mandati nostri super hiis impediri valeat vel differri, et de qua in litteris nostris plenam et expressam oporteat fieri mentionem. Nos enim volumus, quod per hujusmodi collationem et assignationem Venerabili fratri nostro . . . . . Episcopo et Ecclesiae Auximanae super ecclesia *Sanctae Mariae de Civitate* nullum praejudicium generetur. Datum apud Urbem veterem, nono Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno tertio.

XXV.

Compagnoni Memor. della Chiesa Osimana T. V.

1264. 2. Junii.

Urbanus etc. Ven. Fratri . . . . . Episcopo Auximano, et dil. fil. Archid. Spoletan. Cappellano nostro salut. etc.

Petitio dilecti filii *Venture Canonici Ecclesie S. Venantii Esculan* Cappellanie nostre Clerici nobis exhibita continebat, quod nos intellecto, quod *Ecclesia S. Marie de Monte sita extra Castrum de Racanato Humanat. dioc.* de jure vacabat, nos obtentu Cappellanorum nostrorum pro illo Apostolicam gratiam implorantium volentes sibi de ipsa gratiam facere

specialem, dil. fil. Jacobo de S. Donato Subdiacono, et Cappellano nostro commisimus oraculo vive vocis. ut illi predictam Ecclesiam cum juribus et pertinentiis suis auctoritate sibi a nobis in hac parte commissa illi contulit, et providit de illa, eumque de ipsa per suum pileum presentialiter investivit, decernens irritum et inane si sêcus de ipsa Ecclesia etc. a quoquam contingeret attemptari, prout in Instrumento publico inde confecto sigillato sigillo ipsius Jacobi Cappellani plenius continetur. Cum autem nos ipsius V. supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Cappellano provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate Apostolica duxerimus confirmandum, discretioni vestre mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum per vos, vel alium, aut alios eundem Venturam, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem predicte Ecclesie S. Marie, amoto ab ea quolibet illicito detentore, inducatis, et defendatis inductum. Non obstante etc. Contradictores etc. Datum apud Urbem veterem IV. Nonas Junii Anno Tertio.

XXVI.

Ex libro statutorum Fraternitatis Mercatorum exarato in charta pergamena.

1269.

In Honore Beati Francisci

Haec sunt Statuta Fraternitatis Mercatorum facta sub anno Domini M. CC. LXVIIII. Indictione XII. apostolica sede vacante pastore die dominico XV. intrante junio, tempore fratris Roberti Guardiani S. Francisci.

In nomine omnipotentis Dei patris et filii et spiritus sancti, et ad laudem Dei genitricis Mariae, et omnium Sanctorum, atque beatissimi patris nostri (sancti) Francisci protectoris omnium istius sue fraternitatis, et ad laudem etiam Sanctae matris Ecclesiae, sub cujus laude necnon et reverentia coadunatur, pro salute animarum, rectificatione corporum, morum informatione, excussione delictorum, atque ad bonorum omnium hominis utriusqus operatione, et ad honorem Potestatis et Communis Racanati, et ad communem statum et honorem, servitium et gubernationem Communis Racanati, et vocetur fraternitas Mercatorum sub honore B. Francisci [1] *ad justitiam conservandam, et ne fraus in mercatantiis committatur, sed fideliter exerceatur.*

Inprimis quidem invocata spiritus sancti gratia de communi voluntate ordinamus, quod qui hanc fraternitatem intrare voluerit, finaliter perse-

[1] Quae literis italicis ponuntur, desunt in exemplis horum statutorum A. 1313. etc.

veret, et si aliquis de fraternitate exire praesumpserit aliqua ingratitudine vel causa non legitime probata apud omnes istius fraternitatis *vel majorem partem vel apud eos, quibus fraternitas committeret,* ipso facto sine adjutorio alicujus juris vel exceptionis sit in XXV. libris condemnatus *absque omni strepitu et figura judicii* per priores vel aliquem alium praeceptorem hujus fraternitatis omni causa exclusa restitutis expensis fraternitati per eum, quae factae fuerint, de quibus condemnationibus medium sit Communis, reliquum vero fraternitatis, et ut melius de jure possit hoc observari in custodiam dictae condemnationis solvendae, si quis offenderit ex nunc confitemur pariter nemine discordante domum propriam et alia sua bona pro fraternitate et Communi precario nomine possidere, vel obligamus, sicut melius de jure valere posset, *et de hoc fiat instrumentum scriptum in hoc volumine, sicut sapienti dictae fraternitatis videbitur. Et Potestas Communis requiratur ut exigat condempnationem quamcumque factam secundum formam horum statutorum, et si Potestas facere nollet, priores per se vel per suos nuncios vel per illos qui a fraternitate ponerentur faciant exequi exequantur libere dictam sententiam absque pena et banno.*

2. Item ordinamus, quod nullus istius fraternitatis sit in aliqua parte, et parti renuntiet, tenendo semper cum suis fratribus communem statum terrae, secundum quod videbitur melius expedire, et si Terra aliquando veniret in seditione, scandalo, vel errore, semper teneat communem statum pro pace terrae, secundum quod inter eos ordinatum, et si quis in ista parte inventus fuerit vitiosus a parte tacite vel expresse non habita excusatione legitima apud omnes hujus fraternitatis et approbata, sine remedio sit ut superius, condempnandus in XXV. libris [1].

3. Ordinamus, quod quilibet suum officium in quacumque arte faciat omni tempore, et ubicumque fideliter sine fraude, secundum quod inter eos fuerit ordinatum, et quia fraus et dolus patrocinari non debet, volumus, quod quilibet contra hoc faciens nisi habita laudabili excusatione apud omnes fraternitatis sit ut superius condempnandus in XXV. libris [2].

4. Item ordinamus, quod quilibet saltem semel in hebdomada intret Ecclesiam orando devote ad Deum pro se et vivis ac mortuis istius fraternitatis, et dicendo Pater noster intercedendo ad D. Jhesum Chri-

---

ADDITIONES hisce statutis posterioribus annis adjectae.

[1] et priores teneantur fraternitatem congregare et proponere et deliberare quid super praedictis scandalis sit faciendum sub poena praedicta.

[2] ut fraus et dolus cesset, teneantur priores inquirere omni mense se . . . si contra per aliquem fiat.

stum, et teneatur semel ad minus in anno confiteri, et sumere Corpus Christi.

5. Item statuimus, quod si quis istius fraternitatis non obedierit praeceptori sive priori hujus fraternitatis in eo, quod fuerit boni status communis hujus Terrae, et hujus fraternitatis, praeceptor sive prior possit condempnare eundem usque ad quantitatem XL. solidorum, secundum qualitatem delicti, salvo semper capitulo supradicto [1].

6. Item ordinamus, quod quilibet istius fraternitatis in sua morte teneatur relinquere fidei commissarios priores hujus fraternitatis vel alios de dicta fraternitate inter alios quos voluerit, et maxime pro factis animae, et quilibet suae fraternitati relinquat meliorem clamidem, quam habet, *vel aliud melius vestimentum quod habet,* ut inde fiant opera misericordiae pro sua anima a dictis prioribus *et non in aliis,* qui priores sint solliciti quolibet mense quando congregantur, interrogare de debilibus et infirmis, et etiam de pauperibus istius fraternitatis, ut eos possint per se et suos fratres visitare et juvare secundum quod eis videbitur expedire, et ad mortem cujuslibet fratris teneatur quilibet ire et aliquem fratrem ad praedicandum invitare, qui defuncto et fratribus fraternitatis et populo referat famam bonam, *et quilibet de fraternitate cum ad sepulturam confrater mortuus portatur, teneatur dicere XXII. Pater noster, et alter qui non interfuerit teneatur dicere statim cum confratris sui mortem sciverit.*

7. Item ordinamus, quod semper in capite sex mensium mutentur priores et massarius fraternitatis, quibus teneantur omnes firmiter obedire in omnibus praeceptis licitis, secundum quod inter eos fuerit ordinatum, et isti priores teneantur infra octo dies requirere rationem de prioribus supra cassatis, et massario, si bene et fideliter administraverint elemosinas fraternitatis, ita quod non furati et defraudati sint; et si inventi fuerint rei, solvant duplum, et semper priores expendant elemosinas secundum consilium discretorum fratrum istius fraternitatis, et volumus quod dicti priores sint solliciti interrogare semper, quando congregantur ultima Dominica mensis cujuslibet fratres istius fraternitatis, si inter aliquos esset odium vel litigium sive quaestio cum aliquo; quod si inventum fuerit, procurent infra octo dies eos reconciliare, et ad invicem concordare, ita quod si litigium fuerit, non intrent Curiam saecularem, si potest fieri bono modo, et ipsi in hoc prioribus teneantur firmiter obedire. Priores autem si cognoverint per se questionem cum discretis fraternitatis sententiam dare

[1] et si aliquis de fraternitate faceret aliquid in despectum fraternitatis vel priorum dicto vel facto vel quocumque modo, solvat pro banno V. solidos.

possint, alias vero consilium habere possint cum alio sapiente [1]. Si vero contraria pars esset extra fraternitatem, et crederent confratres superare in expensis aut timore, et omnes fratres si necesse fuerit juvent eum fideliter, ita quod frater per impotentiam vel timorem non possit amittere, quod est suum jus. Et si aliquando fieret collecta in fraternitate pro infirmis vel aliis operibus fiat pro rata, sicut jacet in catasto Communis, et qui in hiis omnibus supradictis inventus fuerit vitiosus, sit in pena superius divulgata XXV. librarum [2].

8. Item ordinamus, quod ad festum B. Francisci omnes teneantur cum solemnitate et debito honore ire cum tubis et aliis solemnitatibus et obsequiis, sicut per priores et suos consiliarios fuerit ordinatum. Qui priores sint solliciti ordinare ante festum per XV. dies, ut melius fiat.

9. Item ordinamus, quod nullus recipiatur ad istam fraternitatem nisi de consensu majoris partis vel totius ad hoc ut non intret aliquis malae famae [3]. Et quando fratres congregantur in mense semel quilibet unum denarium massario solvat, ut inde omni die lunae dicantur Missae pro vivis et mortuis hujus fraternitatis.

10. Item ordinamus et volumus, quod in isto memoriali possimus addere et componere, supraordinare et *interpretari* de communi voluntate omnium *cum consensu Guardiani non obstante juramento.*

11. Item quod quicumque de hac fraternitate sustineret aliquod dampnum in bonis suis mobilibus vel immobilibus intra terram vel extra, eo quod diceret, et ordinaret ea, quae pertinerent ad honorem et bonum statum Communis hujus terrae et suae fraternitatis, homines hujus frater-

---

[1] Hoc tamen ita intelligatur, quod nullus de dicta fraternitate coram aliquo « judice agere vel petere possit in civilibus questionibus nisi coram prioribus, et « si aliquarum partium suspectos haberet priores, quod debeant agere vel petere « coram illis qui a fraternitate ponerentur, et priores vel illi, qui aliquando a « fraternitate ponerentur, debeant questiones decidere et terminare summarie sine « libello, et sine litis con juramento calumpnie et omnia alia solempnitate et fi- « gura judicii obmissa: semper tamen causam terminare debeant conscilio sapien- « tis et infra unum mensem terminetur, omni appellatione remota, vel ad minus « infra duos considerata qualitate questionis, et de questionibus que erunt coram « consulibus capita solidorum, solvantur, medietas quorum sit consulum, alia no- « tario dictae Fraternitatis, et notarius qui acta scribit a partibus salarium ha- « bere debeat atque possit.

[2] tam contra omnes facientes, quam contra priores vel alios per fraternitatem positos.

[3] et ad hoc ut intrans teneatur promittere secundum formam instrumenti in hoc volumine positi dum tamen recipiatur, et fiat partitum ad bussulas et pallottas primo deliberatione prehabita cum consiliariis, et in eo quod due partes vel plures concordes fuerint, habeant plenum robur.

nitatis teneantur communiter emendare et restaurare dictum dampnum integre, et si quis litigaret adversus aliquem de hac fraternitate resistendo ei, ne possit operari et ordinare ea, quae spectarent ad honorem et bonum statum istius terrae malitiose aliqua conspiratione vel malignitate, omnes de hac fraternitate communiter teneantur eum juvare, et ei consulere pro libra unicuique contingenti usque ad finem litis [1].

12. Fuerunt concordes Consiliarii cum tota fraternitate dominica die ultima mensis januarii, quod quicumque de fratribus non venerit ad congregationem suorum confratrum die dominica ultima mensis cujuslibet solvat bannum VI. denariorum salvo si haberet justam excusationem.

13. Item statuerunt, quod si aliquis de fratribus iverit extra terram die dominica praedicta, quando interesse deberet congregationi sine licentia prioris vel ejus vicarii non sit ei excusatio, sed dictum bannum solvere teneatur.

14. Item statuerunt, quod nullus debeat solvere denarios unus pro altero isti fraternitati salvo si ille pro quo darentur denarii esset extra terram vel esset infirmus.

15. Item statuerunt, quod si aliquis resisteret nuntio istius fraternitatis, eo quod ipse nuntius vellet accipere aliquod pignus alicui, solvat bannum V. solidorum, et nihilominus pignus dare teneatur [2].

16. Fuerunt concordes consiliarii cum tota fraternitate die dominica ultima mensis Julii, et statuerunt quod licitum sit cuilibet de fraternitate in ejus ultima voluntate unum vel duos, quos voluerit convocare, qui suo testamento valeant interesse alia aliqua constitutione ullatenus non obstante.

17. Item statuerunt, quod si quis fraternitatis citatus fuerit ad petitionem alicujus de fraternitate, quod coram priore vel prioribus deberet comparere sibi de jure responsurus, et si non venerit, teneatur solvere duos solidos, et bajulo satisfacere in expensis, *et si non venerit priores possint procedere contra contumaces cum consilio sapientis omni solemnitate juris omissa* [3].

18. Item statuerunt quod si lis seu discordia de aliqua re esset inter aliquos de fraternitate, priores dictae fraternitatis ipsos coram praesentia sua faciant comparere, et super ipsa lite seu discordia studeant componere concordiam inter eos bona fide sine fraude infra XV. dies, si potuerint, alias litigantes in alia curia uti valeant juri suo.

---

[1] Hoc intelligatur si ipse dixerit vel fecerit de voluntate priorum. Alias fraternitas vel aliquis de dicta fraternitate ad hoc statutum non teneatur.

[2] et de hoc credatur nuntio dictae fraternitatis —

[3] et quocumque modo processerint, plenum habeant robur, et nullo modo contraveniri possit

19. Item statuerunt, quod si quis fraternitatis coram priore seu prioribus dictae fraternitatis confessus fuerit se aliquid suo confratri debere dare vel facere occasione mutui vel mercationis seu alia quacumque de causa, dicti priores possint et valeant praecipere componere disponere ac ordinare inter eos, et quidquid per ipsos priores dictum vel factum fuerit firmum permaneat atque ratum [1].

20. Fuerunt in concordia Consiliarii cum tota fraternitate vel cum consensu majoris partis, quod eo tempore quo eliguntur priores fraternitatis debeant eligi duo consules quibus debeat obediri sicut prioribus [2] dictum est, et hoc locum habeat in causis et questionibus pecuniariis tantum et non in aliis [3].

21. Item quod si alter priorum vel consolum sententiam dederit, vel bannum imposuerit altero absente, quod dicta sententia sive bannum teneat et valeat sicut ambo extitissent praesentes.

22. Item quod priores fraternitatis teneantur et debeant recuperare condempnationes et banna facta et imposita suis temporibus ita quod de praedictis bannis et contempnationibus nullus labor spectet ad priores novos [4].

23. Item quod si aliquis de fraternitate postquam proposta facta fuerit per priores vel alterum eorum loquutus fuerit vel consuluerit extra propostam sine licentia priorum vel alterius eorum solvat pro banno XII. denarios nulla excusatione habita [5].

24. Item quod si aliquis villaniam vel injuriam dixerit alicui vel contra aliquem de fraternitate, quando dicta fraternitas fuerit congregata vel alibi in praesentia priorum sine productione testium solvat pro banno V. solidos Raven. et plus et minus secundum qualitatem delicti, prout videbitur dictis prioribus.

25. Item quod si aliquis per terram dixerit villaniam vel injuriam de aliquo confratre suo, et hoc probari poterit per unum testem, solvat pro banno V. solidos et plus et minus secundum qualitatem delicti.

26. Item quod si aliquis de fraternitate compellatus fuerit per priores vel alterum eorum citatus fuerit per bajulum fraternitatis vel alium nun-

---

[1] et priores possint exequi praecepta et sententias, sicut eis videbitur, omni solemnitate omissa cum consilio sapientis.

[2] sub eadem pena et banno, quod superius de prioribus.

[3] quas causas dicti consules terminare possint eo modo et forma ut de prioribus in hoc volumine statutorum dictum est.

[4] et si non fecerint teneantur dicta banna et condemnationes de suo solvere et priores subsequentes debeant tam prā banna, quam id in quod inciderunt primi priores exigere, alias in duplum teneantur.

[5] et consilium datum ultra propositum nec scribatur, nec in aliquo valeat.

tium ad buccam et non sequeretur eos, vel non obedierit eis sine aliqua excusatione, solvat pro banno XII. denarios et ultra si videbitur prioribus.

27. Item quod si aliquis ex familia illorum de fraternitate se paraverint vel restituerint bajulo fraternitatis ne pignus levet, teneatur confrater bannum solvere, sicut in persona propria se parasset, et quilibet de fraternitate teneatur admonere familiam suam, quod injuriam vel villaniam non dicat de aliquo de fraternitate sub pena et banno V. solidorum.

28. Item quod si alicui de fraternitate fieret violentia vel molestia in rebus suis mobilibus et immobilibus intra terram vel extra vel si iniqua falsitas ei opponeretur aliqua conspiratione vel malignitate, omnes de fraternitate teneantur et debeant eum adjuvare et consulere pro libra unicuique contingenti usque ad finem litis, videlicet secundum appretium, quod in Catasto Communis continetur.

29. Item quod si aliquis de fraternitate postquam congregati fuerint in capitulo fratrum minorum vel alibi, sicut per priores et consiliarios ordinatum fuerit vel banditum per petruccium vel alium banditorem Communis, discesserit, vel recesserit sine licentia priorum, solvat pro banno VI. denarios.

30. Fuerunt in concordia Consiliarii cum tota fraternitate, quod unusquisque de fraternitate debeat repraesentare appretium suum, secundum quod in Catasto Communis continetur, prioribus fraternitatis vel aliis, qui super hoc positi (et ordinati fuissent infra octo dies postquam praeceptum fuerit per priores, et si aliquo tempore collecta imposita) fuerit per priores de consensu et voluntate omnium de fraternitate vel majoris partis, illi de majori appretio solvant collectam suam infra octo dies et alii de mediocri et minori appretio *solvant suam collectam infra XV. dies sub pena* et banno, quod dicti priores imposuerint superinde.

31. Item statuerunt, quod si quis de hac fraternitate non obedierit et obedire noluerit suis prioribus et massario istius fraternitatis in eo quod spectet ad honorem et bonum statum dictae fraternitatis, priores habeant liberam potestatem expellendi eum extra praedictam fraternitatem, et nihilominus teneatur solvere bannum XXV. librarum.

32. Cum hodie vigeat conservatio Civitatis Recanati per populum, et ejus statuta, decet hanc fraternitatem ad ejus statum conservandum suum in quantum potest adhibere remedium. Statuimus, quod sive per brevia vel pallottas vel fabas advenerit, quod aliquis de dicta fraternitate aliquem eligere habeat in officialem vel priorem de populo, semper confratrem de dicta fraternitate eligere debeat, et si contrafecerit solvat XX. solidós.

33. Decet coadjuvare benefacientes et deviantes retrahere ab omni malo; ordinamus, quod priores per se vel alios de fraternitate secum adjunctis

teneantur sub pena XX. solidorum ad minus semel in mense priores populi Recanati monere ad bonum statum Civitatis tractandum, et offerre posse dictae fraternitatis ad servitium et bonum statum Communis. Et si viderint aliqua fieri vel tractari per priores vel alios officiales Communis, quae non videantur utilia pro Communi, debeant per se et per illos de fraternitate se opponere, et ad hoc possint et debeant fraternitatem convocare et proponere coram eis, et sicut deliberatum erit, debeant executioni mandare: et si priores in his fuerint negligentes ab officio removeantur, et per consules in XXV. libris debeant condemnari.

34. Ordinamus quod quoties priores scire poterunt aliqua fieri per officiales Communis Recanati vel priores populi, que videantur non pertinere ad bonum statum Communis, quod tam per se quam invocationem consiliariorum vel totius fraternitatis debeant se opponere, et si prioribus videbitur et consiliariis, dicti priores possint invocare priores *Notariorum* et *Calzolariorum* ad praedicta et cum eis deliberare quid agendum sit super praedictis.

35. Constituimus, quod quoties fieret aliquod magnum consilium in Civitate, in quo aliqua ardua sive magna negotia proponerentur, de quibus suspicio sit quod aliqua fiant vel tractentur contra bonum statum Civitatis, quod priores monere debeant illos de fraternitate, ut ad consilium accedant et se opponant in quantum possunt.

Sequuntur eadem capitula correcta et renovata per priores et octo statutarios ad hoc electos, et de consilio sapientis viri Palmerii advocati dictae fraternitatis sub anno D. 1312. Indictione X. presentibus D. Palmerio Jacobi, Bonjohanne Michaelis, Philipputio M. Benvenuti, Joanne Compagnonis, Gregorio Salvi, Ugolino Ugi, Baligano Palmerii, et Bonatacca Christiani, et Servodeo Jacobi — Ego Johannes Thomae etc.

Sequuntur alia quaedam capitula facta ab Antonio Putii, et Ciccolino Vannis prioribus, Accursino Ugolini, Consolo Petrutii, colutio mathaei martini, Simonutio lemboli, Antonio colutii, marcutio cisci, vanne fanutii, et butolo claudii consiliariis de scribendis confratrum contractibus in libro consulum fraternitatis etc.

Approbata in refectorio fratrum S. M. de platea an. 1384. 10. Jan. pss. petrutio ciutii, petrutio massutii, colutio antonii, et gregorio Angelutii — Ego Anton. Jannis N.

An. 1384. 29. Jan. Rm̃us P. D. Andreas Tit. SS. Marcellini et Petri presb. Card. et S. R. E. Vicar. general. in Ancon. March. confirmavit Racanati in domibus Communis in camera solitae ejus residentiae. pss. Rm̃o P. et D. D. A. Dei gratia R. et M. Episcopo, et egr. ac magnif. Milite D. Alberto de Guidaloctis de Perusio, D. Blasio Canonico Perusino et Camerario ipsius D. Cardinalis — Ego Antonius petronii de Trevio.

Statuta alia An. 1387. pss. Joha. cisci butoli etc. facta et confirmata ab eodem Cardinali An. 1387., data commissione D. A. Episcopo R. et M. ejus Auditori generali ut illa 36. capitula revideat. Maceratae pss. dp. Sergio bartholi de Urbino, magiolo petri, et bartholomeo Nicolai colae de Perusio.

Joa. Bapt. Sinibaldus de Auximo Ep. Auxim. Rm̃i et Ill. D. Joa. Dom. de Cuppis Card. Tranen. Eccl. Recan. Administratoris commissarius in S. visitatione perlegit et approbavit 9. Decembris 1542.

XXVII.

Archiv. PP. Dominican. Recanat. — Calcagni pag. 330.

1273. 19. Julii

F. Arnulphus Dei gratia Ecclesiae Humanatensis Episcopus universis praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, Nos anno Domini 1272. mense Junii in Vigilia Apostolorum Petri et Pauli in Urbe veteri concessisse licentiam et plenariam potestatem Patri Ruggiero Lectori fratrum Praedicatorum de Ancona accipiendi locum in Recanati pro Conventu fratrum Praedicatorum inibi moraturorum, ut possint oratorium facere seu jam factum accipere pro fratribus enumeratis habitaturis ibidem ut sibi melius et utile expedire videtur. Et quia postmodum pro nostra licentia sibi dictum locum accepit in Recanati, et Oratorium fecit pro Conventu sui ordinis ibidem habituro, quidquid per ipsum factum est citra praedicta vel aliquem ipsorum ratificamus et confirmamus, et volumus perpetuam firmitatem. In hujus rei testimonium sigillum nostrum duximus praesentibus apponendum. Datum Spoleti in loco fratrum Praedicatorum de Spoleto sub anno Domini 1273. tempore Gregorii Papae X., et die 13. exeunte Julio. Indictione I.

XXVIII.

Ex Archiv. PP. Praedicatorum S. Dominici Recanat.

1276. 12. Maji.

In Xp̃o sibi dilecto fratri Ministro Marchie Anconitane vel ejus Vicario Ordinis fratrum Minorum Frater *Jeronimus* fratrum ejusdem Ordinis Generalis Minister et servus Salutem et pacem in Dño sempiternam. Etsi semper et ubique sit vitanda materia scandalorum, et pax et caritas sit cum omnibus nutrienda, cum illis tamen et ab illis hec sunt observanda precipue quorum vita religionis prefulgens titulo, propter excellentiam gradus aliorum esse noscitur disciplina. Ut igitur pernitiosa discordia inter nos et karissimos fratres nostros Predicatores exorta occasione terrenorum per vos et eos apud Racanetum noviter acceptorum sublata qualibet materia scandali funditus extirpetur, dilectionem vestram requiro, et vobis

nichilominus districte precipio, quatenus de loco novo, hoc est de *Ecclesia Sancti Salvatoris* et domibus ejusdem Ecclesie infra quindecim dies, postquam a predictis fratribus Predicatoribus fueritis requisiti, remoto cujuslibet excusationis obstaculo, fratres nostros recedere faciatis, prefatam Ecclesiam Sancti Salvatoris, et domos et plateas ejusdem et quidquid juris habetis in Ecclesia memorata prefatis fratribus concedendo pro pretio quo sunt empte, facto de hoc eis publico instrumento assignantes eisdem instrumenta collationis Ecclesie vobis facte, ut si opportuerit possint quocumque tempore sua jura tueri. Ne autem . . . . aliis fratribus aliorum Conventuum seu locorum in predicto loco predictos fratres molestari contingat districte precipio fratribus nostri Ordinis universis, ne aliquis postquam inter vos et eos predictum negotium fuerit terminatum, de possessione predicti loci de cetero eos audeat molestare. Fratres autem nostri dilecti Predicatores relaxabunt vobis Triginta Cannas de distantia C. XL. cannarum contenta in privilegio eorumdem, ut possitis comodius quandocumque vobis videbitur ad locum alium vos transferre, confecto inde publico instrumento. Deinde in presentia populi et etiam vestri si volueritis interesse, sententiam contra vos latam revocabunt secundum formam infrascriptam, nullis verbis additis vel mutatis, que forma talis est. Cum questio que vertebatur inter karissimos nostros fratres Minores ex una parte, et fratres nostri Ordinis ex altera, per Venerabiles patres, scilicet Ministrum Ordinis fratrum Minorum, et Magistrum Ordinis nostri sit concorditer et pacifice terminata, propter pacem ad invicem confovendam, et etiam augmentandam, sententiam excommunicationis latam contra fratres Minores de Racaneto per Venerabilem patrem quondam Episcopum Ariminensem tamquam conservatorem privilegiorum Ordinis Predicatorum in provincia Lombardie, et ejusdem sententie publicationem, seu denuntiationem ego talis N. auctoritate Apostolica mihi in hac parte mandata revoco et retracto. Et quia aliqui sapientes dicunt eam nullam esse, et ego dico eam nullam esse ita ut nullum predictis fratribus Minoribus possit prejudicium ex ea in posterum generari. Hec autem omnia supradicta que facienda sunt ex parte fratrum Predicatorum ille vel illi fratres exequentur, qui a Venerabili patre Magistro Ordinis eorumdem per patentes litteras super hoc habebunt speciale mandatum. Vos autem Minister, seu Vicarie, que ex parte vestra facienda sunt, sic diligenter et efficaciter adimplere curetis, ut merito possim vestram obedientiam commendare, et pax et caritas mutua, que occasione predicte discordiae aliqualiter extitit perturbata, subsequente caritatis offitio reformetur et omnis amaritudo preterita oblivione perpetua deleatur. Et ut predicta robur obtineant firmitatis, in omnibus predictis et singulis faciendis Vobis *et* etiam Guardiano Racanatensi qui nunc est sive qui pro tempore fuerit

per presentes concedo plenariam facultatem: Si autem unus vel alter vestrum hiis exequendis interesse comode non possetis per alium vel per alios sine dilatione aliqua exequi faciatis. In cujus rei testimonium nostrum sigillum duxi presentibus apponendum. Datum Romae Anno Dñi M. CC. LXXVJ. IIIJ. nonas Maji.

XXIX.

1285.

In Dei Nomine Amen.

Hoc est exemplum cujusdam exempli quorumdam actorum repertorum in actis Communis Racaneti, quorum tenor talis est.

Die undecima mensis Martii.

In Dei nomine Amen. Infrascriptae sunt res, et Possessiones Ecclesiae Sancti Flaviani olim Episcopatus Racanatensis mensuratae per homines mensuratores infrascriptos silicet per Nicolaum Compagnoni, Thomam Gregorii, Bonaventuram olim de Gabiano. Rigum Bentivolij. Petrum Riczerii. Joannem Thomae, Gilielmum Oratoris. Dominicum Philippi. et Jacobum Lidani ad mensuram et cannam Communis. Silicet XV. pedum pro canna ad decem cannas pro stario, et undecim staria pro modiolo.

In primis habet terram in fundo Fontis Montis juxta viam publicam, et filios Simpritiani M. X. St. VII. terre aratorie.

Item habet in fundo gardeti juxta Castellare gardeti et vias — M. XI. terre aratorie.

Item habet in dicto fundo juxta Dominum Philippum Domini Longini — M. X. — terre aratorie.

Item habet in Consortilis usque ad paludem et Castellum Maris — M. C. (deest aliquid) terre et silve.

Item habet in eodem fundo infra predicta latera — M. L. — prati.

Item in Campo Castaneae juxta filios Simpritiani et viam — M. L. — terre aratorie.

Item a pede dicti campi juxta silvam Communis et paludem — M. CXL. moliecti et prati.

Item habet in contrata torclarie Terre Aratorie juxta filios Simplitiani — M. XIJ. . . . . .

Item habet in contrata gardeti terre aratorie juxta Natoguerram Domini Ruberti, et vias — M. VIII. . . .

Item habet in dicta contrata terre aratorie juxta Jacomellum Andreae et viam — M. IIJ.

Item habet in fundo Sclavunici juxta Thomam Gregorij et terram S. Nicolai terre aratorie — M. XIIJ. . . . . .

Item in fundo gualdelli terre silvate juxta Paulutium Domini Corradi — M. CL. . . . . .

Item habet in dicto fundo terre aratorie juxta Gualdellum — M. VII. et medium.

Item habet in dicto fundo juxta gualdellum dicte terre aratorie — M. II.

Item habet in fundo Morlongi terre aratorie juxta viam, et silvam Episcopatus -- M. XXVI.

Item habet in fundo silve putei juxta Racanatum Marci — M. LX. silve.

Item habet in dicto fundo terre aratorie juxta Racanatum Marci — M. XL.

Item habet ante Grantiam terre aratorie juxta Terram glantie et viam — M. XIJ.

Item habet in dicto fundo terrae silvatae juxta Terram dicti glantiae — M. XX.

Item habet in fundo campitelli terre aratorie juxta viam et glantiam — M. XVIIIJ.

Item habet ante Castellum Montis Zocti juxta dictum Castrum, et vias terre aratorie. — M. XI.

Item habet in fundo ciptade terre aratorie juxta viam, et Christianum Jacobi — M. J.

Item habet in fundo dicto Cictade terre aratorie juxta viam et Nicolaum Simi — M. V.

Item habet in dicto fundo juxta Trasmundum Philippi Terre aratorie — M. J. — St. VIIJ.

Item habet in fundo ciptade juxta Trasmundum Assaloni terre aratorie — M. J.

Item habet in fundo cerri terre aratorie juxta Jacobum Burgi et vias — M. XXIIJ.

Item habet in fundo cortinarum juxta vias — M. LXV. -- St. VII. vineae.

Summa capit octingentos et duos Modiolos et medium, de quibus sunt CCCLXXIIJ. Modioli terre silvate, et de vinea LXV. modioli VII. staria.

Item habet in fundo Montalacis juxta vias, terram dicti Episcopatus et alia latera — M. XXIJ.

Item habet in fundo calcinarij juxta Petrum Magalocti pro nunc, via publicas, et alia latera. — M. XXXV.

Item habet in fundo casarij juxta vias, Thomam Bergagnati, rivum, et alia latera — M. XXV.

Item habet in dicto plano Casarij juxta Thomam Gregorij et alia latera — M. XXI.

Item habet in fundo Montis alacis juxta Dominum Philippum Domini Longini, Thomam Bergagnati, vias, et alia latera — M. XXX. Staria III.

Item habet in fundo cervare juxta vias, rivum, et alia latera — M. IJ. Staria IIII. et medium.

Item habet in dicto fundo cervare juxta vias, filium Ufreduczonis, Rainaldescum Martini et alia latera — M. XXVIIIJ. Staria II.

Item habet in fundo molie Sanctae Mariae juxta terram Ecclesiae Sanctae Mariae de Racanato, flumen Musionis, silvam Communis Racanati, et alia latera — M. XL.

Hoc caput lineis recentioribus deletum est, ita tamen ut perbelle legatur; et inter duas lineas scripturae antiquae legitur scriptum caractere Saeculi XV. et eodem atramento, quo deletio facta est, id quod sequitur.

Dicta est comp(ensata) *Ecclesiae, in pede vinearum dictae Ecclesiae juxta domum Ecclesiae.*

Item habet terram vineatam positam in fundo Sanctae Mariae de Monte juxta vias, filios sanguinj, et alia latera — M. IIII. duo starie et medium.

Item habet in fundo Sancti Eupi juxta viam, Nicolam Manentis, Tharaboctum Benvenuti — M. XXX.

Deletum est etiam sequens eodem atramento ut supra.

Item habet in fundo Meleti juxta fulchetum Acti, viam, et alia latera — M. XIIIJ.

Item habet in fundo Cenzani juxta rivum dolei. Thomam Petri, Andirolum Domini Jacobi, viam et alia latera — M. LXJ.

Item habet in fundo Riagnani juxta Joannem bevenuti pro Uxore, viam, et alia latera — Staria X.

Item habet terram vineatam in fundo Cenzani juxta Thomam Petri, Racanatum Acti, viam et alia latera. — Staria XVIIIJ.

Item habet hortum in Castronovo juxta fossum communis et alia latera, quod est novem Staria.

Summa capit CCCXXIJ. Modiolos, VI. staria de quibus possessionibus sunt sex Modioli ad vineam.

Item habet in fundo Gardeti Sancti Petri, sive Montalaci juxta filios Simpritiani Domini Roberti, et vias — M. XLVIJ. et duo Staria.

Item habet in fundo Valdelane juxta Domninum Philippum Domini Longini — M. IIJ.

Item habet in fundo gualdi juxta vias, et Domninum Philippum Domini Longini — M. CX. Staria VIJ. Ca. IIIJ.

Item habet in fundo Montalis Sancti Joannis de Herculo juxta Domninum Philippum Domini Longini et vias — M. XLVIIIJ. de silva.

Item habet in fundo Arclaris juxta Domninum Leonem Domini Burdonis, viam, et alia latera — M. XIJ. de terra laborata, et M. CLXXXX, Modiolos de silva.

Caput praedictum eodem atramento deletum est, quo alia superius indicata.

Item habet in fundo Laureti juxta Ecclesiam Sanctae Mariae de Laureto et viam — M. IIJ. Staria VIJ.

Item habet in fundo collium cum Ecclesia Sancte Mariae de Racanato — M. VIJ. terre.

Item habet in fundo collium juxta Jacobutium Rainaldi Ugi et filiam Bartolomei Isaj. — M. XXIJ.

Item habet in fundo praedicto juxta Domninum Leonem, et alia latera — M. IIJ. et medium.

Item habet in fundo Sanctae Mariae de Monte juxta vias et filios Jacobi Frogerii — M. XXIJ. vineae.

Duo sequentia capita lineis deleta sunt eodem atramento.

Item habet in fundo plani Musionis — M. CII. Terrae.

Item habet supradicto fundo juxta silvam Communis — M. CLXXXXVIIJ. de silva.

Item in fundo vienigij juxta Simonem Petri, Benvenutum Joannis — M. IJ.

Item habet in plano Mussionis juxta flumen Mussionis, et clusam Molendinorum — M. VI.

Item habet in fundo cerquitini juxta filium Rambertini Domini Palmerij, et viam — M. VIIJ.

Item habet in fundo Sancti Flaviani vecli juxta vias — M. X. duo Staria.

Item habet in dicto fundo juxta vias, sorores de saxo — M. VIJ.

Item habet in fundo provatae juxta filios Thebaldi Compagnoni et viam — M. IJ. Staria VIJ.

Item habet in eodem fundo Sancti Flaviani juxta Actolinum Bernardi — Staria IIIJ. et medium.

Item habet fenariam positam in plano Mussionis juxta filios Baroni — M. VIIJ.

Summa capit settingentos, et decem, et octo Modiolos, et tria Staria, de quibus sunt XLIIIJ. Modioli in vinea, et de Silva CCCXXXV. Modioli, et de Terra laborata CCCXLIIJ. Modioli, et unum Starium et medium.

Summa omnium summarum omnium supradictarum possessionum capit Mille octingentos, et quadraginta tres Modiolos, et tria Staria.

Qui autem mensuratores, silicet Nicolaus Compagnoni. Thomas Gregorii. Bonaventura olim de Gabiano. Rigus Bentivolij. Petrus Riccerij. Joannes Thomae. Gilielmus Oratoris. Dominicus Philippi, et Jacobus Lidani retulerunt Nobili, et potenti Viro Domino Joanni Domini Balioni de Sancto Joanno Potestati Racanatensi, et mihi Notario infrascripto se mensurasse dictas res, et possessiones ad dictam mensuram de mandato dicti Potestatis ut supra plene continetur, ita esse asseruerunt, et rogaverunt me Joannem Thomae Notarium inde facere pulitum Instrumentum.

Ego Joannes Thomae Notarius praedictae relationi interfui, ut supra legitur, et de mandato dicti Potestatis rogatus scribere scripsi, et publicavi sub anno Domini Millesimo CCLXXXV. Indictione XIIJ. tempore Domini Martini PP. IV.

Actum in Palatio supradicti Communis presente Domino Joanne Jacobi. Domino Jacobo Petri. Thoma Aquisti, Ugolino Grimaldi, et Loterio Bonaventurae Testibus. —

Ego Jacobus Lidani Notarius, ut inveni in actis dicti Communis nil addens vel minuens malitiose, sed bona fide, sine fraude de mandato et auctoritate supradicti Domini Potestatis supradicta acta transcripsi, exemplavi, et publicavi sub eodem anno Indictione et tempore, die XIJ. intrante Martio.

Actum in Palatio dicti Communis presentibus Magistro Marco Rainaldi. Ugolino Domini Ugolini. Corrado Jacobi. Victore Boniacursj, et Nicolao Palmeri Testibus. — Loco ✠ Sigilli.

Ego Petrus Verderis auctoritate Imperiali Notarius supradicta acta, ut inveni publico exemplo manu Jacobi Lidani Notarii supradicti transcripta et exemplata et publicata, ita hic de mandato, et auctoritate Domini Balsani Judicis Communis Civitatis Racanatensis fideliter transcripsi, exemplavi, et in publicam formam redegi, signo tamen supradicti Jacobi Lidani Notarii praetermisso. Sub anno Domini millesimo CCLXXXXIJ. Indictione V. Romana Ecclesia Pastore vacante. Die X. Madji. Actum in Palatio Communis Civitatis Communis praefati. Presentibus Gregorio Victoris Notario. Marcovaldo Thodini Notario. Jacobutio Joannis Alegij Notario. Angelutio Jacobi Notario. et Racanutio Morici Notario Testibus.

— In parte exteriori hujus Pergamenae sequentia scripta reperiuntur. —

Millesimo CCCCLXVIJ.° indictione XV. tempore Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Pauli divina providentia Pape II. die XXIJ. Novembris. Casse de dicto Inventario de mandato Domini Episcopi Racanatensis, quatuor partite dicti Inventarij, quia recompensam recepit a Communi Racanatensi, et bene per me Vannem Cancellarium presente Domino Vicario prefati Domini Episcopi — V. Cancellarius —

XXI.

Ex Archiv. secr. Civit. Recanat.

1289. 1. Decembris.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei Dilecto filio Neapuleoni Sancti Adriani diacono Cardinali Salutem et Apostolicam benedictionem. Licet dudum civitas Racanati ob culpas aliquas incolarum ejus fuisset per Sedem Apostolicam Episcopalis dignitatis honore privata, supplicantibus tamen postmodum Commune dicte Civitatis multiplicatis instantiis nonnullis ex Predecessoribus nostris Romanis Pontificibus et nobis etiam postquam nos ad Apostolatus apicem potentia divina provexit, ut civitatem ipsam ad hujusmodi dignitatem restituere dignaremur, Nos attendentes, quod, sicut magni beneficii indicium excessibus persecutorum ecclesie medicinalis ultionis antidotum est obiter adhibere, ut quos a fidelitatis ecclesie calle culpa proprie temeritatis avertit . . . . ad ipsius fidelitatis constantiam congruentis saltem severitatis disciplina convertat, sic materne pietatis est debitum hiis, qui post indevotionis lapsum et persecutionis excessum fortiores in obsequendi proposito et continuande in posterum devotionis exhibitione resurgunt, nec ejusdem pie matris ecclesie sinum precludere, nec miserationis ipsis ubera denegare ac propter hoc ad homines Racanat. utpote *ipsius Romane Ecclesie speciale peculium* et fideles, qui dudum a viis mandatorum domini et ecclesie prefate obedientia deviantes, nunc autem errores malorum temporum redimentes sicut tenentur et debent per exhibitionem bonorum operum facti sunt ipsius Ecclesie benedictionis filii et ejus gratie non indigni paterne benignitatis oculos dirigentes, dictam Civitatem Racanat. de fratrum nostrorum consilio ad dignitatem Episcopalem auctoritate apostolica restituimus de gratia speciali quedam circa territoria que fuerant de diocesi Humanatensi eidem Racanatensi Ecclesie pro sua diocesi concedendo. Nos itaque volentes, quod eidem Ecclesie Humanatensi pro bonis temporalibus de ipsius diocesi subtractis a predicto Communi Racanatensi de quorum honore precipuo agitur in hac parte, qui etiam nonnulla de bonis ejusdem Ecclesie Humanat. preteritis temporibus receperunt, competens satisfactio impendatur, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus predictum Commune quod pro restauratione dampnorum hujusmodi sex milia florinorum auri eidem ecclesie Humanatensi sublato cujuslibet dilationis et difficultatis obstaculo exhibere procurent monitione premissa per excommunicationis in personas majorum dicte Civitatis Racanatensis et in Civitatem ipsam interdicti sententias appellatione remota compellas. Volumus tamen, quod hujusmodi auri quantitas in emptionem seu acquisitionem possessionum

utilium ad opus ipsius Ecclesie Humanatensis integraliter convertatur. Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem Kalendis Decembris Pontificatus nostri anno secundo.

XXXI.

Ughelli T. 1. — Reg. Vatic. — edidit Calcagnius p. 125.
V. Bullar. Dominic. T. 2.

1289. 12. Decembris.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei
Dilecto fratri Salvio Episcopo Recanaten.

Quoniam humana conditio tanquam vas figuli fragilitati subjecta, varietate agitata fluctuum de facili errat a via, errantibus filiis ad matris redeuntibus gremium, veri patrisfamilias exemplo delectamur occidere vitulum oleo misericordiae saginatum. Dudum siquidem Recanatensis populus velut tunc degeneres filii adversus Romanam Ecclesiam matrem suam, et dominam alas detestabilis elationis distendens ipsam, persecutoribus ejusdem Ecclesie adhaerendo, variis persecutionis jaculis et insecutionis artibus, quantum in eis fuit, sategit, proh dolor, notabiliter vacillare, propter quod fel. record. Urbanus Papa Praedecessor noster tactus nimium dolore cordis intrinsecus adversus ejusdem populi obstinationem paterna provocatione consurgens, et ejusdem populi volens cum misericordia tam detestabiles admodum in eandem Ecclesiam commissos excessus virga castigationis debite castigare, ut castigati denique ejusdem Ecclesiae gratiam possent facilius per humilitatis misterium promereri, Civitatem Recanaten. Episcopalis dignitatis titulo de fratrum suorum consilio privavit perpetuo, qua ipsum tunc Castrum Sedes Apostolica gratiose insigniverat. Postmodum quidem idem populus juxta illud Apostoli, non mortificati sed castigati, hujus suarum humiliter culparum poenitentiae lacrymis et doloris suspiriis diu peractis, ac satisfactionis remediis et sincerae devotionis suffragiis laudabiliter abolentes ad ejusdem Sedis pietatem humiliter accesserunt, restitutionem dignitatis hujus humilius et instantius flagitantes. Nos itaque in hac parte propheticum sequentes eloquium, miseratio ejus videlicet super omnia opera ejus, ac propterea volentes paterno affectu correctis filiis misereri, eosque consolari concessione petitae gratiae, miserando dignitatem Episcopalem restituimus de fratrum nostrorum consilio Ecclesiae Recanatensi praefate, ipsam statuendo Ecclesiam Cathedralem. — Unde de ipsius salutari ordinatione tanto solertius cogitantes, quanto ea diutius proprii Pastoris destituta solatio inter gravia dispendia conspicimus fortius languere, meritorum investigatione praemissorum in te fratrem Ordinis Praedicatorum professorem utpote virum vitae laudabilis, conversationis honestae,

discretionis maturitate conspicuum, et spiritualium et temporalium providentia circumspectum duximus oculos nostrae mentis. Quare sperantes in illo pastore qui *aliorum* argento et sine ulla commutatione pascit universos abunde, quod praedicta Recanatensis Ecclesia sub sollicitudine tui regiminis spiritualia et temporalia authore Domino proficiet incrementis te ipsi Recanatensi Ecclesiae de fratrum nostrorum consilio in Episcopum praeficimus et Pastorem tibique subsequenter per Venerab. fratrem nostrum Latinum Ostiensem Episcopum fecimus munus consecrationis impendi. Rogamus itaque fraternitatem tuam per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad dictam Recanatensem Ecclesiam in spiritu humilitatis accedens ipsius curam sic agas sollicite, sic eam prudenter gubernare studeas, sic diligenter tibi oves creditas ab invasoris insultibus custodire, quod tuis actibus super iis apud Deum et homines plenius Laudibus constitutis retributor omnium hominum Deus una cum tuis subditis supernorum civium constituat te collegam. Datum Romae apud S. Mariam Majorem II. idus Decembris anno II.

XXXII.

Ex Archiv. Eccl. Cathedr. Septempedanae libr. A. N. 90. *et* 328.

1290. 27. Sept.

N. 90. — A. 1290. Indict. 3., Pontificatus D. N. D. Nicolai pp. IV. anno 3. die 27. m. septemb.

Constitutus coram Ven. viro M. Matheo canonico Asisino. M. anc. super spiritualibus Rectore Matheus de Matelica Syndicus et procurator abbatis et conventus Monast. Vallisfocine et Dp. Manentis prioris eccl. S. Joh. de Pertica hanc appellationem in scriptis interposuit.

Coram vobis etc. Matheus M. Junte de Matel. syndicus substitutus a fr. Jacobo monacho et syndico etc. proponit et dicit, quod nunc de novo ad notitiam et scientiam dictorum abbatis et prioris etc. pervenit, quod Ven. P. fr. Salvus Ep. Racanet. provisit subito et ex abrupto ad instituendum . . . . . et instituit de facto quosdam seculares sc. Oddonem alias dictum Bectum de Urbe, Jacobellum Berardi, franciscum gentilis de Perusio in clericos et praebendatos in dicta Ecclesia S. Joh. de Pertica de Racanato, et quosdam alios et quandam ordinationem fecit ibidem, et eos in possessionem immisit, quae omnia ipse syndicus dixit esse nulla et facta contra jus etc. cum praedicta Ecclesia pertineat immediate ad Monast. vallisfocine etiam quoad institutionem et destitutionem et etiam ordinationem ipsius tam ex privilegiis papalibus quam ex concessionibus factis dicto Monasterio per dominos olim dictae ecclesiae et ex fundatione et concessione patronorum quam etiam ex longa et longissima consuetu-

dine . . . . . et cum ecclesia praedicta semper regatur et gubernetur per priorem institutum per dictum abbatem, non potest nec potuit indebite gravari de novo aliquibus praebendatis et maxime saecularibus cum per Monachum regatur, et quia praedicta facta fuerunt dictis Abbate, Priore etc. irrequisitis et non citatis, ideo dictus Syndicus a dictis institutionibus ordinationibus etc. factis a d. D. Episcopo tanquam injustis et iniquis appellat ad curiam etc.

Ex Interrogatoriis

N. 328. — Dp. Simon conversus Monast. Vallis foc.

Ad 1. dicit se ante 50. annos et plus a D. Sanguino Episc. Humanensi in eccles. S. M. de Humana ordines minores, sc. Lectoris, et Ostiarii in una vice, et exorcistae et subdiaconi in alia recepisse de mense sept. die sabbati, et vidisse ordinari Dp. Germanum, et Dp. Stefanum, et Dp. Marcum de Racaneto.

Ad 2. nuntius Episc. Humanensis veniebat ad terram Racaneti et recipiebat decimas et primitias a clericis, et Episc. ipse venit Racanetum ad crismandum pueros et ad ordinandum clericos. decimas dederunt Dp. Simon follis, Dp. gagameus, Dp. Sabinus et omnes alii.

Ad 3. se vidisse chartas in quibus *Arnulfus Onori* testamentum faciebat et Monastero vallisfocinae dimittebat Eccles. *S. Joh. de Pertica.* dictam ecclesiam sitam fuisse juxta castrum de *aquis vivis* per medium milliare, quod castrum erat d.[1] Arnulfi, eo autem subverso Arnolfum dedicasse se et sua monasterio. — Dompnum Ugolinum vero abbatem transtulisse ecclesiam in burgum Racaneti de consensu D. Episcopi Humanensis ante 70. annos et plus: se esse 110. annorum, et plus, et recordari de 100. annis.

XXXIII.

Archiv. Eccl. Cathedr. Recanat.

1290. 14. April.

Venerabilis pater *frater Salvus Racanatensis Episcopus* attendens et considerans honestam vitam et laudabilem conversationem Religiosorum virorum *fratris Accurrimbone* Prioris et aliorum fratrum ordinis sancti dominici commorantium in civitate Racaneti in ecclesia, cujus vocabulum . . . . sancti dominici nuncupatur positam post palatium communis dicte civitatis, considerans etiam magnam paupertatem et pecuniam qua ipsa ecclesia sancti Dominici premebatur, et quod ipsa ecclesia sancti Dominici quasi nichil habebat extra muros, sed ab omnibus suis finibus ultra modum debitam et reverentiam tam sancte Religionis et ordini debitam artabantur, Ad reverentiam Dei et ordinis sancti Dominici, ut possent ipsius Ecclesie statum et penuriam relevare, dedit, univit, et concessit, atque donavit,

submisit et incorporavit, et tam unionis titulo quam omni alio modo, quo melius de jure valere potest, ipsi Priori recipienti pro se et suis confratribus presentibus et futuris et ipsa Ecclesia in perpetuum *Ecclesiam Sancti Gregorii* cum omnibus domibus ipsius Ecclesie et parochia, seu parochianos, qui ad ipsam Ecclesiam Sancti Gregorii pertinent seu pertinere possent quacunque occasione modo vel causa, positam in civitate Racanati, a primo latere fossatum communis, a secundo et tertio *Andriolus* et *Auximanus Domini Petri* ut de cetero ipsa ecclesia cum omnibus suis domibus, parochianis et jure parochie ipso facto et jure recta via incorporata atque submissa et donata, et transeat quoad proprietatem, possessionem et dominium in ipsum Priorem, et Ecclesiam Sancti Dominici. Et de cetero liceat ipsi Priori et aliis qui per tempora fuerint in dicta Ecclesia sancti Dominici, dictam Ecclesiam sancti Gregorii cum omnibus domibus et parochia seu parochianis spectantibus ad ipsam ecclesiam sancti Gregorii intrare auctoritate propria, destruere et in plateam seu cimiterium reducere et ad usum et commodum et utilitatem ipsius ecclesie Sancti Dominici, quam unionem, dationem, concessionem, donationem, submissionem, et incorporationem, et omnia et singula supradicta fecit ipse Dominus Episcopus prefato Priori pro ipsa ecclesia sancti Dominici recipienti causa pietatis; et quia ipsa Ecclesia sancti Gregorii tanta erat paupertate depressa, quod de suis proventibus vix poterat unum clericum substentare. Promittens ipse dominus Episcopus per se suosque in Racanatensi Ecclesia successores predicta omnia observare et in nullo tempore contra facere vel venire aliqua occasione modo vel causa sub pena centum marcharum argenti, qua exacta soluta vel non . . . . . unio, datio, donatio, incorporatio, submissio, et concessio et omnia et singula supradicta *protra* (perpetuam) nichilominus obtineant firmitatem. Excommunicans ex nunc ipse dominus Episcopus in hiis scriptis omnes et singulos qui contra predicta vel aliquod predictorum de jure vel facto facere vel venire presumerent; universitatem vero seu Collegium quodcumque contra premissa venire temptaverit, ex nunc ecclesiastico supposuit interdicto. — Insuper pateat universis, quod congregato Capitulo et Canonicis Ecclesie Cathedralis, silicet *Domino Corrado Archidiacono,* dompno *Benedicto,* dompno *Amodeo*, dompno *Petro*, Domino *Tholomeo*, domino *Corrado*, domino *Jacobo fantebone,* dompno *Jacobo Ranerii,* dompno *Acto*, *Petrutio* nomine suo et nomine domini *Frederici Nicolai, Gentelutio francisci*, *crescentio domini Grimaldisci*, Domino *Berardo de Camera* nomine suo et nomine Dompni *Damiani,* Domini *Ranaldi Petri,* Domino *Lamberto Pellegrini de Exculo,* et *Jacobutio Jacobi Nicolai* unanimiter et concorditer nullo aliquo discrepante eorum propria et bona voluntate pro se et suc-

cessoribus suis ratificaverunt, acceptaverunt, et confirmaverunt unionem, incorporationem seu submissionem et donationem factam per Venerabilem patrem Dominum fratrem Salvum dei gratia et Apostolice Sedis Episcopum Racanatensem factam et factas de Ecclesia Sancti Gregorii de Racaneto cum loco seu monasterio fratrum Predicatorum loci sancti Dominici de Racaneto. Insuper predictus Dominus Berardus Canonicus Racanatensis syndicus Archidiaconi predicti et capituli memorati omnia et singula supradicta rata et firma omni tempore habere et tenere et in nullo contra facere vel venire aliqua ratione vel causa in anima sua et omnium predictorum jure jurando corporaliter tacto libro jurayit. Actum in Civitate Racanatensi in palatio dicti domini Episcopi, presentibus Domino *Citadino de Pregio auditore dicti Domini Episcopi*, fratre *Manfredo de Monte Rubiano*, Domino *Jacobo Ranerii, Andriolo Domini Petri, Bartulo Bartholomei . . . . . tio Pascalecti*, fratre *fantigino de ripatransonis*, et aliis multis. sub anno Domini M. CC. LXXXX. die XIIII. mensis Aprelis tertie Indictionis, Pontificatus Domini Nicolai Pape quarti anno tertio. — Ad cujus loci Beati Dominici evidentiamque cautelam, Nos frater Salvus Racanatensis Episcopus hoc presens documentum fieri fecimus nostro pendenti sigillo munimine roborari. Anno domini, die, mense, et Indictione predictis.

— Pendet adhuc e pergamena sigillum cereum Salvi Episcopi figurae ovalis, in cujus medio extitisse figuram Episcopi benedicentis è vestigiis residuis facile intelligitur. In circuitu sequentes adhuc litterae conspiciuntur.

✠ S....S: SĀLVI: D'.....
EPI: RĀCĀ.....EN.....

XXXIV.

Apud Illm̃. D. Com. Benedictum Carradori.

1292. 3. Maji.

In Dei nomine amen. Anno domini M. CC. LXXXXII. indictione quinta Romana ecclesia pastore vacante. die tertio Madii. *Matheus Roberti* sanus mente quamvis eger corpore nolens decedere intestatus suarum rerum et bonorum per presens nuncupativum testamentum facere procuravit, inprimis quidem pro anima sua pro mortuorio reliquid XX. solidos Ravenn. et Ancon. secundum consuetudinem Racanati. Item pro cera reliquid tres libras dicte monete. Item circa funus et sepulturam inter clericos et pauperes reliquid quatuor libras dicte monete. Item loco *fratrum minorum* reliqid C. solidos pro missis cantandis, et ibidem elegit suam sepulturam. Item reliquid sorori *Mathie* filie sue existenti in mo-

nasterio *sancti Nicolai* omnes fructus terre posite in fundo *Parriani* juxta *Simonem Michaelis*, filios *Ranaldi Lamberti* et alia sua latera, et hos fructus reliquid jure institutionis, legitime, falcidie, et tribialice, et ipsis fructibus et in denariis et rebus, quas secum detulit, quando ingresa fuit monosterium, sibi heredem instituit atque fecit, et voluit et ju . . . quod esset tacita et contenta de suis bonis mobilibus et immobilibus, et dictos fructus reliquid donec vixerit, post obitum dicte Mathie voluit ut deveniret dicta terra in *Diambram* filiam suam vel suis heredibus. Item sorori *Cataline* existenti in monosterio sancte *Marie Madalene* pro suis necessitatibus reliquid centum solidos dicte monete. Item reliquid loco *sancti Dominici* X. solidos. Item loco *sancti Laurentii* X. solidos dicte monete. Item Monosterio *sancti Nicolai* X. solidos. Item loco sancte *Marie Madalene* X. soldos. Item loco *sancti Mathei* X. soldos pro suis necessitatibus dominarum supradictorum locorum. Item monosterio *Sancte crucis* V. soldos. Item loco dominarum *Sancte Agathe* V. soldos. Item loco dominarum *Sancte Margarite* V. soldos. Item reliquid *cuilibet carceri* istius terre duos solidos dicte monete. Item loco dominarum *sancti benedicti* V. solidos. Item locis dominarum existentibus juxta *campum tabocti* (lege: *tarabocti*) cuilibet eorum locorum V. soldos dicte monete. Item *Ospitali a porta Sancte Marie* duos soldos. Item *Ospitali sancti spiritus* duos soldos. Item sorori *Cateline* filie *Guilielmi Pulcini* X. soldos pro sua necessitate. Item reliquid sorori *Madalene* filie thomei V. soldos, quos denarios omnes supradictos reliquid monosteriis supradictis pro necessitatibus suarum dominarum. Item fratri *Mansueto* filio domini *Stefani* reliquid V. soldos pro sua necessitate. Item fratri *Guilelmo Jacobi domini frogerii* V. soldos. Item *fratri Johanni regulariorum* V. solidos. Item fratri *Gualterio* de ordine minorum de Racanato V. soldos. Item reliquid *Oradie Acti* V. solidos. Item reliquid *bevenute Racanati* V. soldos. Item reliquid ecclesie *sancti flaviani* XL. soldos pro missis cantandis pro satisfactione decimarum et primitiarum. Item *fraternitati Continentium* V. soldos. Item fraternitati *Notariorum* . . . . soldos. Item sorori *Jacobe* existenti in monosterio sancte Marie Madalene quinque soldos. Item reliquid *Johanni de Antignano* V. soldos. Item reliquid *Jacobelle* existenti cum *todino* V. soldos. Item reliquid *Altadiane Johannis*, XX. soldos jure legati. Item reliquid ecclesie *Sancti Johannis Pertice* V. soldos. Item reliquid Ecclesie *sancte Marie* de Racanato X. soldos. Item reliquid filiis *Acducte* X. soldos jure legati. Item reliquid sorori *Margarite domini Stefani* V. soldos. Item reliquid *donno Corrado* III. soldos. Item reliquit *bartholutio thome* unum pedem orti incipiente a termino *venture Acti* a medio usque ad terminum *jordani diambre*. Item reliquid *Thebaldutio* filio *domine Joanne* sue neptis unum modiolum fenarie posite in fundo

parani mussionis juxta ipsum thebaldutium, *Dominum Guilelmum Accurri*, et dominum *Monaldum domini Girardi* jure legati. Item reliquid *Angelo fragavarino* unum modiolum dicte fenare jure legati. Item reliquit *Actoni Riccabelle* et heredibus *Jacobi Angeli* et *Albrici* filiis predicte domine Riccabelle totam residuam fenariam remanente a thebaldutio et ab Angelo supradictis pro satisfactione rerum quas habuit facere cum dicto Actone et ejus fratribus, quos denarios omnes supradictos dari et distribui voluit per *Robertum* filium suum et *Salimbene Guilelmi*, quos suos fideicommissarios constituit atque fecit, quibus dedit licentiam liberam et potestatem previssimam vendendi et alienandi de suis bonis mobilibus et immobilibus pro dictis denariis inveniendis et solvendis pro ipsius anima ut superius dictum est. Item reliquid filie sue domine *benedicte* terram et vineam totam positam in fundo *maliati* juxta *Jacobutium jacobi tinti*, *Guidonem rogate, Johannem bevenuti*, viam et alia sua latera, et ipsa terra et vinea et in dote sibi ab eo data tempore contracti matrimonii sibi heredem instituit atque fecit, et de hiis voluit et jussit ipsam omni tempore esse tacitam et contentam omnium suorum bonorum pro sua parte mobilibus et immobilibus, et supradictam terram et vineam reliquid sibi jure institutionis legitime, falcidie, trebelianice et omni jure quo petere posset vel alia persona pro ea. Item reliquid filie sue domine *Margarite* terram totam positam in fundo *Casalis* juxta *franciscum bevenuti, rivum anase*, et alia sua latera, et in ipsa terra et dote sibi ab eo data tempore contracti matrimonii sibi heredem instituit atque fecit, et de hiis voluit et jussit ipsam omni tempore esse tacitam et contentam pro sua parte omnium suorum bonorum, et supradictam reliquid jure istitutionis legitime falcidie et trebellianice et omni jure quo petere posset vel alia persona pro ea. Item reliquid filie sue *Diambre* terram totam positam in fundo *serre bagnoli* juxta filios *Guilielmi morici* et vias, et domum cum orto positam in contrata *capitis Racanati* juxta *bartholutium thome egidii, Jordanum diambre*, et *margaritam* filiam suam cum medietate muri pro indiviso, et in ipsa terra et domu, et dote sibi ab eo data tempore contracti matrimonii sibi heredem instituit atque fecit, et de iis voluit et jussit ipsam omni tempore esse tacitam et contentam pro sua parte omnium suorum bonorum, et dictam terram et domum reliquid jure istitutionis, legitime, falcidie, et trebellianice, et omni jure, quo petere posset vel alia persona pro ea. Et predictarum petiarum terre et vinee relictarum a dicto testatore videlicet domine *benedicte*, domine *margarite*, et domine *diambre* voluit dictus testator, quod *Robertus* et *Salimbene Guilielmi* haberent primos fructus de unaquaque petia terre et vinee tanquam fideicommissarii, ita tamen, quod predicte filie sue sint contente in predictis rebus, ita quod non possint

petere de bonis dicti testatoris amplius occagione alicujus portionis legitime vel successionis matris ipsarum domine *bionde* nec in rebus et bonis datis et concessis filio suo Roberto aliqua occagione vel causa. Et si contrarium facerent vel attentarent vel moverent, aut aliqua persona pro aliqua earum, predicte res sibi superius dimisse deveniant in dictum Robertum, vel in quem voluerit dictus Robertus. In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, realibus et personalibus, utilibus et directis, competentibus vel competituris, Robertum suum filium sibi heredem istituit atque fecit, et hec est ultima sua voluntas, et si aliquod aliud testamentum fecisset, vult illud esse cassum et vanum, et nullius valoris, et istud habere privissimam firmitatem, et si non valeret jure testamenti, valeat jure codicillorum vel cujuslibet alterius ultime voluntatis. Actum in domo dicti Mathei presentibus *Petrutio Virdoris* qui se sucscribere debebit, *Philipputio Johannis, bartholomeo Acti, Phylippo Ranaldi, Rubeo johannis, benedicto Petri, Angelo phylippi, et Dominico Johannis scambii* testibus rogatis et ad hec vocatis.

Ego franciscus Simonis pulcini Imperiali auctoritate Notarius hiis omnibus interfui rogatus scripsi et publicavi.

Ego Petrus Verdoris auctoritate inperiali notarius hiis omnibus interfui, et me testem cum meo singno subscripsi.

XXXV.

Ex Regesto Bullarum Bonifacii PP. VIII. ann. II. epist. 178.

1296. 7. Maji.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri . . . . Episcopo Mimatensi Marchiae Anconitanae Rectori salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster Gerardus Episcopus Humanas proposuit coram Nobis, quod felicis recordationis N. Papa quartus praedecessor noster tempore quo Episcopum Civitati Recanatensi de novo praefecit, omnes possessiones et quidquid juris habebant in spiritualibus et temporalibus Episcopus et ecclesia Humanatensis in praedicta civitate Recanatensi et ejus territorio usque ad flumen Muscionis eidem Ecclesiae Recanatensi concessit, volens dioecesim Recanatensem usque ad fluvium praedictum extendi, ac prudenter attendens, quod praedicta ecclesia Humanas ex concessione hujusmodi erat nimium in suis facultatibus diminuta, in recompensationem possessionum et jurium hujusmodi sibi taliter subtractarum Communi praedictae civitatis Recanatensis mandavit, ut sex millia florenorum auri pro emendis possessionibus ad opus ipsius Ecclesiae Humanatensis ipsi Humanatensi Ecclesiae exhiberent dilecto filio Napoleone Sancti Adriani Dia-

cono Cardinali sibi super hoc executore per suas sub certa forma litteras deputato; et licet *Nicolaus Christiani, Natum pace Girardi,* et *Simoninus Bonaccursi* cives et Mercatores Anconitani pro praedicto Communi promisissent praedicto Episcopo Humanatensi praefata sex milia florenorum auri usque ad sex annos ex tunc computandos quolibet anno videlicet mille florenos certis terminis exhibere, confitendo hujusmodi quantitatem pecuniae ab ipso Episcopo pro dicta Humanatensi ecclesia in deposito se habere, et nichilominus *Maynettus Rubei, Bonjacobus Michaelis, Benvenutus Jacobini, et Marcus Raynaldi Barilis* cives et Mercatores Recanatenses simili modo promiserint facere et curare, quod praedicti Mercatores Anconitani hujusmodi pecuniam solverent eidem Episcopo Humanatensi terminis supradictis, et tam ipsi ad id, quam iidem Mercatores Anconitani ad solutionem hujusmodi pecuniae se ac heredes suos voluntarie obligarint, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, non tamen sunt ipsi Episcopo nisi mille nongenti et viginti floreni auri de dicta pecunia persoluti, quanquam quinque anni et amplius sint elapsi. Unde Venerabilis frater noster Raymundus Episcopus Valentinus tunc Marchie Anconitanae Rector, ad quem dictus Episcopus Humanas habuit super hoc recursum in praefatos Anconitanos et Recanatenses Mercatores, quia citati propter hoc legitime coram eo in praefixo sibi termino competenti peremptorio comparere contumaciter non curarunt, excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit, quam iidem Mercatores animis sustinent induratis. Quare dictus Episcopus Humanas nobis humiliter supplicavit, ut opportunum super hoc adhibere remedium curaremus. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi de plano, sine strepitu et figura judicii constiterit de praemissis, praedictos mercatores tam Anconitanos quam Recanatenses ac heredes illorum, qui dicuntur interim decessisse, quod memorato Episcopo tria millia florenorum, in quibus pro praeterito tempore sibi et eidem ecclesiae Humanatensi tenentur ad praesens, sine difficultate persolvant; de residuis vero mille florenis, cum terminus solutionis de illis faciendae mercatoribus ipsis praefixus advenerit, plenariam satisfactionem impendant monitione praemissa spiritualiter et temporaliter, prout expedire videris, appellatione remota compellas, proviso, quod dicta pecunia in utilitatem bonorum immobilium dictae ecclesiae convertantur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum — nonis Maji, Pontificatus nostri anno II.

XXXVI.

Ex Archivio Conventus S. Francisci
PP. Min. Conventualium Recanati.

1300. 25. Sept.

In dei nomine. amen. Anno domini millesimo CCC.° Indictione XIII. tempore domini Bonifatii Pape VIII. die XXV. septembris. Venerabilis Pater et Dominus Dominus *frater Salvus* Dei et Apostolice Sedis gratia Racanatensis Episcopus fuit confessus et contentus se habuisse ac sibi integre datas solutas et numeratas esse a *Jacomello Homodei* dante et solvente nomine *Thedelgardi Gradaloni et Monasterii Sancti Benedicti,* et pro ipsis Thedelgardo et Monasterio ducentas et viginti libras Ravenn. et Ancon. de debito seu parte debiti CCC. librarum Ravenn. et Ancon. in quibus dictus Thedelgardus ipsi Domino Episcopo tenebatur, ut patet instrumento scripto manu Philippi Capatii de Sancto Justo Notarii protestans tamen et asserens se ipsas ducentas et viginti libras Ravenn. et Ancon. se recepisse et de ipsis sibi solutis confiteri salvo omni jure suo ante solutionem et post tam in residuo dicti debiti quam penis, dampnis et interesse totius ejusdem debiti et omnibus et singulis aliis in dicto instrumento promissis computatis in dicta quietatione CC. et XX. libris Ravenn. et Ancon. facta dicto Jacomello Homodei recipienti ut supra omnibus aliis quietationibus hinc inde factis per ipsum dominum Episcopum vel alium ejus nomine dicto Thedelgardo vel alio suo nomine vel nomine dicti monasterii de dicta quantitate CCC. librarum vel parte ipsius quantitatis. Et renuntiavit exceptioni sibi date et non solute et non numerate quantitatis predicte CC. et XX. libr. et omni alii auxilio, nec non promittens sollempni stipulatione dicto Jacomellò recipienti et stipulanti nomine et vice dicti Thedelgardi et dicti monasterii predictam solutionem quietationem et omnia et singula suprascripta firma et rata habere et tenere et non contrafacere vel venire per se alium aliqua ratione vel causa de jure vel de facto sub pena dupli dicte quantitatis pecunie stipulanti promissa et ea pena soluta vel non rata et firma maneant omnia et singula suprascripta. Actum in *Palatio Episcopatus Racanat.* presentibus Andriolo Domini Petri, Jacobo Lidani, Ugolino Ugi, Domino Palmerio Jacobi, Actulo bevenuti, Santesio Ugi, et dicto Jacomello Notario qui se subscribere debet, testibus rogatis et vocatis ad hoc.

L. S. — Ego Petrus Verdoris auctoritate imperiali Notarius hiis omnibus interfui, rogatus scripsi et publicavi.

XXXVII.

Archiv. Conventus S. Francisci PP. Min. Conventual. Recanat.

1304. 27. Augusti.

In Christo sibi dilectis ac Deo dicatis Domine Scolastice Abbatisse nec non et Philippe, Lucie, Marine, Johanne, Symonitte, Alluminate, Andree, Ysaie, Margarite, Francisce, Agneti, Katarine, Thomassie, Johannole, Jacobe, cecilie, Lucie, pacifice, Angelutie sororibus monasterii *Sancte Marie Magdalene seu Sancte Helye de Racan.* frater Raynaldus fratrum minorum provincie Marchie Ancon. minister et servus in Christo Jesu salutem. Cum hactenus a longo tempore per plures nuntios fide dignos religiosos ac per licteras speciales a vestra devota instantia et caritate ac fervore spiritus fuerim non sine multis precibus sepe actentius requisitus, quod vobis concederem regulam Sancti Damiani ordinis Sancte Clare, et nunc in monasterio vestro constitutus in vestra presentia coram pluribus viris religiosis et secularibus viva voce flexis genibus ac manibus cancellatis et inclinato capite a Vobis omnibus et singulis pro eadem concorditer et humiliter sim rogatus, volens pro salute animarum vestrarum ac vos aliarum sequentium in futurum vestris annuere piis votis ad tam ferventem et magnam vestrarum precum instantiam totiens replicatam, ex vigore ac auctoritate regule tradite et concesse a Santissimo patre summo Pontifice Domino Innocentio papa quarto, que regula sic incipit: Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christi filiabus etc. — Cum omnis vera religio etc. et infra vestris piis precibus inclinati beati francisci regulam quantum ad tria etc. et infra circa finem regule: nec aliqua monasteria vestri ordinis de cetero ab aliquibus inchoentur sine capituli generalis ordinis memorati videlicet fratrum minorum licentia et assensu, etc. nec non et auctoritate generalis capituli ac generalis ministri Ordinis nostri habita licentia et optenta per licteras speciales quarum tenor talis est. In Christo sibi Karissimo Ministro fratrum provincie Marchie anconitane. frater Gunsalvus ordinis fratrum minorum generalis minister et servus salutem et pacem in domino sempiternam. De voluntate et assensu et consilio generalis capituli Assisii celebrati anno domini M. CCC. IIII. tue dilectioni concedo plenius sicut possum, et ut mihi committitur ex auctoritate regule, quod dominabus Monasterii Sancte Marie Magdalene seu Sancte Helye de Racanato possis concedere et dare regulam Sancti Damiani secundum formam et modum, qui in eadem regula continetur, in cujus rei concessionis et dationis testimonium presentes licteras tibi transmitto sigillo generalis ministri seu officii roboratas. Vale in domino et ora pro me. Data in loco sacro sancti francisci de Assisio quinto Kalendas Junii. — Invocata spiritus

sancti gratia cujus instinctu et fervore ducimini, et ubi talis spiritus ibi libertas, nam qui spiritu dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo, vobis singulis et omnibus presentibus, asserentibus et protestantibus, quod hoc non ex temeritate vel aliqua levitate facitis seu presumptione aut in injuriam alicujus nec pretestu majoris religionis et ordinis, sed vere omni firmitate, qua firmari melius potest sine omni fictione permista ad frugem melioris vite et sanctioris ac artioris transire cupitis, ut deo pro salute vestra in fervore spiritus sancti vos inspirantis et invitantis per artas vias consiliorum possitis incedere, ut vite bravium optineatis eterne. Et quia caritas spiritus sancti est fons proprius, cui non communicat alienus, et intentio mea non est nec audeo impedire tam sanctum propositum vestris mentibus divinitus inspiratum, sed potius ob reverentiam ipsius spiritus et amorem vobis omnibus presentibus et futuris eam voventibus, et que voluerint ipsam regulam promittere et observare, trado, concedo, et do, prout melius tradi, concedi, et dari potest, ut deinceps vos et alie ipsam regulam profitentes possitis religiose et ordinate ac sancte et artius vivere in fervore ipsius spiritus sancti et vigore secundum modum et formam, que in eadem regula continetur clarius et distinte. In cujus regule traditionis concessionis et dationis testimonium et ad perpetuam rei memoriam has litteras omnibus tradidi et concessi publice coram multis secularibus viris et mulieribus nec non religiosis presentibus roboratas cum appensione sigilli mei officii. Datum in predicto Monasterio Sancte Marie Magdalene seu sancte Helye, sexto Kalendas Septembris anno domini M. CCC. IIII. sede vacante.

XXXVIII.

Archiv. Civitat. Recanat.

1315. 23. Octobr.

In dei nomine. Amen. Hec sunt condempnationes et sententie condempnationum, date, late, et pronuntiate per sapientem et discretum virum Dominum Jacobum de Nursia judicem in Anconitana Marchia super maleficiis generalem per Venerabilem virum dominum Vitalem archidiaconum Camerinensem per Sanctam Romanam Ecclesiam marchie Anconitane super spiritualibus et temporalibus generalem Rectorem et scripte per me Acervoctum Rigicti de Monte granario Notarium et nunc ad officium maleficiorum curie dicte provintie deputatum. Sub annis domini millesimo CCC. XV. Indictione XIII. Ecclesia Romana pastore vacante.

Nos Jacobus de Nursia judex predictus pro tribunali sedens in palatio Communis Macerate ad bancum maleficiorum infrascriptas condempnationes contra infrascriptum commune, Rectores, homines, et spetiales

personas ipsius Communis de infrascriptis maleficiis, excessibus et delictis et dampnis datis sententialiter pronuntiamus, damus, et in hiis scriptis proferimus in hunc modum:

Quoniam *Jacob et Berardum domini Percivalli, Adiolectum Cruciani, Burgaresscum Synpritiani* dictus *Scarpecta, Percevallum et Albricutium Gabrielis, Zanolum, Petrutium, Zerolum, Bordonem, et Leonem Corradi* de Racanato, contra quos et ipsorum quemlibet per viam inquisitionis ex officio curie et ad denuntiationem domini *Vannis baligani* Procuratoris Reverendi Patris Domini F. Racanatensis Episcopi processum invenimus per Dominum Hermannum de Pistorio judicem in Marchia generalem, et tunc super maleficiis locumtenentem. In eo et super eo, quod ad aures et notitiam ipsius judicis nostram et nostre curie pervenit auditu, fama publica referente et clamosa insinuatione precedente, quod ipsi et eorum quilibet diabolico spiritu istigati ausu temerario et malo modo, tempore in dicta inquisitione contento *cum comitiva multorum hominum armatorum accesserunt ad domos dicti Domini Episcopi proprias* positas in civitate Racanati in quarterio Sancti Angeli juxta Johannutium magistri Petri, plateam communis et alia latera, et pensate et deliberate publice manifeste ac notorie evidentia facti ita quod non potest aliqua tergiversatione celari, dictas domos per vim et violentiam intraverunt, et totum vinum quod erat in dictis domibus in qnantitate CCC. salmarum tribiani, et vegetes, et omnes alias massaritias, et pannos laneos et lineos et lectos existentes in dictis domibus extraxerunt et asportarunt. Et accesserunt etiam ad domos ejusdem domini Episcopi proprias positas in dicto quarterio juxta Grimaldescum Salimbene, filios Severii, viam et alia latera, et totum vinum, quod erat in dictis domibus per vim et violentiam acceperunt et asportarunt, quod erat in quantitate centum et XXV. salmarum tribiani, et vegetes et omnes massaritias et pannos laneos et lineos existentes in dictis domibus extraxerunt et asportarunt scientibus volentibus et permittentibus . . . . . Potestate . . . . . Prioribus, Consilio et Commune civitatis Racanati, et predictis prestantibus auxilium consilium et favorem in non modicum dampnum et prejudicium dicti domini Episcopi, quos et ipsorum quemlibet et dictum commune citari fecerit et requiri dictus judex secundum formam constitutionis dicti domini Marchionis et curie sue, quod certo termino jam elaxo coram eo personaliter et dictum commune per eorum Syndicum perhentorie comparere deberent parituri mandatis suis et curie, et se excusaturi ab inquisitione prefata et contentis in ea, in quo termino comparere minime curaverunt nec aliquis pro eis qui ipsorum et dicti communis contumaciam excusaret, sed potius passi sunt se poni in banno de tota provincia Marchiae anconitane de mille libr.

Ravenn. pro quolibet, et in emendatione dampni predicti. Ideo propter ipsorum contumaciam ipsis habitis pro confessis convictis et testibus superatis de omnibus supradictis secundum formam constitutionum dicti domini Marchionis. Citatis etiam perhentorie ad hanc sententiam audiendam nullatenus comparere curarunt, sed potius contumaciter absentando. Unde ne de ipsorum contumacia glorientur, ipsos et ipsorum quemlibet et dictum commune in mille libr. Ravenn. dandis et solvendis Camere Romane Ecclesie et Thesaurario ipsius recipienti pro ipsa. Et ad emendationem et extimationem dictarum rerum subtractarum et ablatarum per eos dicto domino Episcopo Racanatensi faciendam, sive ducentos et sexaginta florenos auri pro extimatione ipsarum, taxatione legitima precedente, et recepto sacramento a dicto domino Vanne Procuratore dicti Domini Episcopi super taxatione predicta, et quod quilibet possit eos impune in personis et rebus offendere pena et banno aliquo non obstante, donec dictam condempnationem solverint, et dicto Domino Episcopo satisfecerint cum effectu omni modo et jure quibus melius possumus in hiis scriptis sententialiter condempnamus, reducto predicto banno in condempnatione presenti. Bonaque ipsorum et dicti communis omnia et singula Camere Romane Ecclesie et dicto domino Episcopo usque ad concurrentem quantitatem et condempnationem predictas confiscantes et publicantes, dantesque dicto Domino Episcopo et dicto domino Vanni procuratorio nomine ipsius presenti et petenti auctoritate presentis sententie plenam et liberam licentiam, facultatem et plenariam potestatem capiendi et detinendi per se vel alios predictos et quemlibet predictorum personaliter, et adprehendendi capiendi ac intrandi et retinendi corporalem tenutam et possessionem bonorum mobilium, et immobilium omnium et singulorum predictorum et dicti communis et detinendi pro ejus libito voluntatis usque ad integram satisfactionem dictorum ducentorum et sexaginta florenorum auri pro exstimatione dampni predicti et expensarum. Contra predictos etiam et dictum Commune ad executionem supradicte sententie spirituale brachium invocantes:

Item Dominum *Thomam domini flanbengi, Jacob et Berardum* domini *Percivalli, Percevallum, Albricutium et Advultronum Gabrielis, Adiolectum Crutiani, Burgaresscum Synpritiani, Zanolum, Petrutium Zerolum, bordonem et Leonem Corradi, Manerium Guilelmi,* dominum *burgaresscum* ejus filium, *accurimbonam morici,* Dominum *Jacobum et Vitum Johannis, Cambium Morici, Cisscolum, Simonem et Gaydutium federici, accurrimbonam johannis, Victorem gentilis, Suppolinum Suppi, Matheum Morici, Burgarum Stephani, Berardum et Begalaynum Jacobutii, Angelum et Symonem Monaldi, Bartholomeum Pauli, Venantium appiliaterre, floranum Petri, Jacobutium Jacobi, Corradutium Henrici,*

Monaldum Vigilantis, Corradutium Lidanutii, Zutium floravantis, Servodeum Jacobi, Phylipputium Magistri benvenuti, Nicolaum benedicti, Meolum Marcutii, Venturam bartholomei, Stephanum et Ceccum Lidani, Achillum Aleverandini, Gregorium benedicti, dominum *Nicolaum Gregorii, Ceccolum Panici, Paulutium Victoris, federicum guilelmi, Grimaldesscum Salimbene, Nardolum Rogignoli, Matheum bartholomei, Guilelmum Venture, Philippinum Clodii, Thelutium Phylipputii, Rigotium Baronis, Benedictum Magistri Carbonis, Melioratum Compagni, Vilinbene beccarium* et *Thurulum* ejus filium, *Mutium angeli* dictus *Zavatta, Putium Petri, Johannem Thome, Putium Matthei, Vannutium francisci, Martinum Marci, franciscum ayguane* dictus *dentis, Petrutium* et *Ceccolum bordoncelli, franciscum Andree, Antonium Petri, Phylipputium Salimbene, butolum Thebaldi, Dactarum Sabbati, Sabbatutium Angeli, Racanatum Junte, Mutium Andrioli, Jacobum et franciscum Johannutii, Johannem Ubaldi, Andriolum Actolini, Mutium Jacobi Lotherii, cisscolum Jacobi Raynaldi, Raynerium Magistri Johannis, Melonum Leonardi, Dominum Spedanerium Mathei, Lolum federici, Actum Dominici et Menzonum* ejus filium, *Johannem Jacobi Novelline, Mutium firmani, Puzzalonum Uderisii, Thodinum Accurri, Thadeum Raynaldi bene, Compagnonum et blagium benvenuti,* Dominum *Gualfredum blagii, Mutium Jaconelli, Raynaldum guidi, Corradum Symonis, Manfredinum Palloctam, Thomam vivoli, Paulutium Thalegardi, francisscum bonoli, Santesem Pascalis,* et Dominum *Corradum* ejus filium, Dominum *francisscum guerri,* Dominum *Georgium Nicolai* et *Marotium* ejus filium, et . . . . Potestatem . . . . Priores, Consilium et commune et homines de Racanato Contra quos et ipsorum quemlibet et dictum Commune per viam inquisitionis ex officio curie et ad denuntiationem domini Vannis baligani procuratoris Reverendi Patris Domini F. Racanatensis Episcopi processum invenimus per dominum Hermannum de Pistorio judicem in Marchia generalem et tunc super maleficiis locumtenentem, In eo et super eo, quod ad aures et notitiam ipsius Judicis nostram et nostre curie pervenit auditu fama publica referente et clamosa insinuatione precedente, quod ipsi et ipsorum quilibet spiritu diabolico instigati ausu temerario et malo modo pensate et deliberate publice manifeste ac notorie evidentia facti ita quod non potest aliqua tergiversatione celari, de predicto anno domini millesimo CCC. XIII. de mensibus aprilis, madii, junii, julii, Augusti, et Septembris et quamplurium aliorum mensium dicti anni cum comitiva multorum hominum armatorum accesserunt ad domos dicti domini Episcopi proprias positas in civitate Racanati in *quarterio Sancti Angeli* juxta *Johannutium magistri Petri, Scambium benedicti,* plateam communis et alia latera, et ad domos dicti Episcopi positas

in dicto quarterio juxta *Grimaldesscum Salimbene*, vias, et alia latera, et ad domos ipsius positas in dicto quarterio juxta *Angelutium quondam de Molliano, heredes bondinelli, mercatale communis,* et alia latera, et ad domum ipsius positam in dicto quarterio juxta *johannem berte, beccariam communis,* et alia latera, et ad domum ipsius positam *apud portum communis* juxta *Guidatium domini Monaldi,* vias et alia latera, et dictas domos omnes funditus diruerunt et destruxerunt, et cuppos, lignamina et lapides dictarum domorum asportarunt. — Item accesserunt ad possessiones dicti domini Episcopi proprias positas ante *castellare podii* juxta dominum *Phylippum de Massa, lippolum domini Rigicti,* viam, et alia latera, et ad vineas et possessiones positas in *fundo via cave* juxta dominam *lurdimajam uxorem Mathei,* dominum georgium Nicolai, viam et alia latera, et ad vineas et possessiones positas in fundo *paradisi* juxta terram monasterii *Sancti Johannis in perticha,* vias et alia latera: et ad possessiones positas ante *castellare bagnoli* juxta filios *Phylippi Symonis, Ufredutium Ufredutii,* et alia latera, et ad terras et possessiones positas ante *castellare gardeti* juxta *johannutium magistri Petri,* bonumjohannem Michaelis, *terram Episcopatus Racanatensis* et alia latera. Item ad possessiones positas in fundo *filelli* juxta *Clodium domannati,* filios *Golecte,* vias, et alia latera. Item ad possessiones positas in fundo *Sancti Andree* juxta *Servodeum Adquatitii, franciscum Angelutii,* viam, et alia latera, quas domos, vineas, et possessiones habebat dictus dominus Episcopus pro indiviso cum domino *Zano* fratre suo et *brandaligio* ejus nepote, et accesserunt ad quamplures alias possessiones predicti domini Episcopi proprias positas in dicto districtu Racanatensi in pluribus et diversis aliis fundis, et de supradictis possessionibus arbores omnes scilicet olivas, vites et alios arbores fructiferos inciderunt, et lignamina omnia asportarunt, nec permiserunt, nec permictunt dictas terras et possessiones a dicto tempore citra laborari et coli, sed incultas jacere faciunt in non modicum dampnum et prejudicium dicti domini F. Racanatensis Episcopi, scientibus, volentibus, et permittentibus predictis . . . . Potestate . . . . Prioribus, consilio et communi, et hominibus dicte terre Racanati, et ad predicta supradictis dantibus auxilium, consilium, et favorem Quos et ipsorum quemlibet et dictum commune citari fecerit et requiri dictus judex secundum formam constitutionis dicti domini Marchionis et curie sue, quod certo termino jam elaxo coram eo personaliter, et dictum commune per eorum Syndicum perhentorie comparere deberent parituri mandatis suis et Curie, et se excusaturi ab inquisitione prefata, et contentis in ea, in quo termino se contumaciter absentando comparere minime curaverunt nec aliquis pro eis, qui ipsorum contumaciam excusaret sed potius passi sunt se poni in banno de tota pro-

vincia Marchie Anconitane de mille libris Ravenn. pro quolibet et in emendatione dampni predicti eisdem et cuilibet ipsorum et dicto communi ad comparendum et purgandum dictum bannum certo et perhentorio termino adsignato, in quod bannum ipsorum temeritate contra Deum et Sanctam Romanam Ecclesiam et mandata dicti domini Rectoris et nostra erigentes calcaneum contumaciter incurrerunt. Ideo propter ipsorum contumaciam ipsis habitis pro confessis, convictis, et testibus superatis de omnibus et singulis supradictis secundum formam constitutionum dicti domini Marchionis et curie sue, citatis etiam ad hanc sententiam audiendam nullatenus comparere curaverunt, sed contumaciter absentando. Unde ne de ipsorum contumacia glorientur predictos et quemlibet predictorum et dictum commune in mille libris Ravenn. dandis et solvendis Camere Romane Ecclesie et Thesaurario ipsius recipienti pro ipsa, et ad emendationem et exstimationem dictorum dampnorum dicto Domino Episcopo faciendam sive mille et quingentas libras Ravenn. pro exstimatione ipsorum dampnorum pro parte contingente dicto domino Episcopo taxatione legitima precedente, et recepto sacramento a dicto domino Vanne procuratore dicti domini Episcopi super taxatione predicta, et quod quilibet possit eos impune in personis et rebus offendere pena et banno aliquo non obstante, donec dictam condempnationem solverint et dicto domino Episcopo satisfecerint cum effectu, omni modo et jure quibus melius possumus in hiis scriptis sententialiter condempnamus, reducto predicto banno in condempnatione presenti, bonaque ipsorum et cujuslibet ipsorum omnia et singula et dicti communis Camere Romane ecclesie et dicto domino Episcopo usque ad concurrentes quantitates et condempnationes predictas confiscantes et publicantes, dantesque dicto domino Episcopo et dicto domino Vanni procuratorio nomine ipsius presenti et petenti per hanc diffinitivam sententiam plenam et liberam licentiam facultatem et plenariam potestatem capiendi et detinendi per se vel alios predictos et quemlibet predictorum et quemlibet de dicta terra et ejus districtu, et adprehendendi, capiendi ac intrandi et retinendi corporalem tenutam et possessionem bonorum mobilium et immobilium omnium et singulorum predictorum et dicti Communis et aliorum hominum de dicta terra et ejus districtu, et detinendi pro ejus libito voluntatis usque ad integram satisfactionem dictarum mille et quingentarum librarum Ravenn. pro exstimatione predictorum dampnorum et expensarum contra predictos etiam et dictum commune ad executionem supradicte sententie spirituale brachium invocantes.

Item *Zanolum, Petrutium, Zerolum, bordonem et Leonem Corradi Petri* de Racanato, contra quos et ipsorum quemlibet per viam inquisitionis ex officio curie et ad denuntiationem Domini *Vannis baligani*

Procuratoris Reverendi Patris Domini F. Racanatensis Episcopi processum invenimus per Dominum *Hermannum* de Pistorio judicem in Marchia generalem tunc super maleficiis locumtenentem In eo et super eo quod ad aures et notitiam ipsius judicis, nostram, et nostre curie pervenit auditu, fama publica referente, et clamosa insinuatione precedente, quod ipsi et ipsorum quilibet ausu temerario, et malo modo pensate et deliberate publice, manifeste, ac notorie evidentia facti ita quod non possit aliqua tergiversatione celari, de anno domini millesimo CCC. XIII. de mense aprilis cum comitiva hominum armatorum accesserunt ad terras et vineas positas in territorio Racanati in fundo *quinzani* juxta *Jacob domini Percevalli,* fossum communis, vias et alia latera, spectantes et pertinentes ad dictum dominum F. Episcopum predictum jure proprio, et dictas terras et vineas occuparunt et invaserunt animo privandi dictum Dominum Episcopum terris et vineis supradictis, et fructibus earum, et per vim et violentiam expulerunt laboratores dictarum terrarum et vinearum laborantes eas pro dicto domino Episcopo, et granum, ordeum, olivas, vinum, ortos, et cottimos et alios fructus existentes in dictis terris et vineis recolligerunt et recolligunt continue a dicto tempore citra et eas detinuerunt et detinent occupatas hucusque in non modicum dampnum et prejudicium domini Episcopi supradicti, quos omnes et ipsorum quemlibet citari fecit et requiri dictus judex secundum formam constitutionum domini Marchionis et curie sue, quod certo termino jam elaxo coram eo personaliter et perhentorie comparere deberent parituri mandatis suis et curie, et se excusaturi ab inquisitione prefata, et contentis in ea, in quo termino se contumaciter absentando comparere minime curarunt, nec aliquis pro eis, qui ipsorum contumaciam excusaret, sed potius passi sunt se poni in banno de tota provincia Marchie Anconitane de mille libr. Ravenn. pro quolibet, et ad restitutionem dictarum terrarum et vinearum, et in emendationem dampni predicti. Ideo propter ipsorum contumaciam ipsis habitis pro confessis, convictis, et testibus superatis de omnibus supradictis secundum formam constitutionum domini Marchionis et ejus curie, citatis etiam perhentorie ad hanc sententiam audiendam, qui nullatenus venire curarunt, sed potius contumaciter absentando. Unde ne de ipsorum contumacia glorientur ipsos et ipsorum quemlibet in mille libr. Ravenn. dandis et solvendis Camere Romane ecclesie, et Thesaurario ipsius recipienti pro ipsa, et ad restitutionem dictarum terrarum et vinearum per eos occupatarum, et ad emendationem et extimationem dictorum fructuum per eos raptorum et perceptorum dicto Domino Episcopo faciendam sive centum et quinquaginta libras Ravenn. pro exstimatione ipsorum scilicet quinquaginta libr. pro quolibet anno predictorum trium annorum taxatione legitima precedente, et recepto

sacramento a dicto Domino Vanne procuratore dicti domini Episcopi super taxatione predicta, et quod quilibet possit eos impune in personis, et rebus offendere pena et banno aliquo non obstante, donec dictam condempnationem solverint, et dictas terras et vineas restituerint et de dicta quantitate dicto domino Episcopo satisfecerint, cum effectu omni modo et jure quibus melius possumus in hiis scriptis sententialiter condempnamus reducto predicto banno in condempnatione presenti; bonaque ipsorum omnia et singula Camere Romane Ecclesie et dicto domino Episcopo usque ad concurrentes quantitates et condempnationes predictas confiscantes et publicantes, dantesque dicto domino Episcopo et dicto domino Vanni procuratorio nomine ipsius presenti et petenti auctoritate presentis sententie plenam et liberam licentiam, facultatem et plenariam potestatem capiendi et detinendi per se vel alios predictos et quemlibet predictorum personaliter, et adprehendendi predictas terras et vineas et capiendi, ac etiam intrandi ac retinendi corporalem tenutam et possessionem bonorum mobilium et immobilium predictorum, et detinendi pro ejus libito voluntatis usque ad restitutionem pacificam dictarum terrarum et vinearum, et usque ad integram satisfactionem dictarum centum et quinquaginta librarum Ravenn. pro exstimatione dictorum fructuum, dampni predicti et expensarum; contra predictos etiam ad executionem supradicte sententie spirituale brachium invocantes.

Item *Adiolectum Cruciani*, Burgaresscum Sympritiani, Jacobum et Berardum Dñi Percevalli, Zanolum, Petrutium, Zerolum, Bordonem et Leonem Corradi, Percevallum, Albricutium, et Advultronum Gabrielis; Berardum et Begalaynum Jacobutii; Marotium Dñi Georgii; Cambium Morici; Mactheum Bartholomei, guilelmum Venture; accurrimbonam Johannis; Mutium Jacobi Lotherii; cisscolum, symonem et gaydutium federici; accurrimbonam Morici; Burgarum Stephani; Nicolaum Benedicti; Meolum Marcutii; Bartholomeum Pauli; Dñum Jacobum et Vitum Johannis; Martinum Marci, francisscum Ayguane, et Buffolum Marini de Racanato et futium Adinulfi de Tholentino, contra quos et ipsorum quemlibet per viam inquisitionis ex officio curie et ad denuntiationem Dñi Vannis baligani. Canonici Racanat. procuratoris Reverendi Patris Dñi F. Racanatensis Episcopi processum invenimus per Dñum Hermannum de Pistorio Judicem in Marchia generalem, et tunc super maleficiis locumtenentem. In eo et super eo, quod ad aures et notitiam ipsius Judicis nostram et nostre curie pervenit auditu fama publica referente et clamosa insinuatione precedente, quod ipsi et ipsorum quilibet diabolico instigati spiritu, deum non habentes pre oculis ausu temerario et malo modo pensate et deliberate publice manifeste ac notorie evidentia facti ita quod non potest aliqua tergiversatione celari cum comitiva multorum hominum armatorum equitum et peditum

de anno Dñi millesimo CCC. XIII. de mensibus Augusti et septembris pluries de quolibet mense et de mensibus februarii et martii sequentis anni et in omnibus festivitatibus beate Virginis et in octavis ejusdem a dicto tempore citra accesserunt ad *Ecclesiam Sancte Marie de Laureto* ad Racanatensem Ecclesiam et Dñi Episcopi mensam immediate spectantem, sitam in districtu et diocesi Racanat. et per vim et violentiam dictam ecclesiam intraverunt; et contra voluntatem Cappellani sive Presbyteri positi per dictum Dñum Episcopum, ad colligendas oblationes dicte ecclesie totam pecuniam que erat in trunco dicte ecclesie, acceperunt et asportarunt, rapiendo etiam *super altare dicte ecclesie* et de dicta Ecclesia *undique* omnes oblationes et omnes tortitios et faculas et *ymagines de cera et de argento*, accipiendo etiam et asportando super ymaginem beate Virginis et *de Cona ejus*, et super ymaginem Dñi nostri Jesu Christi que erat in dicta cona *omnes guillandras oblatas de argento cum pernis et sine pernis et bindas et velictos de Syrico* et omnes *tobaleas de Syrico et sine* syrico de dicta Ecclesia derobando et asportando et dictam ecclesiam a dicto tempore citra usque modo predicti Adiolectus, Burgaresscus, Bordonus, Percevallus et Berardus cum favore predictorum et auxilio et consilio tenuerunt et detinent occupatam in non modicum dampnum et prejudicium dicti domini Episcopi et Episcopatus, quos omnes et ipsorum quemlibet citari fecerit et requiri Judex predictus secundum formam constitutionum Dñi Marchionis, et curie sue, quod certo termino jam elaxo *(elapso)* coram eo personaliter et perhentorie comparere deberent, parituri mandatis suis et Curie et se excusaturi ab inquisitione prefata, et contentis in ea, qui se contumaciter absentando in termino predicto comparere nullatenus curarunt nec aliquis pro eis qui ipsorum contumaciam excusaret, sed potius passi sunt se poni in banno de tota provincia Marchie Anconitane de mille libris Ravennatibus pro quolibet et in emendatione dampni predicti eisdem et cuilibet ipsorum ad purgandum dictum bannum et eorum contumaciam certo et perhentorio termino adsignato, in quod bannum pertinaciter incurrerunt. Ideo propter ipsorum contumaciam ipsis habitis pro confessis, convictis et testibus superatis de omnibus et singulis supradictis secundum formam constitutionum dicti Domini Marchionis, citatis etiam ad hanc sententiam audiendam nullatenus venire curarunt, sed potius contumaciter absentando, Unde ne de ipsorum contumacia glorientur, ipsos et ipsorum quemlibet in mille libris Ravenn. dandis et solvendis camere Romane Ecclesie et Thesaurario ipsius recipienti pro ipsa, et ad emendationem et extimationem dictarum rerum subtractarum et ablatarum per eos dicto Dño Episcopo et Episcopatui Racanat. faciendam sive quingentas libras Ravenn. pro extimatione ipsarum taxatione

legitima precedente et recepto sacramento a dicto Dño Vanne procuratore dicti Dñi Episcopi super taxatione predicta, et quod quilibet possit eos impune in personis et rebus offendere pena et banno aliquo non obstantibus, donec dictam condempnationem solverint, et dicto Dño Episcopo satisfecerint cum effectu, omni modo et jure quibus melius possumus, in hiis scriptis sententialiter condempnamus reducto predicto banno in condempnatione presenti. Et quod si quo tempore in fortiam Curie pervenerint, et dictas condempnationes non solverint infra X. dies, personaliter puniantur arbitrio Presidentis, Bonaque ipsorum omnia et singula camere Romane Ecclesie, et dicto Dño Episcopo usque ad concurrentem quantitatem et condempnationem predictas confiscantes et publicantes, dantesque dicto Dño Episcopo et dicto Dño Vanni procuratorio nomine ipsius presenti et petenti auctoritate presentis sententie plenam et liberam licentiam facultatem et plenariam potestatem capiendi et detinendi per se vel alios predictos et quemlibet predictorum personaliter et adprehendendi, capiendi ac intrandi et retinendi corporalem tenutam et possessionem bonorum mobilium et immobilium omnium et singulorum predictorum, et detinendi pro ipsius libito voluntatis usque ad integram satisfactionem dictarum quingentarum librarum pro exstimatione dampni predicti et expensarum. Contra predictos etiam ad executionem predicte sententie spirituale brachium invocantes.

Late, lecte, et pronuntiate fuerunt dicte condempnationes et condempnationum sententie per dictum Dñum Jacobum judicem supradictum pro tribunali sedentem ad bancam juris in palatio Macerate sub anno Dñi millesimo CCC. XV. Indictione XIII. Ecclesia Romana pastore vacante per mortem felicis recordationis Dñi Clementis Pape V, die XXIII. mensis octubris presentibus Dño Gentile de Sancto Elpidio judice et advocato, Egidio de monte Sancte Marie in Cassiano, Magistris Janne Paulo de urbe, Thomasio de Penna, et Benvenuto de Auximo Notariis curie et aliis pluribus testibus.

Et ego acervoctus Rigicti de Monte granario Imperiali auctoritate Notarius et nunc Notarius dicti Dñi Marchionis ad maleficia deputatus prolationi dictarum sententiarum presens interfui, et de mandato dicti judicis scripsi et publicavi.

XXXIX.

Ex Regest. ann. 3. *ep.* 192. *in Archiv. Vatic.* — *Compagn. Mem. della Chiesa di Osimo T. V. p.* 115.

1318. 25. Augusti.

Joannes Episcopus etc. . . . . Potestati . . . . . capitaneo, consilio et communi ac universitati et populo Recanatensi spiritum consilii

sanioris. Absorbuit intellectum[1] *nostrum* iniquitas, consilium evertit elatio, et precipitavit in[2] *nobis* nequitia rationem, rectum judicium malitia depravante, dum vos ad terram pro superbia navigandam, et ad iter agendum deducti vos pelagus existimantes contra nos et Romanam Ecclesiam matrem vestram et Dominam per motus detestabiles et effraenes cervicem rebellionis erigere, nos et ipsam injuriis lacessere, turbare molestiis, et in nostris ejusque fidelibus et ministris, temerariis ausibus offendere graviter presumpsistis, per hoc in infidelitatis profunde voraginem miserabiliter corruendo, super hiis autem recens temporis instantis jacturam nostros excitat cogitatus, remedia nova perquirere, quibus offensorum temeritas ultione justitie repressis injuriis compescatur, cum publicae utilitatis intersit, ut excessus vindicta coherceat, et offensae limes poenae severitas habeatur. Sane vulgaris fama denuntiat, et veritas notio publica manifestat, ipsamque transgressio injuriosa notariat, quod cum dilectus filius Amelius Praepositus Bellimontis Cappellanus noster Marchiae Anconitanae Rector, quondam Pontium Arnaldi de Castro Verduno consobrinum et Marescallum suum ad civitatem Recanatensem infra Provinciam ipsius Marchiae constitutam tam pro executione quarundam sententiarum contra vos et quosdam speciales ex vobis juste latarum quam pro statu civitatis ejusdem, quam sibi aliqui subjugaverant sicut adhuc subjugare praesumunt tyrannica servitute, prout ad suum spectat officium, diebus non longe praeteritis destinasset; idem Marescallus publice per civitatem preconizari fecit eandem, quod ipse in persona et rebus offendere neminem intendebat, sed civitatem ipsam reducere ad statum pacificum et tranquillum, et ad nostram et ipsorum Ecclesiae ac Rectoris obedientiam revocare, quodque omnes Recanatenses cives de Provincia ipsa banniti, non obstantibus quibuscumque processibus, sententiis et condempnationibus habitis et prolatis praeteritis temporibus contra eos, intra certum terminum ad hoc praefixum eisdem se praesentarent personaliter coram eo; sed vos, sicut ingratitudinis et perpetuae maledictionis alumni, mala sibi retribuentes pro bonis, nec verentes, quod damnatae memoriae vestri et Auximani progenitores pestiferi ex ingentibus demeritis eorundem in illius confusionis ignominiam corruerunt, quod *Recanatensis et Auximana civitates per dictam Ecclesiam pontificalis dignitatis honore privatae* factae sunt vicinis eorum in opprobrium, et contemptum, quamvis eadem Ecclesia post diffusi temporis spatium eis ad ipsius redeuntibus gremium aperiens viscera pietatis clementer ad honorem restituerit supradictum; una cum *Thoma Guilelmi*

---

[1] Lege *vestrum*.
[2] Lege *vobis*.

Presbytero, Jacobo et Berardo Percivalli, Ajoleto Cruciani, Bulgaresco Simpriciani, Carolo, Leone et *Zanolo Corradi Petri,* ac *Percivallino* et *Albrico Gabrielis* de ipsa civitate Recaneti, *Tarabocto Raynaldutii de Taraboctis* et *Johanni de Patrignanis* de Ancona tunc habitatoribus dictae civitatis Recanatèn. principalibus vobiscum hujusmodi factionis actoribus in dicti Marescalli et aliorum de comitiva ejus, ad hoc *Lippatio et Andrea* militibus, et Potestate, consilio, commune, ac populo ac Universitate Auximan., qui vobis multitudinem militum et peditum eodem Lippatio cum eis accedente personaliter destinarunt, ut vobiscum in perditionem abirent, et multis aliis, quos vobis ad execrabilia perpetranda facinora colligatio nefanda conjunxerat et in ejusmodi scelerum participationem consortes effecerat, advocatis ac latenter in civitatem introductis eandem, necem crudelissimam conspirantes in eos adhuc termino ipso pendente, una cum Lippatio et multitudine supradictis, efferatis animis hostiliter armis muniti bellicis injustis, *eodem Marescallo,* ac *Pontio Domino de Vacaratio dicti Rectoris nepote, Raynaldo Simonis Canonico Recanatensi,* et *fratre Simone de Monte S. Mariae in Cassiano Ordinis Cruciferorum, Philippo de Massa, Carolo Sinibaldi de Auximo, Zano Nicolai, Thoma Petri, Thoma flamengi militibus, Nuto fratre* et *Matheo filio ejusdem Caroli,* ac *Berto ipsius Thomae nepote,* et *Bellutio Nicolai,* ac aliis concivibus vestris, et nonnullis aliis de comitiva praedicta usque ad trecentorum numerum in ore gladii trucidatis, et demum tam quibusdam de concivibus ipsis, qui caro de carne vestra et os de ossibus vestris extiterant, quique Marescallo praefato fideliter pro reformando ejusdem statu pacifico civitatis adhaeserant cum aliis qui tunc evaserant manus caedentium captivatis, et postmodum per civitatem tractis eandem, aliquos fecistis in plateis publicis ubi domus eorum fuerant, quas feceratis saeva tyrannide dirui funditus, sepeliri, aliquos suspendi patibulis, et quibusdam de vestris concivibus, quos detinebatis antea carceratos per menses aliquos reservatis, eos fecistis truncari capitibus, ab eis prius extortis bonorum suorum venditionibus et donationibus violenter. Et quod omnem excessum impietatis excedit, in pueros infantes et (*im*)puberes truculenta rabie saevientes, nec attendentes, quod reus legi subditur, et capitalis sententiae subiacet ultioni, qui necat infantem, quodque servari ex statuto frequenter in bellorum congressibus consuevit, ut facies, quam pubertas non noverat, gladium bellatorum evaderet, et vitae incolumis servaretur plurium puerorum infantium et puberum, quorum parentes vestra belluina rabies vita privaverat, innoxium sanguinem, qui ad nos de terra clamat, ne post ipsos semen aliquod remaneret, crudeliter effudistis, Marescalli et aliorum de comitiva praedicta equis, armis, pecunia, necnon et concivium praedictorum,

qui dicto Marescallo, ut praefertur, adhaeserant, tam eorum quos nece saevissima vestra trucidaverat impietas, quam aliorum quos de manibus vestris miseratio divina per subsidium fugae protexerat, et multorum aliorum tam clericorum quam etiam laicorum, quos de dicta civitate Recanatensi vestra in eos armata rabies persecutionis ejecerat, bonis omnibus immobilibus hostili praedatione direptis, ac *domibus Episcopalibus Ecclesiae Racanatensis deditis in ruinam,* et insuper militibus vestris in omnem viam malitiae turpiter inquinatis, et scelestis actibus data licentia in raptum virginum detestabiliter prorupistis, dehonestastis casta conjugia, Sanctimonialium pudicitia violata; Monasteriorum Abbatissas de ipsis ejecistis Monasteriis violenter, de facto intrusis aliis in eisdem, et alios excessus nefarios et atroces, qui seriem longae narrationis exigerent, in summi Regis offensam, nostram et Apostolicae Sedis contumeliam et contemptum enormiter perpetrastis, exinde in oppressionem Ecclesiarum, et pauperum destructionem, Cleri et fidelium aliorum depressionem ecclesiasticae libertatis et universale provinciae memoratae dissidium gravibus scandalis suscitatis; et quamvis idem Rector, qui vos et nonnullos alios propter dictos excessus varios processus excommunicationis et interdicti ac alias diversas poenas et sententias, quas in suo robore firmitatis permanere volumus, contemnentes, illos sustinetis animis induratis in salutis propriae detrimentum. Nos igitur, licet juxta paternae mansuetudinis gratiam, quae durius provocata, benignius miseretur subditorum, frequenter dissimulemus offensas hujusmodi causam tam horrendorum immanitas scelerum adeo perniciosa et detestabilis redditur et habetur, sicque in maternam contumeliam opprobriose redundat, quod illam, si vos, quod absit, in rebellionis duritie persistere contigeret antedicta, transire non possumus per dissimulationem vel negligentiam impunitam, qui potius sicut extitit severitate gravissima, sic vos justo judicio dire premat asperitas ultionis, praesertim cum mulctae omissio multa sit multis occasio ad multas injurias et offensas, ideoque vos, dictosque *Lippatium et Andream,* Potestatem, Consilium et Commune ac Populum et Universitatem Auximanam tenore praesentium requirimus, ac monemus, ac vobis et eis per Apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus vos et ipsi infra unius mensis spatium, postquam monitio et mandatum nostrum hujusmodi ad vestram notitiam pervenerit, vel per vos steterit, quominus potuerit pervenire, praecise ad nostram et ipsorum Ecclesiae ac Rectoris mandata et veram ac plenam obedientiam redire curetis, Nobis et eidem Ecclesiae dictoque Rectori supradictis rebellione, excessibus, injuriis, damnis, et exspoliationibus, sceleribus et offensis infra dictum terminum satisfactionem debitam impendendo. Et nihilominus vos Potestas, Capitaneus et singuli de vobis Consilio,

Thomas Guilelmi, Jacob, ac *Berardus, Ajoletus, Bulgarescus, Carolus, Leo,* et *Zenolus, Percivallinus, Albricus, Taraboctus*, et *Joannes*, ac *Lippatius* et *Andreas,* ac Potestas Auximanus et singuli de dicto consilio Auximano personaliter, vosque commune etc. per sufficientes syndicos etc. Apostolico peremptorie vos conspectui praesentetis, mandatis nostris etc.; quod si forsan vos et alii supradicti monitis etc. contempseritis obedire, vos Potestatem, Capitaneum et singulos de vobis Consilio et commune, ac Potestatem Auximanum, et singulos de dictis Consilio et populo Auximano ac alios superius nominatos omnesque vestros in hac parte complices etc. qui quominus ad nostram et ipsorum Ecclesiae ac Rectoris praecise redeatis veram obedientiam et mandata etc. impedimentum praestiterint etc. ex tunc excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto; Communitates vero in iis culpabiles etc. interdicto ecclesiastico subjacere, a qua quidem excommunicationis sententia nullus etc. Et quia beneficia propter ingratitudinem revocantur, vos et quemlibet vestrum, dictosque Lippatium et Andream, Commune ac Potestatem, Populum et universitatem Auximanam et singulos ex eis etc. per triginta dies dictum mensem immediate sequentes sustinentes sententias memoratas omnibus privilegiis privamus etc. feuda quoque, jura, honores, et officia, et alia bona immobilia quaecumque, quae vos et singuli vestrum Recanati, et ipsi Auximani et eorum singuli Auximi et alibi ubicumque a dicta Romana tenetis Ecclesia, de fratrum nostrorum consilio confiscamus; aliis vero feudis, juribus etc. quae vos et ipsi a quibusvis aliis tenetis Ecclesiis, sitis ipso jure privati, quae sic libere ad easdem Ecclesias revertantur, quod earum Rectores de illis pro sua voluntate disponant, et quia utilius esurienti panis tollitur, quam si cibo securus justitiam vilipendat, vobis et vestrum singulis, dictisque Lippatio et Andreae Potestati, Consilio, et Communi etc. Auximano, ac vestrum et ipsorum singuli etc. si per alios triginta dies hujusmodi nostros processus et sententias animis quod absit etc. sustinueritis induratis, communionem, commercium, et participationem fidelium ex tunc expresse interdicimus etc., ita videlicet, quod nullus bladum, vinum, carnes etc. ad vos vel eos deferre aut vendere vobis etc. praesumat, quod si forte contra prohibitionem nostram hujusmodi aliquis venire praesumpserit, si persona extiterit singularis etc. excommunicationis, si vero civitas, castrum etc. eo ipso interdicti sententiis volumus subjacere etc. Volumus insuper, et Apostolica auctoritate statuimus etc. quod vos et ipsi ex tunc perpetuo sitis infames, nec aliquis vestrum vel aliorum praedictorum ad testimonium aliquod vel alios actus legitimos admittatur, sitis etiam intestabiles omnes et singuli, nec possitis vos et ipsi condere testamentum, neque ex testamento vel ab intestato ad cujuscumque successionem admitti; nullus autem vobis aut

eis etc. respondere super quocumque negotio teneatur, sed vos aliis teneamini respondere, nec ad vestram vel ipsorum etc. audientiam causae quomodolibet perferantur, nec valeant vestrae aut ipsorum sententiae seu processus, nec aliquis vobis vel eis etc. patrocinium praestare praesumat, nec vos vel ipsi etc. ad patrocinandum aliis valeatis admitti, sententiae vero et processus illorum, qui officium judicatus extiterit, ac instrumenta confecta per illos ex vobis vel eis qui officium Tabellionatus noscuntur obtinere nullam habeant firmitatem, sed penitus cum actore damnato damnentur, vestri quoque vel ipsorum filii et nepotes usque in quartam generationem ad nullos honores ecclesiasticos vel mundanos etc. admittantur. Et insuper omnes et singuli, qui vobiscum et cum dictis Auximanis vestra et ipsorum contumacia perdurante confaederationem etc. inierint, aut vobis vel ipsis dederint auxilium etc. si personae singulares fuerint etc. anathematis, si vero civitas, castrum etc. extiterit, incurrant interdicti sententias ipso facto a quibus nullus etc. easdem et quasvis alias confaederationes etc. sub quavis forma verborum factas etc. annullamus etc. Verum quia crescente contumacia crescere debet et poena, vestrorum et eorum singulos in dignitatibus seu publicis officiis constitutos qui per alios triginta dies immediate sequentes in contumacia perstiterint supradicta, ex tunc ab eisdem dignitatibus etc. removemus, et reddimus inhabiles etc. et ne vestra et ipsorum temeritas transeat aliis in exemplum, vestra et ipsorum mobilia bona concedimus occupanda fidelibus, et vestras et ipsorum personas ut capientium sitis servi, eisdem exponimus fidelibus capiendas, et quia fraus et dolus alicui patrocinari non debet, nullus vano decipiatur errore, ut infra tempus sui regiminis quod gesserit forsitan praedictas poenas vel aliquas earum sustineat, quasi post illud non sit ad satisfactionis debitum compellendus; nam et ipsum qui satisfacere recusaverit infra terminum assignatum, et successorum ejus, si post assumptum regimen infra quindecim dies parere forsitan non curabit, manere decernimus eisdem poenis inclusum, et per omnia et in omnibus obligatum. Ceterum et vos etc. dictique Auximani eorum reatum ex gravitate poenarum evidenter cognoscatis, *vos et eos, ac Recanatensem et Auximanam civitates*, si praedictas poenas et sententias per unum mensem dictos ultimos triginta dies immediate secutorum vos et ipsos sustinere contingat, *dignitate ac honore episcopali* apostolica auctoritate *privamus* de plenitudine potestatis, statui Venerabilium fratrum nostrorum Racanatensis et Auximani Episcoporum proponentes prout conveniens fuerit, providere. Nostrae quidem intentionis existit, quod vos et iidem Auximani ad nostram et ipsorum Ecclesiae et Rectoris veram, ut praedicitur, obedientiam etc. redeatis etc. Ceterum ne vos et alii supradicti hujusmodi citationi nostrae intendentes

forsan illudere, occasionem praetendere valeatis, quod vobis et eis veniendi ad dictam Sedem Apostolicam non est tutus accessus, nos occasionem hujusmodi submovere ac vobis de securitate sufficienti providere volentes, Venerabiles fratres nostros universos Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, ac dilectos filios Electos, Abbates, Priores, Decanos, Praepositos, Archidiaconos, Archipresbyteros, Plebanos, Rectores, et alios Ecclesiarum praelatos ipsorum vices gerentes, conventus quoque Capitula, ceterasque personas ecclesiasticas religiosas et saeculares exemptas et non exemptas, cisterciensis, Cluniacensis, grandimontensis, praemonstratensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, Camaldulensis et aliorum quorumcumque Ordinum ac Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani et domorum Sanctae Mariae Teutonicorum, Calatravensis et Humiliatorum Magistros, Priores, praeceptores, et Praepositos ipsorumque Locatenentes, nec non et nobiles viros Duces, Marchiones, Comites, Barones, Senescallos, Justitiarios, Potestates, Capitaneos et Bajulos, ceterosque Dominos temporales, Universitates quoque et communitates civitatum, castrorum, villarum et aliorum locorum ac alios universos et singulos per alias nostras litteras quas vobis destinari mandavimus, rogandos duximus attentius et hortandos, ut vobis et Sindicis ac Procuratoribus supradictis de securo conductu cum per terras et loca ipsorum feceritis transitum et illum ab eis duxeritis postulandum in eundo, morando, et redeundo pro nostra et dictae Sedis reverentia studeant liberaliter providere. Vobis nihilominus et eisdem Sindicis et Procuratoribus cum ad Sedem applicueritis supradictam, plenam securitatem pro eo tempore, quos vos ibidem morari contigerit, promittentes. Datum Avenione octavo Kalendas septembris Pontificatus nostri anno tertio.

XI.

Ex Archiv. Maceraten. edidit Ughellius T. II. col. 732.
Coleti, et Calcagnius p. 127.

1320. 18. Novembr.

Johannes Episcopus Servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam

Sicut ex debito rationis indevotis filiis et ingratis pro culpis poena merito noscitur infligenda, sic aequitas suadet, ut fidelibus et devotis condigna rependatur pro meritis retributio praemiorum. Ab olim siquidem Romana Mater Ecclesia, quae de continua filiorum redditur prosperitate sollicita, maternae recensionis attentione considerans, quod Terra et populus Recanatensis infra Marchiae Anconitanae provinciam ad nos et praefatam pertinentem ecclesiam constituti, tunc sequendo rectis gressibus vias ejus, suis devote beneplacitis adherebant, et eam cum reverentia filiali co-

lebant ut matrem, et propterea matris ipsius larga benignitas illos praerogativa specialis dilectionis gratiose preveniens, terram prefatam civitatis vocabulo et Episcopalis dignitatis honore liberaliter insignivit, eis Episcopali sede concessa; sed demum tempore procedente iidem terra et populus per infidelitatis devia et abrupta culparum tamquam perceptorum beneficiorum ingrati, de ipsius matris gremio lapsu precipiti corruentes, suamque ponentes cum ipsius persecutoribus ecclesiae portionem, in eam et fideles ejus per dirae persecutionis saevitiem, adeo detrimenta gravia congesserunt, quod tanti honoris merito se reddentes indignos, illos eadem Ecclesia memorate dignitatis honore privavit. Cumque post longi temporis spatium terra et populus antedicti ad gremium ejusdem Ecclesiae poenitudinis praetendentes spiritum rediissent, ipsos Ecclesia praefata, quae repetentibus sinum ejus non consuevit miserationis ubera denegare, benigne recepit ad gratiam et deinde ad honorem restituit pristinae dignitatis. Verum terra et populus memorati tantorum beneficiorum et miserationis obliti, proximis temporibus retroactis, ut canes ad prioris foeditatis vomitum redeuntes, dum dilectus filius *Amelius Praepositus Bellimontis cappellanus noster ejusdem Rector provinciae* circa ipsius prosecutionem regiminis studiose vacaret, quondam *Pontium Arnaldi* de Castro Verdunen. Consobrinum et Maresciallum suum ad dictam Recanatensem terram tam pro executione quarundam sententiarum contra Potestatem, Capitaneum, Consilium, et commune, ac universitatem terrae ipsius et populum supradictum et quasdam singulares personas ex eis justitia exigente latarum, quam pro Terrae ipsius statu, quam sibi quidam subjugaverant sicut adhuc subjugare tyrannica servitute conantur, prout ad suum spectabat officium reformando in melius destinasset; idem Maresciallus publice per Terram praeconizari fecit eandem, quod ipse pro persona vel rebus offendere neminem intendebat, sed civitatem ipsam reducere ad statum pacificum et tranquillum, et ad nostram et eorundem Ecclesiae ac rectoris obedientiam revocare, quodque omnes Recanatenses cives de provincia ipsa banniti non obstantibus quibuscumque processibus sententiis et condemnationibus habitis et factis praeteritis temporibus contra eos infra certum terminum ad hoc praefixum eisdem se praesentaret personaliter coram eo. idem vero Potestas, Capitaneus, consilium et commune ac universitas et populus supradictus velut perpetuae maledictionis alumni contra nos et praefatam ecclesiam dominam eorundem per motus detestabiles et effraenos cervicem rebellionis praesumentes erigere, dictaeque privationis ignominiam quam expressam deferunt frontibus, non verentes una cum populo et universitate Auximana, quos eis colligatio nefanda conjunxerat ad hoc specialiter advocatis, et latenter in civitatem introductis eandem, et quibusdam aliis complicibus eorundem in Marescial-

lum et eos quos habebat in sua tunc temporis comitiva, adhuc termino ipso pendente armis muniti bellicis, sicut publicae famae indicabat assertio, et manifestae veritatis notorium divulgabat, hostiliter irruerunt, eodem Marescialio et nonnullis de comitiva ipsa et concivibus eorundem usque ad trecentorum numerum in ore gladii trucidatis. Et demum tam quibusdam de concivibus ipsius, qui caro de carne, et os de ossibus eorundem extiterunt, quique Marescialio praefato fideliter pro hujusmodi reformatione status adhaeserant, quam aliis, qui tunc evaserant manus caedentium, captivitatis, et deinde per civitatem tractis eandem aliquos ex eis jusserunt in plateis publicis, ubi domus eorum fuerant, quas fecerant saeva tyrannide dirui funditus fecerant sepeliri, aliquos suspendi patibulis, et quibusdam de praedictis concivibus, quos detinuerant antea carceratos per menses aliquot reservatis, demum eos fecerunt truncari capitibus, ab eis prius extortis bonorum suorum venditionibus et donationibus violenter. Et quod omnem excessum impietatis excedit, in pueros infantes et impuberes truculenta rabie saevientes, nec attendentes, quod reus legi subditur, et capitalis sententiae subjacet ultioni, qui necat infantem, quodque servari ex statuto frequenter in bellorum congressibus consuevit, ut facies, quam pubertas non noverat, gladium bellatorum evaderet, et vitae incolumis servaretur plurium puerorum infantium et impuberum, quorum parentes vesana rabies Recanatensium eorundem crudeliter vita privarat innoxium, qui ad nos clamat de terra, ne post ipsos temere remanere contingeret, sanguinem effuderunt, Marescialli et aliorum de comitiva praedicta equis armis pecunia, necnon et concivium praedictorum, qui dicto Marescialio ut praefertur, adhaeserant, quos de manibus eorum per fugae subsidium miseratio divina protexerat, et multorum aliorum tam clericorum quam laicorum, quos de terra praedicta rabies persecutionis ipsorum in eos crudeliter armata fugaverat, bonis mobilibus omnibus hostili praedatione direptis, et Episcopalibus domibus Recanatensis Ecclesiae deditis in ruinam. Et insuper ipsorum mentibus in omnem viam malitiae turpiter inquinatis et scelestis actibus data licentia in raptum virginum detestabiliter proruperunt, dehonestarunt casta conjugia, sanctimonialium pudicitia violata, monasteriorum Abbatissas de ipsis ejecerunt monasteriis, violenter de facto intrusis aliis in eisdem, et alios excessus nefarios et atroces, qui seriem longae narrationis exigerent, in summi Regis offensam, nostram et Apostolicae Sedis contumeliam et contemptum enormiter perpetrarunt, exinde in oppressionem Ecclesiarum, et clericorum depressiones, Ecclesiasticae libertatis destructionem, pauperum et fidelium aliorum et universale provinciae memoratae dissidium, gravibus scandalis suscitatis. Ideoque nos quantumque praemissa scelera innotescerent evidenter et publice vulga-

rentur de Sedis praedictae mansuetudine copiosa, quae libentius emendat in subditos peccata, quam puniat, nec ferrum exhibet praecisionis in morbos, qui possunt ex levi fomento recipere sanitatem, praefata Potestatem, Capitaneum, Consilium et Commune, universitatem et populum Recanatensem et alios culpabiles in praemissis per litteras nostras processibus per dictum rectorem diversas poenas et sententias continentibus habitis contra ipsos in suo robore duraturis requirendos duximus attentius et monendos, districte praecipientes eisdem, ut eorum culpas modesta correctione sanante non traheret eos ad desperationis laqueum magnitudo peccati, sed pie porrecta manus apostolicae disciplinae reduceret ad salutem, infra unius mensis spatium, postquam monitio et mandatum nostrum hujusmodi ad ipsorum notitiam perveniret vel per eos staret, quominus pervenire posset praecise ad nostra eorundem Ecclesiae, et Rectoris mandata, et veram ac plenam obedientiam redire curarent, Nobis et eisdem Ecclesiae et Rectori super dictis rebellione injuriis, excessibus, damnis, spoliationibus, sceleribus et offensis infra dictum terminum satisfactionem debitam impensuri, ipsique Potestas, Capitaneus, et singuli de praedicto consilio Recanatensi et alii in praemissis culpabiles ut praefertur personaliter, dicti vero Commune et populus sive universitas per sufficientem syndicum et procuratorem idoneum peremptorie apostolico se conspectui praesentarent, mandatis nostris super praemissis plenarie parituri, ac facturi et recepturi quod justitia suaderet, eosdem Recanatenses inter alias poenas, et sententias, quas illis, si hujusmodi nostris monitis et mandatis parere contemnerent, per diversos eis terminos successive praefixos intulimus ab Episcopalis dignitatis honore Apostolica duximus auctoritate privandos, dantes praefato Rectori per nostras sub certa forma litteras in mandatis, ut processus nostros dictas poenas et sententias continentes per se vel alium seu alios praedictis Recanatensibus praesentaret, aut illos, necnon et easdem poenas et sententias in locis, de quibus ei videretur eidem, quod ad ipsorum possent notitiam pervenire, si adire non posset tute praesentiam eorundem, solemniter publicaret. Et licet postmodum Rector ipse per se et alios, cum ad dictam terram Recanatensem tutus non pateret accessus, in diversis ejusdem provinciae locis, de quibus illos nequaquam ambigitur ad eorum notitiam pervenisse duxerit publicandum, ipsis tamen monitis et mandatis, et vocationi nostris hujusmodi contumaciter obturantes auditum, et inobedientiae terga nobis contemptis superbe vertentes, nec eisdem nostris monitis et mandatis et vocationi parere, aut venire, vel procuratorem vel syndicum destinare infra dictos terminos, nec etiam postquam ipsos expectari diutius curaverunt, propter quod eos dictae privationis et alias poenas et sententias in dictis contentas processibus non est dubium in-

currisse. Quia igitur non decet, nec expedit dictum Episcopatum diu carere nomine atque sede, ac diligentius attendentes, quod castrum Maceratae infra dictam provinciam constitutum dictae terrae Recanati vicinum inter alia de partibus illis insignis, populosus, et aptus locus existit, ad ipsorum Episcopatus et cathedrae obtinendum honorem, ac benignae considerationis examine recensentes, quod universitas et populus praedicti castri Maceratae tanquam ejusdem Ecclesiae devoti filii et fideles, post ipsius Ecclesiae sacra vestigia rectis gressibus incedentes, et eidem Ecclesiae personarum excidiis et facultatum dispendiis non vitatis, multisque spretis laboribus et oneribus expensarum adhaerentes stabiliter in prosperis et adversis praefato Rectori, et aliis, qui eum in provinciae memoratae praecesserunt regimine, sic adstitisse dicuntur fideliter et constanter, quod eos, ut fertur, nulla provinciae supradictae commotio a proposito fidelitatis assumptae turbarit, et nulla pericula temporis perverterunt. Ipsi quidem dicta fluctuante provincia, ingruentibus commotionum fluctibus non cesserunt, nec quovis hostilitatis turbine imminente in sinistri partem lateris claudicarunt. Digne igitur populus et universitas supradicti sibi nostram et ejusdem ecclesiae benevolentiam vendicarunt, et digne virtus ipsorum perseverantiae promeretur, ut eorum et ejusdem terrae Maceratae status et nomen ex nostra promotione concrescat, apostolicis benedictionibus amplietur, et honoris ac laudis suscipiat incrementum. Praemissis igitur paterna benignitate discussis praedictum castrum Maceratae quod partim Firmanae et partim Camerinensis dioecesis existebat ad laudem et gloriam S. et individuae Trinitatis, reverentiam et honorem praecelsae ac beatissimae, et Christiferae Virginis Mariae dominae nostrae, ac totius curie coelestis dictique Maceratensis populi ad laudem ejusdem Ecclesiae Romanae consolationem et gaudium, et eorum Recanatensium perfidorum confusionem perpetuam de fratrum nostrorum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis a Venerabilium fratrum nostrorum Firmani ac Camerinensis Episcoporum, ac Firmanae et Camerinensis Ecclesiarum, Capitulorum, et quorumlibet aliorum spirituali jurisdictione eximentes totaliter, ac fidelium adstante multitudine copiosa in civitatem erigimus, et honore ac titulo et vocabulo civitatis de speciali dono gratiae insigni . . . . . , Ecclesiam seu plebem S. Juliani Macerat. in Cathedralem Ecclesiam erigentes, et ad illam Episcopalem Sedem, quam olim Ecclesia et terra Recanatensis obtinuit cum Episcopalis dignitatis honore, et ipsius capitulo et canonicis eisdem numero, gradibus, ordine ac dignitatibus, in quibus in eadem Ecclesia Recanatensi hactenus existebant, nisi per processus nostros vel alias sint forte privati, necnon et bonis omnibus dudum ad mensam Episcopalem ipsius Ecclesiae Recanatensis dictumque Recanatense Capitulum communiter et

divisim spectantibus transferentes, ita videlicet, quod bona, quae ad praefatam mensam Episcopalem eidem Ecclesiae Recanatensi spectabant, ut praetenditur, ad mensam Episcopalem ejusdem Ecclesiae Maceratensis pertineant, et bona, quae ad praefatum Recanatense Capitulum pertinebant communiter vel divisim, ad Capitulum Maceratense pertineant conjunctim vel etim separatim sicut ad praedictum Recanatense capitulum pertinebant. Decernimus insuper Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Maceratensem vocari perpetuo Maceratensem Episcopum, et praedictam Recanatensem Ecclesiam, Capitulum et Canonicos de coetero Maceratensem Ecclesiam, Capitulum et Canonicos nominari, prohibitioni subjiciendo perpetuae nominationem Episcopi et Ecclesiae cathedralis, capituli et canonicorum Recanatensium eorundem, praefatam vero terram et totam dioecesim olim Recanatensem cum omnibus juribus et pertinentiis eorundem Ecclesiae et Episcopo Maceratensi praedictis et successoribus ejus Episcopis Maceratensibus, qui pro tempore fuerint, pro parte dioecesis eorum habendum et perpetuis per eos tenendum et possidendum temporibus assignamus, ac nobis limitationem reliquae partis dioecesis eisdem Episcopo et Ecclesiae Maceratensi assignandae, cum de limitibus ejus plenam ad presens nequeamus habere notitiam, reservamus, praedictis Firmano et Camerinensi Episcopis redditibus, si quos in dicta civitate Maceratensi ad Episcopales Ecclesiarum suarum mensas spectantibus obtinent reservatis. Volumus autem, quod illi de praefato Capitulo qui sunt forte privandi, illud jus in canonicatibus et praebendis ac dignitatibus Maceratensibus habeant et non amplius, quod eis in Recanatensibus canonicatibus praebendis et dignitatibus competebat. Hanc autem exemptionem, erectionem, translationem et assignationem ac prohibitionem nostras sic factas salubriter et utiliter ordinatas perpetuis valituras temporibus robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes auctoritate praedicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque praeeminentiae ordinis, conditionis, vel status existat, et quacumque praeemineat dignitate hujusmodi exemptionem, erectionem, translationem et assignationem et prohibitionem nostras seu aliquod vel aliqua de contentis in eis quovis quaesito colore vel modo causa vel occasione quomodolibet adinventis scienter turbare vel impedire praesumat. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, et nihilominus in eos, qui ex certa scientia contrarium praesumpserint, nisi infra quindecim dierum spatium, postquam hujusmodi prohibitio nostra pervenerit ad notitiam eorundem, vel per eos steterit, quominus potuerit pervenire, a turbatione vel impedimento hujusmodi resipuerint cum effectu excommunicationis, in conventus vero capitula seu collegia suspensionis et universitates

delinquentes quomodolibet in hac parte interdicti sententias de praedictorum fratrum consilio promulgamus, a quibus nullus ab alio quam a Romano Pontifice nisi ab eodem excommunicationis sententia in mortis dumtaxat articulo valeat absolutionis beneficium obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionis, erectionis, translationis constitutionis et assignationis, reservationis, inhibitionis et promulgationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione 14. Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno quinto.

XLI.

Ex Regesto Bullarum Joannis PP. XXII. anno VIII. Tom. IV. Epist. 50.

1324. 10. Junii.

Joannes Episcopus servus servorum Dei

Dilectis filiis Johanni de Ancona et Servodeo de Penna Sancti Johannis de ordine fratrum minorum in Provincia Marchiae Anconitanae Inquisitoribus haereticae pravitatis salutem et Apostolicam benedictionem.

Velut pecus morbidum quod a grege secluditur de medio Christi fidelium tollere cupientes haereticos, debito Nobis impositae sollicitudinis agimus, ut nec ipsi morbi contagio mundos inficiant, nec eis pateat loci refugium, quo subsistant. Sane olim dilectus filius Laurentius de Mondayno de Ordine fratrum minorum tunc una cum Venerabili fratre nostro Nicolao Episcopo Anconitano in Provincia Marchiae Anconitanae auctoritate Apostolica Inquisitor haereticae pravitatis contra Jacobum, Berardum quondam Percivalli, Ajolictum Cruciani, Bulgariscum ejus nepotem, Leonem Zanolum Corradi, et Albricuccium, nec non quondam Fredericum quondam Guidonis Comitis de Monteferetro, ac Percivallinum Gabrielis, et Cerolum dicti Corradi de Recaneto, Lippacium quoque ac Andream quondam Gonzolini de Auximo eadem Apostolica super hiis auctoritate procedens per ea quae fuerunt contra eos probata legitime, ipsos videlicet Jacobum, Berardum, Ajolictum, Bulgariscum, Leonem, Zanolum, et Albricuccium, et quondam Fridericum, Cerolum, ac Percivallinum tamquam ydolatras, et tam eos quam praedictos Lippacium et Andream sententialiter pronunciavit, declaravit et condempnavit haeretica esse labe respersos, et tanquam haereticos excommunicationis vinculo innodatos viventibus tunc temporis praefatis quondam *suco* et Cerolo, jamdicto vero quondam Percivallino in rebellionis contumacia perdurante, mandans eos arctius evitari ab omnibus, ac relinquens ipsos saeculari curiae animadversione debita puniendos. Con-

fiscavit insuper ipsorum bona nostrae et Romanae Ecclesiae camerae, ac eos inhabiles et indignos ad quaecumque officia et beneficia, honores ac actus quoscumque legitimos per suas sententias declaravit, prout in processionibus super iis per dictum Laurentium habitis, et hujusmodi latis sententiis seriosius continetur. Verum quia nonnullae civitates, communitates, universitates, terrae, seu loca, seu singulares personae divinae prorsus miserationis ingratae dicuntur praefatos ydolatras et haereticos aliquos seu aliquem ex eisdem post ipsas dudum receptasse sententias, et receptare ad praesens, ac alias, praestitisse, nuncque ipsis praestare auxilium, consilium valimentum et favorem, Nos, ut dissolvamus talium perniciosa consortia, circa haec cupientes in Domino salubriter providere, quamvis vigore privilegiorum Sedis ejusdem concessorum eidem ordini vestro ab hactenus in dicta provincia Marchiae Anconitanae vobis inquisitionis officium competat hujusmodi haereticae pravitatis, quia tamen, sicut dampnatorum ipsorum eorumque receptatorum auxiliatorum etiam et fautorum horrenda transgressio sibi loci nomen imposuit terminum, sic adversus eos, quod ex foetida suorum criminum obscenitate persequimur suum diffundit justitia magistratum, de Vestrae circumspectionis industria gerentes in Domino fiduciam specialem, Vobis per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et alter vestrum latas per eundem Laurentium auctoritate praemissa contra praefatos Jacobum, Berardum, Aiolictum, Bulgariscum, Leonem, Zanolum, Albricutium, Lippatium et Andream, quondam Fridericum, Cerolum et Percivallinum praemissas sententias exequentes subsequenter de hujusmodi civitatibus, communitatibus, universitatibus, terris, seu locis, seu singularibus personis, sive quibuscumque receptatoribus, auxiliatoribus, consiliatoribus, valitoribus et fautoribus ydolatrarum et haereticorum ipsorum aliquorum vel alicujus eorum, Clericis vel Religiosis aut saecularibus cujuscumque status gradus, ordinis vel conditionis existant, etiamsi Patriarchali seu Pontificali, vel quavis alia dignitate praefulgeant dudum dantibus eis auxilium, consilium, valimentum aliquod seu favorem, seu receptantibus eos vel praesentialiter sive inposterum culpabilibus in praedictis vel in aliquo eorundem infra et extra dictam Provinciam Marchiae Anconitanae, nec non civitatem Urbinatem et olim comitatum ejusdem, terras quoque Sanctae Agathae, Massae trabariae, communitatum Montisferetri, et pertinentiarum eorundem seu alibi ubicumque ac undecumque forsan extiterint cum opportuna et debita diligentia inquiratis, et ad punitionem et condempnationem omnium et singulorum receptatorum uxiliatorum, consiliatorum valitorum et fautorum hujusmodi, ac sententiarum executionem secundum juris formam et hujusmodi privilegia, quibus simul cum omnibus indulgentiis per dictam sedem ordini praedicto

concessis libere in hac parte uti possitis, prout justum fuerit, et Vobis vel vestrum alteri expedire videbitur, diligenter auctoritate nostra et sollicite procedatis. Super quibus omnibus et singulis plenam vobis et vestrum cuilibet tenore praesentium concedimus facultatem, non obstantibus exemptionis et quolibet alio privilegio dictis civitatibus, communitatibus, universitatibus, terris, et locis, seu singularibus personis sub quacumque verborum forma vel expressione concessis etiamsi oporteret de illis plenam et expressam ac de verbo ad verbum in praesentibus fieri mentionem, quorum executioni possent quomodolibet refragari.

Datum Avinione quarto idus Junii, Pontificatus nostri anno octavo.

XLII.

E MSS. D. Petri Bonjoannis apud Rm̃um D. Petrum de Leopardis Decanum Capit. Recanaten.

1326. 22. Julii.

In Dei nomine Amen. Anno Domini 1326. Indictione 9. tempore D. Johannis Papae XXII. die 22. mensis Julii Venerabilis Pater et D. D. *Fredericus* Dei et Apostolicae Sedis gratia Senogalliensis Episcopus suo proprio et privato nomine per se et suos heredes et successores, nec non tamquam heres D. *Zanni, Ballutii, Rubei q. Nicolai* de Racanato ac Nepotum dedit, donavit, et concessit titulo donationis inter vivos et irrevocabiliter perpetuo valiture Religioso viro fratri Benigno de Cingulo Sindico et procuratori Prioris Monasterii et Conventus S. Benedicti de Montefano Camerinensis Dioecesis Ordinis ejusdem Sancti, accipienti et stipulanti vice et nomine dicti Monasterii prioris Conventus, Capituli, et Ordinis supradicti domos, Casalina, molendina, vineas, terras, prata, silvas, pecuniam, jus, et actionem ac nomina debitorum, videlicet domum, casalenum, positum in terra Racanati in quarterio S. Angeli juxta heredem Scambii benedicti, fossum communis, *Ecclesiam S. Mariae de Mercato,* Tutium Spitialem de S. Severino habitatorem Maceratae, et alia latera. Item domos et casarenum positum in dicto quarterio juxta Marcum Nicolai, viam communis, et fossum communis, et alia latera, in qua domo consuevit habere friscula Gratia golate. Item quamdam aliam domum positam in dicto quarterio et etiam juxta dictum Marcum, viam communis, fossum et alia latera, quae domus fuit quondam dicti Gratie golate. Item domum positam in quarterio S. Viti juxta *Dominum Franciscum* de Monte Lupone, viam communis, fossum communis et alia latera. Item vineam cum terra et arboribus positam in contrada *Quinzani,* juxta fossum burgi S. Joannis de dicta terra, viam communis, heredem *Domini Giannis Petri,* heredes *Domini Percivalli,* et alia latera. Item vineam et terram cum arboribus et

domum positam in contrata *Petreti* juxta guazzatorium communis, viam communis ab omni latere. Item medietatem terrae cum vinea et arboribus positis in fundo *spine* sive *vie cave* juxta viam communis, heredes *Domini Giorgi,* rigum a pede et alia latera, quae terra fuit *Blandalitii* nepotis dicti domini Episcopi, quae terra debet esse 43. modioli, quae est indivisa cum domina *Grimola* uxore quondam *Domini Zani.* Item terram cum vinea positam in contrata vie cave, juxta viam communis, heredes Pauli Pamfilie, et alia latera, quae terra fuit quondam dicti Gratie Golate, quae debet esse 12. vel 13. modioli. Item campum terre positum ante *Castellare podii* juxta heredes *Domini Philippi de Massa,* viam communis, rigum a pede et alia latera. qui campus debet esse 40. modioli. — Item campum seu terram positam ante *Castellare Cardeti* juxta heredem Johannutii Magistri Petri, heredem Simpliciani a pede et a capite *Bonjoannem* et *Michaelem,* et ab alio latere terra Episcopatus cum parte Castellarii posita inter d. Bonjoannem et terram dicti Episcopatus, que terra debet esse 43. modioli cum dimidio, quam terram emit Dominus Zanus de Stefano Johannis Zacchei. Item terram positam in fundo *Montalium* juxta *Guidactium Domini Monaldi,* heredes *D. Philippi de Massa, Cicchinum Jacobi* a capite, et rivum a pede seu terram Episcopatus, que terra debet esse 37. modioli, quam emit *Ballutius* frater dicti Domini Episcopi a *Domino Riccardo de Massa.* Item terram positam in fundo *plani cosciari* juxta fossatum communis, viam, et alia latera, que terra fuit Bonjacobi Horadoris, quam Dominus Episcopus a dicto Bonjacobo emit, et debent esse novem modioli. Item terram positam in dicto plano juxta sua latera, que terra fuit *D. Tholomei Thome,* que debet esse 15. modioli. Item terram cum silva positam in fundo *vallis cupe* juxta viam, terram Episcopatus, seu silvam et alia latera, quae terra fuit dicti Tholomei et debet esse 4. modioli. — Item terram positam in fundo *S. Stefani* juxta vias a duobus lateribus et alia latera, quam terram emit dictus D. Episcopus Senogalliensis a Monasterio S. Nicolai, pro pretio 60. librarum pro dicta Ecclesia S. Marie Mercati XI. modiolorum. Item unam fenariam positam in plano Mussionis, que fuit *Blandalisii* ejus Nepotis juxta sua latera que debet esse 8. modiolorum. Item unum casarenum positum in quarterio Sancti Flaviani juxta heredes Fulzetti, vias a tribus lateribus, et terram cum vinea et sterpeto positam inter castrum S. Martini et Montazzani juxta sua latera . . . . quod Casarenum et vinea cum sterpeto fuerunt Muzoli Jacobi Bugalii, que fuerunt data in tenutam per D. Potestatem dicto D. Episcopo Senogaliensi pro pretio 70. librarum, quas dictus Mutius debebat dare dicto Domino Episcopo. Item terram cum vinea posita in fundo *S. Stefani* seu alio fundo juxta sua latera . . . . . que

terra cum vinea fuit *Corradutii Blanze nepotis dicti D. Episcopi.* Item unam petiam terre positam in fundo *S. Laurentii colli longi* juxta sua latera, quam habet communem cum Jacomello Benvenuti, quam terram et vineam habuerunt ab heredibus Gratie Galate. Item molendinum seu postam molendini posita in fundo *Tornasacchi* juxta molendinum *Dominae Grimaldae* uxoris quondam Domini Zanni, et alia latera, quod quidem molendinum emit dictus Dominus Episcopus a Domino *Grimaldisco* pretio 40. librarum. — Item unum molendinum in fundo *Venatii* seu catastam juxta sua latera, quod fuit quondam Philippi Caccitarelli. Item omne jus et actionem quod et quam habet dictus Dominus Episcopus contra commune Racanatense, occasione mille librarum in adjutorium dicte Ecclesie S. Marie concessarum per Commune praefatum, cum hoc, quod dicta Ecclesia officiari faciat per fratres dicti Ordinis per sex Sacerdotes ad minus de Fratribus dicti Ordinis, et unus deputabitur de fratribus dicti ordinis ad regimen et curam hospitalis, quod Dominus Episcopus aedificat et aedificari facit in dicto loco et in dicto Hospitali faciat tenere viginti lectos fornitos de omnibus necessariis.

Datum Macereti in Ecclesia S. Mariae ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, testibus Petrutio Ciccoli de Racanato, et Petro Benedicti de Sancto Elpidio.

Ego Neapoleo Guilielmi de S. Justo etc.

Et ego Paganottus Thomassutii de Racanato etc.

XLIII.

Ex Archiv. secr. Civitat. Recanat.

1328. 1. Decembr.

In dei nomine amen. Anno domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo indictione undecima, die prima mensis decembris, Pontificatus sanctissimi Patris et domini nostri domini Johannis divina providentia Pape XXII. anno tertiodecimo. Constitutus discretus vir *Magister franciscus Jacobi* de Racanato Syndicus et procurator Nobilium virorum . . . . Potestatis . . . . Regiminum, consiliariorum communis et populi terre Racanati, quorum consiliariorum nomina sunt hec, videlicet: *Lippolus Jacobutii guidi, Actolus bevenuti, gregorius Salvi—, Marinus bevenuti, Petrutius salvutii, Thomasucius Johannis, Corradutius Symi, Claudius Acti* Priores populi dicte terre, *Raynalductius Domini Thome, Guidatius Domini Monaldi, Dominus Crutianus Alexandri, Scoppolus Corradi, Putius Petri, Massius jacobutii, Vannes Monaldutii, Gualterutius Jacobi, florianus Jacobi, Dominus Mattheus Alberti, Landrinus johannis, Moricus Cardoli, Nicolutius Jacobi, Johagnolus Grimaldi, finolus vannutii, Magister Johan-*

nes faber, Andreas Racanati, Nardolus Thomassutii, Thodinus Accurri, Guilelmutius bertrandi, Ciscolus frederici, Mellus gualterutii, Gilius gentilutii, Potolus floriani, Lolus frederici, butolus donati, butolus Uguizzonis, Victor georgii, Rigotius consuli, Jhoannes Stephani, Petrutius Petri, Andreas colutii, Michael Magistri Petri, Mellus baroni, Vannes Thomassetti, Mutius acti, franciscus Petri, Ciscolus francisci, Claudius corradi, franciscus Maynecti, Nicolutius Marcellini, Venturella Jacobi, Mutius Thomassutii, Vannes johannis licte, Nicolutius Compagnoni, Martinus jacobutii, Vannutius johannis, Mattheus Venture, Marcutius Guilelmi, clodius jacobutii, Ritius ciscoli, Bertholus bertini, Petrutius Symi, Lentius Corradi, Putius Jacobutii, Ciscolus Raynaldi, Paulutius Thadelgardi, Mutius johannis, Corradus Palmerii, Nicola Raynaldi, lippolus jacobi, Johanninus Symonis, georgius Angeli, Nerolus girardi, Putius Alevrandini, ciscolus Thomassutii, Massius Uguecti, Magister franciscus jacobi, ciscolus Jacobutii, Antonius accursi, Magister Angelus Symi, Theulus domini Morici, Massius cagni, Philippus Thome, Vannutius jacobutii, gregorius andree, guidutius jacobutii, guilelmus Jacob, Santonus johannis, Gilius Mathei, Magister Petrus Rogerii, Benedictus Symonis, Victor bonaventure, bartholutius johannis, Ciscolus Symonis, Petrutius Thome, Marcutius Consoli, accurrimbona Palmerii, Johannes Adelardi, Thomas Philippi, antonius accurri, Symon johannis, Petrutius jacobutii, Monaldutius Margarite, Vagnolus Raynaldi, Matheus Pauli, Petrutius Donati, Antonius Cisci, Jordanus Symonis, Ciscolus Jacobutii, Pregadeus Jacobi, Johannutius Simonis, Andreas Venantii, Putius Ugolini, Servideus Jacobi, Matheus Andree, Mutius bartholomei, Philipputius bonjacobi, Putius Angelutii, Massiolus Salvutii, franciscus guilelmi, Nicolutius johannis, Pagnonus acti, Ciscolus angeli, Putius johannis, Ciscolus Mathei, Matheus Andree, bertutius gualterutii, ghibertus johannis, Mutius Herrici, Symon Cucinati, Petrutius Raynerii, firmanus Bartholomei, Carpinellus bertholi, Ciscolus dominici, Nicolutius benedicti, bonjohannes dominici, blasius bevenuti, Ciscolus johannis, Ballutius Mathei, Ciutius bartholomei, Matheus entengi, Ciscolus Contis, Crucianus dominici, Butolus Michaelis, Angelucius Johannis, Ciscolus johannutii, Colutius butoli, et *Ugolinus Symonis de Racaneto,* prout de Syndicatu et procura constat publico instrumento scripto manu *Thome Uguecti* Notarii, ut prima facie apparebat, ad infrascripta specialiter ordinatus, coram Reverendo in Christo patre *Domino francisco Episcopo florentino* Apostolice Sedis Nuntio, et Venerabili viro Domino *fulcone de Popia* Thesaurario ecclesie Andegavensis in Anconitana Marchia Vicerectore generali in spiritualibus et temporalibus per Sanctam Romanam ecclesiam deputato, Commissariis

ad infrascripta per Sedem Apostolicam predictam specialiter constitutis Syndicario et procuratorio nominibus, quibus supra et suo proprio eisdem dominis commissariis cum omni humilitate reverentia et devotione exposuit, quod cum Commune terre Racaneti predicte et homines ipsius terre dudum in rebellione Sancte Romane Ecclesie persistentes, que rebellio incepisse dignoscitur tempore quo Venerabilis vir Dominus *Vitalis Brost* dictam provinciam pro Sancta Romana Ecclesia regebat, ac eandem ecclesiam ejusque officiales et fideles excessibus gravibus duxerint offendendum, et dampnate memorie *Frederico de Monteferetro, Lippacio et Andree de Auximo* dampnatis de heresi et rebellibus per judices competentes, et aliis dampnatis de heresi et rebellibus dicte Sancte matris ecclesie, domini nostri summi Pontificis per ejusdem domini nostri processus condemnatis dederint consilium, auxilium, et favorem, et jamdiu ab hujusmodi vitiis recesserint, et in pura obedientia et fidelitate ipsius matris ecclesie firmiter remanserint, Supplicavit humiliter nominibus quibus supra et suo, quod dignarentur ipsum commune et singulares personas ipsius, quorum Syndicus et procurator existebat, ab excommunicationis et aliis sententiis et penis spiritualibus et temporalibus, bannis, condempnationibus, privationibus, inhabilitationibus, diffidationibus, bonorum et jurium publicationibus, quos, quas, et que dictum Commune et singulares personas ejusdem per processus Apostolicos seu per processus et sententias domini Rectoris Marchie et officialium ejus, aut Inquisitores haereticae pravitatis, et etiam contra eos inflictas occasione predicta a jure communi seu constitutionibus quibuscunque, et per ordinarium quondam ipsorum, et omne interdictum in dicta terra Racanatensi et ejus districtu positum seu contractum occasione prefata absolvere, tollere, et totaliter relaxare, ac commune dicte terre et speciales personas ipsius restituere in integrum ad omnia jura, bona, res, territoria, comitatum, castra, villas, silvas, prata, portum, feuda, usus, consuetudines, prescriptiones, privilegia, libertates, et immunitates, famam, statum, dignitates, et honores, quibus essent per Apostolicos processus seu processus quoscumque alios aut a jure communi seu constitutionibus quibuscunque occasione predicta privati, ac omnes processus, sententias, banna, condempnationes spirituales et temporales, que quomodolibet apparerent seu apparere possent imposterum contra eos occasione prefata, cancellari et aboleri totaliter cum effectu, ita quod ex nunc pro cassis et cancellatis habeantur, ipsosque habilitare ad omnes actus legitimos ecclesiasticos et mundanos, ad quos redditi essent inhabiles et indigni per processus Apostolicos antedictos, ac abolere cujusvis infamie maculam sive notam contra ipsos et eorum quemlibet ex premissis et iufrascriptis subortam, cum paratus sit syndicus et procurator predictus Syndicario et pro-

curatorio nominibus quibus supra et suo proprio semper velle stare, et perseverare in fidelitate et obedientia mandatis et preceptis et dictis Sancte Romane Ecclesie et supradicti domini nostri et suorum officialium, ac omnes obedientias hactenus factas per dictum commune et singulares personas ipsius in manibus cujuscumque officialium Romane ecclesie approbare, servare, et ratificare et contenta in ipsis easque de novo promittere et facere alte et basse libere et precise et predictis hereticis, rebellibus, et dampnatis, vel aliis quibuscumque rebellibus nunquam adherere, nec cum ipsis habere de cetero participationem, nec eis prestare in aliquo auxilium consilium, consilium vel favorem ac facere omnia et singula et inviolabiliter complere et observare pro predictis excessibus, rebellionibus, culpis et forfactis et aliis occasione rebellionis jam dicte per commune prefatum et singulares personas ipsius communiter vel divisim commissis, que in infrascriptis punctis per dictum Syndicum et procuratorem Syndicario et procuratorio nomine quibus supra et suo acceptatis et receptis per dictum Syndicum, et ab eisdem dominis commissariis ordinatis, injunctis, et impositis continentur, et contenta in eis firmiter adimplere, et cum effectu complere et alias omnes penas spirituales et temporales supportare et effectualiter satisfacere de eisdem, secundum quod per dictos Commissarios extiterit ordinatum, quorum punctorum tenor dignoscitur esse talis. — In dei nomine amen. In compositione fienda per dictum commune et homines terre Racaneti tam pro honore Romane ecclesie et reverentia Dominorum Episcopi florentini et domini Vicerectoris, tam etiam pro observatione eorum que in dicta compositione promittuntur et veniunt quod infrascripta exprimantur et effectualiter fiant. *Inprimis* quod in dicta terra ponatur Potestas per supradictos Dominos Episcopum et Vicerectorem fidelis et de terra fideli, de quo populus et . . . . exititii Racaneti possint et valeant merito contentari in manu forti. — *Item* quod eidem Potestati tradantur obsides per dictum commune Recaneti de melioribus et idonioribus ipsius terre, detinendi per dictum Potestatem extra dictam terram Recaneti in tutiori loco, prout melius videbitur ipsi Potestati, usquequo pecunia seu quantitas promissa et deducta in compositione jamdicta . . . . Thesaurario sancte Romane Ecclesie erit persoluta vel de ipsa integraliter satisfactum. *Item* quod ipsa compositio fiat generalis et specialis et in forma consueta quantum fieri potest, observato tenore litterarum Apostolicarum predictis dominis Episcopo et Vicerectori directarum, expresso tamen, quod Castrum *Montis Florum* et *turris Aspie* retineantur pro ecclesia quousque per Sedem Apostolicam de ipsis fuerit aliud ordinatum. *Item* quod etiam facta compositione et rogatis inde Notariis commune Racaneti non possit nec valeat exercere aut vendicare aliquam jurisdictionem, quousque

quantitas deducta in compositione predicta fuerit integraliter satisfacta. *Item* quod si contigeret, quod absit, quod dicta terra Racaneti rebellaret, existentibus dictis obsidibus penes Potestatem predictum ex causa predicta, quod predictus Potestas teneatur et debeat tradere et assignare dictos obsides predictis Dominis Episcopo, et Vicerectori aut successori ipsius in officio. *Item* quod predictus Potestas teneatur et debeat dictos obsides tradere et assignare sequenti Potestati ponendo per supradictos dominos Episcopum et Vicerectorem in dicta terra Racaneti, et sic de singulis in eisdem conditione et causa, quousque quantitas predicta fuerit satisfacta. *Item* quod in compositione presenti non veniant nec includantur aliqui qui non fuissent cives Racanatenses saltim per duos annos ante rebellionem factam tempore Domini *Vitalis Brost,* et quod habeantur pro exceptuatis ab ipsa compositione *dominus grimaldiscus et Rigutius lippi,* et alii qui reperirentur condempnati in curia Racaneti occasione excessus commissi contra dominum *Botium* archidiaconum Camerinensem. — Declaratio terminorum in quibus debet fieri solutio, est ista, quod usque ad Kalendas Januarii proxime venturas solvantur quingenti floreni, et quingenti usque ad festum Resurrectionis immediate sequentem, et mille floreni in festo Nativitatis domini post dictum festum Resurrectionis immediate sequentem, et reliqui mille et plus, prout dixerint dominus . . . . Episcopus Senogaliensis, et . . . . Archidiaconus Camerinensis in Kalendis Augusti postea sequentibus. Obsides vero dabuntur in numero *octo,* qui mense quolibet possint renovari cum eque idonioribus. Qui domini Commissarii antedicti juxta formam commissionis predicte eis facte cupientes resilire errantes a devio, et eis volentes manum benigne porrigere sublevantem, attendentesque devotionem, quam commune predictum et singulares persone ipsius habent et ostendunt erga sanctam Romanam ecclesiam, dominum nostrum summum Pontificem et ejus officiales indefessam de consilio plurium Prelatorum Nobilium et sapientum virorum fidelium de dicta Marchia eisdem dominis Commissariis astantium predictum Syndicum et Procuratorem procuratorio nomine quibus supra et suo ad obedientiam, fidelitatem, misericordiam et gratiam dicte Sancte Romane Ecclesie domini nostri, et ipsorum Commissariorum receperunt et mandata, ratificantem et approbantem primo per ipsum Syndicum et procuratorem nomine quibus supra et suo omnem aliam obedientiam coram Venerabili viro domino *Amelio* quondam dicte Marchie Rectore vel officialibus suis seu quocumque alio commissario seu officiali sancte Romane ecclesie et domini nostri predictorum per commune prefatum et singulares personas ipsius hactenus factam quoquomodo, ipsamque syndicario et procuratorio nominibus prelibatis et suo de novo promittentem, facientem, et solempniter innovantem coram dominis Com-

missariis antedictis nomine dicte sancte Romane ecclesie et ejusdem domini nostri effectualiter recipientibus ac etiam stipulantibus, recepto prius ab ipso Syndico et procuratore syndicario et procuratorio nominibus quibus supra et pro eo, juramento corporaliter tactis sacrosanctis scripturis de stando et parendo alte et basse libere et precise, omni exceptione et fictione remotis perpetuo mandatis sancte Romane ecclesie, domini nostri summi Pontificis, et officialium eorundem, ac dominorum Commissariorum predictorum vel aliorum deputandorum in ipsa Marchia per Sanctam Romanam ecclesiam vel dominum nostrum prefatum, et de observandis integraliter et inviolabiliter fraude et dolo quibuslibet cessantibus omnia et singula supradicta et infrascripta et alia universa et singula, que predicti Commissarii duxerint ordinanda seu etiam injungenda, et nichilominus pro tenendis, complendis et firmiter observandis omnibus supradictis et infrascriptis, ac quod de cetero de heresi dampnatis et eisdem rebellibus et aliis quibuscumque ecclesie Romane et domini nostri ac offitialium eorundem, et non favebunt nec partecipabunt cum ipsis, nec aliquem favorem, auxilium vel consilium prestabunt eisdem publice vel occulte, directe vel indirecte per se vel alium seu alios se et bona sua nominibus quibus supra et suo et cujuslibet eorum quorum syndicus et procurator existit, expresse et specialiter obligavit sub pena incursuri prestiti juramenti et repetiti et prestiti in quolibet capitulo presentis contractus et viginti milium marcharum argenti, quam penam prefatus Syndicus et procurator totiens incurrere voluit et promisit nominibus antedictis et suo eisdem dominis Commissariis nomine sancte Romane Ecclesie, domini nostri, et ipsius Camere recipientibus et solenniter stipulantibus, quotiens ipsum quibus supra nominibus contra predicta et inferius promissa per eum aliqualiter venire contingat, que pena totiens committatur et exigatur, committi et exigi possit, quotiens in premissis et infrascriptis vel aliquo ipsorum seu dependentium vel emergentium ab eis contraventum fuerit sive factum quovis modo sive causa, qua pena commissa vel non commissa, exacta vel non, ac petita vel non, seu etiam soluta vel non soluta semper contractus hujusmodi et omnia in ipso contenta remaneant in sui roboris firmitate. Promisit insuper memoratus Syndicus et procurator syndicario et procuratorio nominibus jam dictis et suo eisdem dominis Commissariis ut premittitur nomine sancte Romane ecclesie et domini nostri solenniter recipientibus facere et procurare cum effectu, quod *Ajolectus Cruciani, Berardus domini Percevalli, Burgareschus Simpliciani, et Zanolus Corradi* de Racaneto super certis capitulis heresim sapientibus per judicem competentem dampnati ac rebelles Romane ecclesie ac domini nostri et officialium ipsius et alii extrinseci et rebelles de Racaneto ad mandata di-

ctorum dominorum Commissariorum et obedientiam venient et redibunt libere et precise, secundum quod iidem domini Commissarii duxerint ordinandum, et quod omnia et singula que ipsi domini eisdem et cuilibet ipsorum duxerint injungenda, sine diminutione integraliter facient et complebunt, ac quod dictum commune et terra Racaneti nullum statutum, ordinationem seu reformationem aliquam facient quocumque ingenio vel colore quesito, directe vel indirecte, tacite vel expresse contra honorem et statum sancte Romane ecclesie, domini nostri et officialium ipsorum, aut ecclesiasticam libertatem, jurisdictionem et jura, seu ecclesiasticas personas quascumque. Et si in contrarium contigerit attentari, ex nunc pro nullis, cassis, et irritis, ac nullius roboris, firmitatis habeantur. Et si hactenus essent aliqua ordinata, facta et constituta seu reformata contra premissa vel aliquod premissorum seu contingentia ea vel ab eis dependentia, ipsis prefati Racanatenses non utantur, et facient illa aboleri, ac pro cassis et irritis ex nunc reputentur et habeantur omnino, Et pro habundatiori cautela et majori omnium firmitate in presenti contractu contentorum et expressorum et ab eis dependentibus quovis modo ad ejusdem Syndici et procuratoris instantes preces et requisitionem *Nobiles viri Raynaldutius domini Thome, Guidatius domini Monaldi, Corradutius Corradi, Vannes Monaldutii, Mutius Santese, Bonjohannes Michaelis, Claudius Mathei, Ciscolus Philippi, Theolus Mathei, Victor Georgii,* dominus *Matheus Alberti*, et dominus *Benedictus johannis* de Racaneto. et quilibet eorum in solidum fidejussorio nomine pro predictis et infrascriptis omnibus et singulis inviolabiliter observandis et complendis se ipsos et omnia bona sua mobilia et immobilia presentia et futura sub penis predictis in omnem casum et eventum fidejusserunt et se expresse obligarunt, promittentes fidejussorio nomine quibus supra, ac jurantes corporaliter tactis sacrosanctis scripturis per eos et eorum quemlibet, quod si premissa omnia et singula in presenti contractu per supradictum Syndicum et procuratorem syndicario et procuratorio nominibus quibus supra non fuerint integraliter observata, penam predictam persolvent de eorum bonis propriis cum effectu. Renuntiantes pro premissis omnibus et singulis adimplendis et firmiter observandis omni privilegio et beneficio fidejussorum juris et facti et omni alteri privilegio sive juri, per quod contra predicta vel aliquod predictorum se possent quomodolibet defendere vel tueri, et se constituerunt in defectum premissorum vel alicujus eorum principales debitores ex certa scientia et expresse; quam penam et omnia et singula in presenti contractu contenta Syndicus et procurator prefatus syndicario et procuratorio nominibus quibus antedictis penitentia salutari dictum Magistrum franciscum Syndicum et procuratorem sepedictum ut supra nominibus et suo coram ipsis dominis Commissariis genuflexum stantem

et cum omni reverentia humiliter postulantem suo nomine et syndicario et procuratorio nominibus antedictis et omnium et singulorum de dicta terra Racaneti et ejus districtu juxta formam ecclesie consuetam auctoritate eis in hac parte commissa ab omnibus et singulis excommunicationum sententiis, bannis, condempnationibus, culpis, transgressionibus, delictis et forefactis atque penis spiritualibus et temporalibus, quas et que predictum commune et singulares persone ipsius terre Racaneti seu ejus districtus per processus Apostolicos seu Rectoris Marchie vel officialium ejus, aut inquisitoris heretice pravitatis aut ordinarii quondam ipsorum vel a jure communi se constitutionibus quibuscumque causis et occasionibus supradictis ac dependentibus seu emergentibus ab eis vel aliquo ipsorum incurrissent quovis modo, juxta formam ecclesie absolverunt, interdictum quoque omne in dicta terra et ejus districtu positum, vel si quod aliud quod incurrissent, alias quoquomodo dictis occasionibus totaliter relaxarunt, ipsumque quibus supra nominibus et suo restituerunt in integrum ad famam, statum, dignitates, privilegia et honores, quibus essent privati per processus Apostolicos predictos occasionibus antedictis, habilitantes eum nominibus antedictis ad omnes actus legitimos ecclesiasticos et mundanos, ad quos per processus Apostolicos antedictos vel alio quovis modo occasionibus memoratis redditi essent inhabiles et indigni, omnemque infamie maculam sive notam contra ipsos et ipsorum aliquem ex premissis vel aliquo premissorum subortam totaliter abolentes, ac ex nunc cassantes et annullantes omnes processus et sententias latas contra dictum commune et singulares personas ipsius premissis occasionibus quomodocumque. Adjecto tamen per dictos dominos Commissarios specialiter et expresse, quod si predictum commune vel singulares personas ipsius ullo unquam tempore, quod absit, rebellarent, et in ipsa rebellione pertinaciter persisterent contra Romanam ecclesiam, dominum nostrum aut Rectorem Marchie, seu dominos Commissarios antedictos vel alios officiales quoscumque dicti domini nostri seu Romane ecclesie, aut dampnatis de heresi seu rebellibus ipsis adhererent in aliquo vel prestarent auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, tacite vel expresse, per se vel alium seu alios, aut contra predicta vel aliquod predictorum aliqualiter ipsos venire contingat, eo ipso contravenientes et rebellantes hujusmodi in easdem penas et sententias juxta formam commissionis domini nostri inferius adnotatam relabantur ipso facto.—Qui Syndicus et procurator memoratus statim post predicta sic acta *Nobiles viros Ajolectum, Berardum, Burgarischum, et Zanolum* supradictos, *Corradum Thodeschi Jacob, Massium domini Burgarischi, Crucianum Ajolecti, joffredum jacobutii, Phylipputium domini Raynaldi* alias dictum *Papeolam* et *Mutium Janoli* coram eisdem dominis Commissariis ad mandata ecclesie

Romane et domini nostri et ipsorum dominorum Commissariorum facienda humiliter et devote presentavit, prout superius promisit, ad que Nobiles predicti cum omni humilitate accedentes obedientiam et mandata hujusmodi fecerunt in omnibus, prout patet publico instrumento scripto manu Notarii infrascripti in omnibus et per omnia ad voluntatem et mandatum dominorum Commissariorum predictorum. Commissionis autem dictorum dominorum Commissariorum tenor talis est.

XLIV.

1328. 1. Decembr.

In nomine domini amen. Anno ejus a nativitate millesimo trecentesimo vigesimo octavo, indictione undecima, die prima mensis Decembris Pontificatus Sanctissimi Patris et domini nostri domini Johannis divina provividentia Pape vigesimi secundi anno tertiodecimo. Constituti in presentia Reverendi in Christo Patris domini *francisci Episcopi florentini* Apostolice Sedis nuntii, et Venerabilis viri domini *fulconis de Popia* thesaurarii ecclesie Andegavensis, Marchie Anconitane in spiritualibus et temporalibus Vicerectoris per sanctam Romanam Ecclesiam generalis, Commissariorum ad infrascripta per Sedem Apostolicam deputatorum, *Nobiles viri Ajolettus Cruciani, Berardus domini Percevalli, Burgarescus Sempritiani*, et *Zanolus Corradi* exititii olim de Racaneto de rebellione condempnati tempore quo ipsi cum sequacibus eorum terram Racaneti in rebellione contra Romanam ecclesiam et officiales ipsius tenebant, que rebellio tempore quo Venerabilis vir Dominus *Vitalis brost* regebat provinciam marchie noscitur incepisse per processus domini nostri predicti et officialium ipsius in dicta provincia, nec non et pro certis excessibus per ordinarium quondam eorum, ac dampnati de certis heresibus et idolatriis per processus inquisitoris heretice pravitatis in Marchia cum omni humili instantia et debita reveverentia et subjectione *capitibus denudatis et submissis ac genibus flexis sub vexillo sancte Romane ecclesie* eisdem dominis Commissariis *supplicarunt, quatinus* de eorum dominorum commissione, benignitate, et gratia ipsos et eorum quemlibet admittere et recipere dignentur nomine predicti domini nostri et ipsius sancte Romane ecclesie ad devotionem, obedientiam, reverentiam, precepta, mandata, et fidelitatem predictorum domini nostri et Sancte Romane ecclesie, ipsorum Commissariorum, et officialium omnium eorundem, eosque absolvere ab omnibus excommunicationum sententiis, processibus, bannis, condempnationibus, diffidationibus spiritualibus et temporalibus, quas, quos, et que ipsi incurrerunt occasione predicta, seu occasione favoris prestiti per eos dampnate memorie *frederico de Monteferetro, guidoni tingie filio dicti frederici, Lippatio et Andree de Auximo*

de heresibus certis dampnatis *et aliis rebellibus de Urbino, Auximo, fabriano et firmo* et aliis de terris rebellibus quoquomodo, vel incurrissent per processus Apostolicos, seu per processus et sententias dominorum Rectorum Marchie qui pro tempore fuerunt, et officialium ipsorum, seu ordinariorum eorundem Nobilium, seu inquisitoris aut inquisitorum heretice pravitatis et etiam contra eos inflictis occasionibus predictis vel alia quacumque a jure communi seu constitutione quacumque, et restituere in integrum ad omnem famam, statum, dignitates, privilegia, et honores quibus essent per Apostolicos processus occasione predicta privati, et ipsos abilitare ad omnes actus legitimos ecclesiasticos et mundanos ad quos redditi essent inhabiles et indigni per processus Apostolicos predictos ac abolere cujusvis infamie maculam sive notam contra ipsos et ipsorum quemlibet ex premissis vel aliquo premissorum subortam misericorditer dignarentur, cum essent parati ipsi et eorum quilibet ad gremium sancte Matris ecclesie humiliter et absque fictione et exceptione qualibet firmiter redire et se submittere perpetuo alte et basse, libere et precise voluntati, dispositioni, ordinationi, precepto et dicto pro quibuscumque excessibus, delictis, inobedientiis, et forefactis per eos vel eorum aliquem principaliter vel aliis de heresi dampnatis in Marchia vel terris commissis regimini ipsius Marchie Rectoris, vel favendo specialiter dampnate memorie frederico, Lippatio et Andree predictis, et aliis de heresi dampnatis et rebellibus seu aliis quibuscumque de dictis locis rebellibus vel dampnatis contra prefatam sanctam ecclesiam, dominum nostrum predictum et officiales eorum perpetratis aut commissis quovis modo dicti domini nostri et dominorum Commissariorum predictorum seu aliorum deputandorum per ipsum dominum nostrum seu sanctam Romanam ecclesiam antedictam, et emendare et satisfacere in omnibus secundum ordinationem precepta et voluntatem dictorum dominorum Commissariorum de perpetratis et commissis per eos prout ipsi domini Commissarii duxerint ordinandum. Qui domini Commissarii juxta formam litterarum Apostolicarum super hoc eis concessarum cupientes resilire errantes a devio, et eis volentes manum benigne porrigere sublevantem, et predictorum Nobilium effectum bonum advertentes, primo quosdam articulos hereses continentes quas prefati Nobiles dampnabiliter tenebant seu tenuerunt, de quibus per Inquisitores heretice pravitatis extiterant condempnati per Venerabilem et religiosum virum dominum fratrem *Matheum abbatem Monasterii Sancti Laurentii de Sancto Severino* de mandato dictorum dominorum commissariorum coram eis lectos, iidem Nobiles ipsas hereses et omnem aliam abjurarunt seu anathematizarunt in manibus dominorum Commissariorum predictorum in hunc modum:

In dei nomine amen. Coram vobis Reverendo in Christo patre et domino domino *francisco dei gratia Episcopo florentino* et Venerabili viro domino *fulcone de Popia* Thesaurario ecclesie Andegavensis in Anconitana Marchia in spiritualibus et temporalibus Vicerectore per Sanctam Romanam Ecclesiam generali commissariis et delegatis ad infrascripta per Sanctissimum patrem et dominum nostrum dominum Johannem divina clementia papam vigesimum secundum constituti nos *Ajolectus Cruciani*, *Berardus domini Percevalli*, *Burgariscus Sempritiani*, et *Zanolus Corradi* de Racaneto indigni servi dei cognoscentes veram catholicam et Apostolicam fidem anathematizamus omnem heresim, precipue eam de qua hactenus infamati fuimus per sententiam quondam fratris *Laurentii de Mondaino* de ordine fratrum Minorum tunc heretice pravitatis inquisitoris, que astruere conatur, *licere habere demonem in idolo inclusum ad modum unius prelati fabricato, et ab ipso demone habere et requirere consilium in factis suis, et responsa recipere, et secundum ejusdem demonis responsa in eorum factis procedere, et ipsum idolum adorare et honorare.* Item anathematizamus omnem heresim precipue eam de qua hactenus infamati fuimus per prefatam sententiam, que astruere conatur, *licere habere et tenere, honorare et adorare idolum ad modum unius militis fabricatum et indutum cum uno capputio de vario in capite, et cum ense in manu et ad latus et cum una mazza in manu, et revereri, et reverenter ei flecti, et inclinari ei capita extrahendo capputium, et recognoscere a dicto idolo omnem victoriam.* Item anathematizamus omnem heresim precipue eam de qua hactenus infamati fuimus per prefatam sententiam, que astruere conatur: *celebrare divina, et recipere corpora mortuorum excommunicatorum ad ecclesiasticam sepulturam, et offendere aliquem nolentem celebrare tempore generalis et ecclesiastici interdicti non fuisse nec esse peccatum.*— Item anathematizamus omnem heresim precipue eam de qua infamati fuimus per prefatam sententiam, que astruere conatur: *licere subditos posse facere Episcopum de paleis, imponendo super capite ejus cappellum episcopale, et convocare gentes, et facere accendi candelas in contemptum clavium, negando ecclesie potestatem, et dictum Episcopum sic factum mandare comburi, et dicere, melius posse subditos suum Episcopum excommunicare, quam Episcopus possit excommunicare eosdem subditos.* Item anathematizamus omnem heresim precipue eam, de qua hactenus infamati fuimus per sepefatam sententiam, que astruere conatur: *virum posse uxorem suam recommendare* (ntem) *ipsum Christo et cruci, occidere, et quod uxor reccommendare debeat virum diabolo danti victoriam, et non christo crucifixo, qui non potuit juvare seipsum, nedum alios.* Consentimus autem sancte Romane ecclesie et Apostolice Sedi, et

ore et corde profitemur de supradictis articulis omnibus et singulis eandem fidem nos tenere, quam sanctissimus Papa Johannes vigesimus secundus, et hii venerabiles patres scilicet Episcopus florentinus et dominus fulco in dicta provincia Marchie Vicerector et commissarii auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradiderunt et tradunt, nobisque firmarunt et firmant scilicet, *non licere habere demonem inclusum in idolo ad modum unius Prelati fabricato, et ab ipso demone consilium querere et responsa recipere, et secundum ejusdem demonis responsa in eodem factis procedere, et ipsum idolum adorare et honorare; et non licere habere nec tenere, honorare nec adorare idolum ad modum unius militis fabricatum et nedum* (indutum) *cum uno capputio de vario in capite et cum ense in manu et ad latus, et cum una mazza in manu, et revereri, et reverenter inclinari capita, trahendo sibi capputium, et recognoscere ab eo omnem victoriam. Et non licere credere nec tenere non peccare facere occidi sacerdotes, nec esse peccatum. Et non licere, non fuisse nec esse peccatum dicere vel tenere celebrari divina facere, recipere corpora mortuorum excommunicatorum ad ecclesiasticam sepulturam tempore ecclesiastici interdicti: Et non licere posse facere Episcopum de paleis in contemptum clavium, negando ecclesie potestatem, et dictum Episcopum sic factum mandare comburi, et dicere, quod melius possunt subditi Episcopum excommunicare, quam Episcopus subditos suos. Et non licere tenere nec dicere, quod si uxor recommendat virum christo crucifixo, quod licitum sit viro interficere eam, et dicere seu tenere, quod uxor recommendare debeat virum diabolo danti viro victoriam, et non christo crucifixo, quia non potuit se juvare, nedum alios.* Jurantes per sanctam homoysyon trinitatem et per hec sacrosancta evangelia, eos, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus et consecratoribus suis eterno anathemate dignos esse pronuntiamus; quod si nos ipsi vel aliquis seu alter nostrum aliquando contra suprascripta vel aliquod eorundem aliquid sentire aut predicare presumserit, canonum severitati subjaceamus . . . . et perlectis sponte subscripsimus et fatemur nos catholice et apostolice ecclesie et predicti Sanctissimi patris et domini nostri domini Johannis divina clementia pape XXII statuta perpetuo servaturos. — Que omnia suprascripta et abjurationem ipsam de predictis heresibus sic sollempniter et juridice factam per ipsos et quemlibet ipsorum ipsi domini Commissarii receperunt et admiserunt juxta formam litterarum Apostolicarum eis directarum. — Post que statim per dictos dominos Commissarios eisdem Nobilibus et eorum cuilibet de consilio plurium prelatorum, Nobilium et sapientum virorum fidelium de dicta Marchia eis astantium pro penitentia salutari mandatum extitit et injunctum, *quod infra tres annos proxime venturos*, quando

voluerint, *limina Apostolorum Petri et Pauli in Urbe persónaliter debeant semel visitare,* et de visitatione hujusmodi eisdem dominis Commissariis vel aliis seu alii qui pro tempore fuerint in Marchia pro Romana ecclesia, teneantur facere plenariam fidem. Item quod quoad vixerint ipsi et eorum quilibet *semel in septimana teneantur jejunare die una,* et si legitimo impedimento impediti jejunare non possent, reficere ipsa die unum pauperem teneantur ad honorem Dei. *Item* quod eorum quilibet quoad vixerit die qualibet *dicere debeat decem vicibus orationem dominicam cum ave Maria,* et quod si noluerint predicta dicere possit in una die pro quatuor vel sex diebus, et quotiens oblitus esset hujusmodi dicere in uno die, in altero possit recuperare. *Item quod pro carcere* et penitentia *teneantur stare* et debeant usque ad beneplacitum dominorum *in burgo castri novi* de Racaneto, nec inde recedere vel exire, aut terram veterem Racaneti intrare sine ipsorum dominorum licentia speciali. Salvo quod iidem domini Commissarii commiserunt Potestati qui nunc est, vel qui pro tempore in dicta terra fuerit, quod possit eis semel in septimana intrandi dictam terram veterem pro necessariis eorum licentiam dare semper ad dictum burgum redeundo, ut superius est expressum. Quam penitentiam memorati Nobiles et eorum quilibet humiliter et devote acceptarunt, et tactis per eos et eorum singulos corporaliter sacrosanctis scripturis promiserunt eisdem dominis Commissariis sollempniter vice et nomine domini nostri predicti et sancte Romane ecclesie et ipsius Camere recipientibus et sollempniter stipulantibus ac etiam juraverunt nunquam aliquam heresim tenere seu credere, nec hereticis seu fautoribus hereticorum aut *Lippatio et Andree* de Auximo vel aliis quibuscumque dampnatis de heresi seu rebellibus sancte ecclesie romane et domini nostri summi Pontificis, Rectoris Marchie, vel Commissariorum predictorum vel aliorum deputandorum in dicta Marchia per Sanctam Romanam ecclesiam seu prefatum dominum nostrum prestare per se vel alium seu alios auxilium, consilium vel favorem, nec cum eisdem participare publice vel occulte directe vel indirecte, tacite vel expresse, ac stare perpetuo et parere alte et basse ac precise mandatis sancte Romane ecclesie, domini nostri summi Pontificis, Rectoris Marchie, officialium ejusdem, et ipsorum dominorum Commissariorum vel aliorum deputandorum in ipsa Marchia per ipsum dominum nostrum seu sanctam Romanam Ecclesiam prefatam, omni fraude, fictione et dolo remotis super omnibus inobedientiis, delictis, excessibus et forefactis per eos commissis principaliter vel aliis favendo, ut superius est expressum, ac contribuere cum communi Racaneti eos et eorum quemlibet contingente secundum puncta inferius denotanda et contenta in eisdem ordinamenta per dictos dominos Commissarios fidelium de dicta

Marchia quamplurium communicato consilio sub pena incursuri prestiti juramenti, repetiti et prestiti in quolibet capitulo presentis contractus, et XX. milium marcarum argenti, quam penam totiens incurrere voluerunt, et eorum quilibet incurrere voluit, et promiserunt eisdem dominis Commissariis nomine sancte Romane ecclesie domini nostri et ipsius camere recipientibus et sollempniter stipulantibus, quoties ipsos vel eorum aliquem contra predicta et infrascripta vel aliquod eorum aliqualiter venire contingat, que pena totiens committatur et exigatur quotiens in premissis et infrascriptis vel aliquo ipsorum seu dependentium vel emergentium ab eis contraventum fuerit sive factum quovis modo sive causa directe vel indirecte, tacite vel expresse. Qua pena exacta vel non petita, ac etiam soluta vel non soluta semper hujusmodi contractus et omnia in ipso contenta remaneant in sui roboris firmitate. Pro quibus omnibus et singulis firmiter et inviolabiliter observandis et adimplendis se ipsos et omnia eorum bona mobilia et immobilia presentia et futura specialiter obligarunt usque ad integram satisfactionem omnium predictorum et infrascriptorum, ac eorum et cujuslibet ipsorum precibus et mandato ad omnia singula suprascripta et infrascripta observanda *Providi et Nobiles viri Raynaldutius domini Thome, Guidatius domini Munaldi, Corradutius Corradi, Vannes Munaldutii, Mutius Santese, Bonjohannes Michaelis, Claudius Mathei, Ciccolus Philippi, Teolus Mathei, Victor georgii, Dominus Matheus Alberti, et dominus Benedictus Johannis* cives Racanatenses et quilibet eorum in solidum fidejussorio nomine pro predictis et infrascriptis omnibus et singulis inviolabiliter observandis et complendis se ipsos, et omnia eorum bona mobilia et immobilia presentia et futura sub pena predicta, in omnem causam et eventum specialiter et expresse obligantes; Promittentes fidejussores predicti et eorum quilibet, nec non jurantes ad sancta dei evangelia manu corporaliter per eos et eorum singulos tacta expresse fidejusserunt nomine quo supra se facturos et curaturos, quod predicti nobiles et eorum quilibet omnia in presenti contractu contenta fideliter facient et integraliter adimplebunt, et quod si premissa per eos, ut est dictum, non fuerint per supradictos nobiles et eorum singulos integraliter observata, penam predictam persolvent de eorum bonis propriis cum effectu. Renuntiantes pro premissis omnibus et singulis adimplendis et firmiter observandis omni privilegio et beneficio fidejussorum juris et facti, per quod contra predicta vel aliquod predictorum se possint quomodolibet defendere vel tueri, et se constituerunt, obligaverunt in defectum premissorum, seu alicujus eorum principales debitores ex certa eorum scientia et expressa. Tenor punctorum supradictorum talis esse dignoscitur.

In dei nomine. Amen. In compositione fienda per commune et homines terre Racaneti tam pro honore Ecclesie et Reverendorum dominorum Episcopi florentini et domini Vicerectoris, tam etiam pro observatione eorum que in dicta compositione promittuntur et veniunt, quod infrascripta exprimantur et effectualiter fiant. Inprimis quod in dicta terra ponatur Potestas per supradictos dominos Episcopum et Vicerectorem fidelis sancte Romane ecclesie et de terra fideli, de quo populus et exitii Racanatenses possint et valeant merito contentari in manu forti. *Item* quod eidem Potestati tradantur obsides *(etc. ut supra, pag.* 96.*)*

Quibus omnibus sic peractis prefati domini Commissarii. *Ajolectum, Berardum, Burgariscum,* et *Zanolum* nobiles supradictos et eorum quemlibet coram ipsis genuflexos stantes, et cum reverentia, ut premittitur, humiliter postulantes juxta formam ecclesie consuetam absolverunt ab omnibus et singulis excommunicationum, interdictorum, et suspensionum sententiis, bannis, processibus, culpis, transgressionibus, delictis et forefactis atque penis spiritualibus et temporalibus, quos et que predicti nobiles et eorum quilibet per processus Apostolicos et alios processus supradictos, vel a jure communi, seu constitutionibus quibuscumque causis et occasionibus superius expressis, quomodolibet incurrerunt usque in diem date litterarum Apostolicarum predictarum, ipsosque restituerunt in integrum ad famam, statum, dignitates, et honores ecclesiasticos et mundanos, et privilegia, ad que vel quas redditi essent inhabiles et indigni per processus Apostolicos supradictos abilitando eosdem ad omnes actus legitimos ecclesiasticos et mundanos, omnemque infamie maculam sive notam contra ipsos et ipsorum aliquem ex premissis vel aliquo premissorum subortam totaliter abolentes. Adjecto tamen per dictos dominos Commissarios specialiter et expresse, quod si predicti nobiles vel eorum aliquis ullo unquam tempore, quod absit, rebellarent, et in ipsa rebellione persisterent, vel contra premissa vel aliquod premissorum venirent, vel aliquid facere attemptarent contra Romanam Ecclesiam, dominum nostrum summum Pontificem, aut Rectorem Marchie seu dominos Commissarios antedictos, vel alios officiales quoscumque dicti domini nostri presentes vel futuros, aut dampnatis de heresi seu rebellibus ipsius vel aliis quibuscunque rebellibus adhererent in aliquo, vel prestarent auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte eo ipso contravenientes et rebellantes hujusmodi in easdem penas et sententias relabantur juxta formam commissionis domini nostri summi Pontificis supradicti.

Eisdem anno, die, indictione et Pontificatu prefati domini Episcopus et Vicerector Commissarii *Thoi* . . . . *Jacob* alias dictum *Todiscum, Massium domini Burgarisci, Crucianum Ajolecti, Joffredum Jacobutii, Phylipputium domini Raynaldi alias* dictum *Papeolam,* et *Mutium Zanoli*

olim exititios Recanatenses condempnatos de auxilio, consilio et favore per ipsos prestitis Lippatio et Andree dampnatis de heresi ac aliis rebellibus sancte Romane ecclesie in cavalcatis et aliis excessibus quibuscumque genuflexos et humiliter supplicantes, et ad gremium sancte Romane ecclesie redire postulantes et desiderantes absolverunt et eos restituerunt et abilitaverunt ut supra, imposita eis pro modo culpe penitentia salutari, videlicet, quod dictus *Philipputius,* qui plus excessit et deliquit, in dicto burgo usque ad tres menses continue remaneat inde non recessurus sine speciali licentia dominorum commissariorum predictorum, et quoad vixerit, jejunare teneatur semel in septimana, et quando jejunare non posset, illa die teneatur reficere unum pauperem expensis suis, et dicere quoad vixerit omni die decies orationem dominicam cum Ave Maria, et si una die oblivioni traderet, quod in alia sequenti valeat die recuperare. Et quod supradicti alii teneantur pro penitentia usque ad festum Nativitatis proxime jejunare semel in septimana, et quando deficerent, teneantur reficere unum pauperem ut superius est expressum, et dicere usque ad dictum terminum decies orationem dominicam cum Ave Maria et ita fuerunt absoluti per supradictos dominos Commissarios, cum adjectione, prout in absolutione *Ajoletti* et sociorum superius per ordinem continetur. Actum ante domum *Carciole beati Antonii* juxta campum olim *Tarabocti* prope Racanetum in via publica inter domum et campum ipsum, presentibus Venerabilibus patribus dominis fratre *Petro Maceratensi* et *frederico Senogaliensi* Episcopis, *fratre Servideo de penna sancti Johannis* ordinis fratrum minorum inquisitore heretice pravitatis in Marchia supradicta, Domino *Arnaldo guilelmi Rectore ecclesie* de Rasaliaco eduensis diocesis dicte Marchie Thesaurario, Domino fratre *Matheo* abbate Monasterii sancti Laurentii, Domino *Aldovranno* abbate Monasterii Sancti Mariani de Sancto Severino, Domino *Bernardo de Barbarano* dicte provincie Marescallo, Domino *Botio* de Montelupone archidiacono Camerinensi, Domino *Leopardo* de fulgineo archipresbitero beneventano, Domino *Andrea dominici* de firmo milite, Domino *Nutio* de Mathelica jurisperito, *Putio domini gualterii de Moliano, fredo de Mulutiis de Macerata* et *Matheo Compagnicti* de Cingulo domicello dicti domini Episcopi florentini testibus et aliis pluribus in multitudine copiosa.

Et ego Johannes Guilelmi de Offida publicus etc.

XLV.

Ex Archivo secreto civit. Recanat.

1357. 22. Aprilis.

Egidius miseratione divina Sabinensis Episcopus Apostolice Sedis Legatus. Ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolice multa benignitas,

illum circa suos filios servat pietatis affectum, ut ijs, qui eam devotione congrua reverentur ut matrem, beneficia grandia largiatur, et illos etiam qui post indevotionem, et inobedientiam, ad ipsius obsequia redeunt et mandata, a sua gratia non repellat digne illos dulcedinis mammilla reficiens, et clementer consolationis ubera iis propinans. Sane licet dudum felicis recordationis D. Joannes Papa XXII propter graves excessus, quos dilecti in domino Consilium, universitas, et Populus Terre Racanatensis in et de Provincia Marchie Anconitane pleno jure ad Romanam pertinentis Ecclesiam constituentes ipsos, et Terram eamdem tunc Civitatis et Episcopalis dignitatis titulo decoratam, hujusmodi Civitatis nomine, et Episcopali dignitate privaverit, bona omnia tam ad Mensam tunc Episcopalem Ecclesiae Racanatensis, quam ad Capitulum ejusdem Ecclesiae communiter vel divisim spectantia ad Ecclesiam seu Plebem S. Juliani Maceratae, quam idem D. Joannes Papa tunc in Ecclesiam Cathedralem erexerat transferendo. Tamen S. Pater et Dominus noster D. Innocentius divina providentia Papa VI pie considerans, quod Consilium, Populus, universitas antedicti innovato in eorum visceribus spiritu veritatis sciverunt recta sapere, et resurgere post ruinam, ac resilientes a devio, et ad rectum verumque tramitem redeuntes Nobis in dictae Ecclesiae negotiis ab ipso primordio cum eamdem provinciam, cujus civitates et castra, et maxime eidem terrae Racanatensi vicina per rebelles, et inimicos ejusdem Ecclesiae detinebantur tirannice occupata cum armorum potentia intraremus, ut devoti ipsius Ecclesiae filii, et subjecti fideliter adhaeserunt, et in hujusmodi fidelitatis constantia permanentes, dictae Ecclesiae, atque Nobis praestiterunt pro posse contra rebelles inimicos eosdem favores, et auxilia fructuosa, et volens propterea Consilium, universitatem, et Populum dictae Terrae in ejusdem sedis gremio conservare, ut quanto benignius Apostolicis gratiis senserint se amplecti, tanto in ipsius fidelitate et obedientia constantius perseverent. Nobis in dicta Provincia commissae per eum Legationis officium prosequentibus direxit suas Apostolicas litteras in haec verba. Innocentius Episcopus Servus servorum Dei Venerabili Fratri Egidio Episcopo Sabinensi Apostolicae Sedis Legato Salutem et Apostolicam benedictionem. Mater Ecclesia, quae redeuntibus ad eam cum humilitate filijs post transgressum pietatis suae gremium nunquam claudit, tunc demum potissime de ipsorum reversione laetatur, cum eos non solum per poenitentiam salutarem, satisfactionemque debitam culpae maculam abstersisse, sed per continuationem bonorum operum maternis inherendo vestigijs, conspicit benedictionis et gratiae munera promereri. Dudum siquidem felicis recordationis Joannes Papa XXIJ Praedecessor Noster propter graves excessus, quos dilecti filij Consilium, universitas, et populus Racanatensis

infra Marchiae Anconitanae Provinciam ad Nos et Romanam pertinentem Ecclesiam constituti tunc ipsorum praedecessorum, et Ecclesiae Romanae rebelles praedecessorem et Ecclesiam per detestabiles et effrenos motus, communiter ausibus dampnatis praesumpserunt, inter alias poenas et sententias per eumdem praedecessorem inflictas, et illatas eisdem ipsis, et Terram Racanatensem Episcopalis dignitatis honore Apostolica auctoritate privavit, ac deinde praedecessor praefatus benigne considerans, quod dicti filij universitas et populus Civitatis Maceratae infra dictam Provinciam constituti, quae tunc Castrum partim Firmanae, et partim Camerinensis diocesis existebat, tanquam ipsius Ecclesiae devoti filii et fideles post ipsius Ecclesiae sacra vestigia rectis gressibus incedentes eidem Romanae Ecclesiae retroactis tunc temporibus fideliter adheserant in prosperis et adversis, Castrum ipsum in civitatem, et Ecclesiam seu Plebem S. Juliani Maceratae in Ecclesiam Cathedralem erexit, et ad illam Episcopalem Sedem quam olim Ecclesia, et eadem Terra Racanatensis obtinuerant, cum Episcopalis dignitatis honore, et ipsius Capitulo, et Canonicis in eisdem gradibus, numero, ordine, et dignitatibus, in quibus in eadem Ecclesia Racanatensi fuerant, nec non et bonis omnibus ad Mensam Episcopalem ejusdem Ecclesiae Racanatensis, dictumque Racanatense Capitulum communiter vel divisim spectantibus transtulit. Ita videlicet quod bona, quae ad praefatam Mensam Episcopalem ejusdem Ecclesiae Racanatensis spectabant ut praedicitur, ad Mensam Episcopalem ejusdem Ecclesiae Maceratensis pertinerent, et bona quae ad praefatum Recanatense Capitulum pertinebant communiter vel divisim, ad Capitulum Maceratense pertinerent communiter vel etiam separatim, sicut ad praefatum Recanatense Capitulum pertinebant. Et insuper decrevit Venerabilem Fratrem . . . . Episcopum olim Racanatensem vocari Maceratensem Episcopum, et praedictum Racanatensis Ecclesiae Capitulum et Canonicos de cetero Maceratensis Ecclesiae Capitulum et Canonicos nominari. Praefatam vero Terram et totam diocesim olim Racanatensem cum omnibus juribus et pertinentiis earundem Ecclesiae et Episcopo Maceratensi et Sucessoribus ejus Episcopis Maceratensibus, qui forent pro tempore, pro parte diocesis eorum habendas, et perpetuis per eos tenendas et possidendas temporibus assignavit, sibique limitationem reliquae partis Diocesis Episcopo et Ecclesiae Maceratensi designandae inposterum reservavit, prout in diversis ipsius Praedecessoris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem postmodum sicut tu etiam nobis significare curasti praefati Consilium, Populus, et universitas Racanatensis suos in praemissis recognoscentes errores, et ad ipsius Ecclesiae Romanae devotionem et obedientiam humiliter redeuntes, dudum ab omnibus et singulis sententiis, et poenis spiritualibus, quas occasione dictorum exces-

suum per processus Apostolicos, et alios contra eos super his habitos, aut alias quomodolibet incurrissent, praeterquam a praedicta privatione dignitatis Episcopalis sententia, sive poena plenarie absoluti, et ad famam, statum, dignitates, ac honores ecclesiasticos et mundanos, quibus per eosdem processus et sententias privati fuerant, praeterquam etiam ad Civitatis vocabulum seu nomen, et Episcopalis dignitatis honorem in integrum restituti auctoritate Apostolica fuerint, et ex tunc in eadem devotione et obedientia fideliter et continue perstiterint, ac tibi in partibus illis plene Legationis officium exercenti quanquam omnes quasi circumvicini eorum praefatae Romanae Ecclesiae rebelles extiterunt, non solum obedientiam, et reverentiam debitam exhibuerint et devotam, sed in reducendo etiam indevotos et devios, ac in recuperandis Terris et juribus ad Nos, et praefatam Romanam Ecclesiam in dicta Provincia immediate spectantibus magna et fidelia servitia tibi prestiterint; et insuper illi qui praemissae rebellionis eorum fuerunt principales auctores, et eorum posteri divina faciente justitia quasi ad nihilum sint redacti, et nunc Terra ipsa per illos regatur qui nunc pro ipsa Romana Ecclesia exules extiterunt, fuit Nobis pro parte ipsorum Consilii, universitatis, et Populi Racanatensis humiliter supplicatum, ut eos et Terram praedictam ad honorem Episcopalis dignitatis restituere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque in hujusmodi laudabilibus eorum operibus, per quae non solum praeteritas abstersisse maculas, sed Apostolicae Sedis favores et gratias velut benedictionis filii meruisse noscuntur, plurimum in domino congaudentes, ac decens et congruum reputantes, ut ex ipsis bonis eorum operibus reportent tale praemium et honorem, quod cognita maternae pietatis dulcedine, ad ipsius amplexus propensius animentur, et in ejus devotione constantius perseverent, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in his et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate nostra restituendi dictam Terram Racanatensem in Civitatem, et ad nomen, titulum et vocabulum Civitatis, ac Ecclesiam S. Fabiani de ipsa Terra Racanatensi, quae olim extitit Cathedralis, in Cathedralem Ecclesiam erigendi, ipsamque postquam per te erecta fuerit, ac praefatam Maceratensem Ecclesiam consideratis praemissis, nec non tam vicinitate locorum, et aliis ad haec facientibus invicem perpetuo uniendi. Ita quod ex tunc ipsarum ambarum Ecclesiarum, postquam per te unitae fuerint una Episcopalis dignitas dumtaxat existat, et utraque ipsarum per Venerabilem Fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Maceratensem, et post eum per unum dumtaxat Antistitem canonice praeficiendum eisdem sub intitulatione utriusque ipsarum Ecclesiarum perpetuis temporibus gubernetur. Et insuper ipsarum Ecclesiarum Capitulo seu

Capitulis, aliisque personis, et ministris, dignitatibus et officiis, nec non de electione ipsius Antistitis, ubi et per quos fieri debeat, et quae Ecclesiarum ipsarum in intitulatione Episcopi, et personarum praedictarum, seu aliis praeferri, et praenominari debeat, aliisque omnibus et singulis, honores, status, et regimen ipsarum quocumque concernentibus spiritualiter et temporaliter, prout tibi expedire videbitur providendi, et etiam ordinandi praedictis privatione, conflatione, ordinatione, et assignatione praedecessoris ejusdem, et aliis omnibus et singulis in praedictis litteris ejus contentis, quae praesentibus haberi volumus pro expressis, et quibuscumque Apostolicis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus plenam et liberam auctoritate Apostolica de Fratrum nostrorum consilio tenore praesentium concedimus facultatem — Datum Avinione IJ. Nonas Januarii Pontificatus nostri anno IIII. — Nos igitur qui eorumdem Consilii, universitatis et Populi Racanatensis fidelitatis et devotionis affectum, dum in variis fluctuationum et guerrarum turbinibus in dicta Marchiae Anconitanae Provincia undique quateremur, cognovimus per effectum, ipsos paterna benevolentia prosequentes, votis aquiescendo eorum eo efficacius illa, quae ad divini cultus augmentum, ac ipsorum honorem et statum querere delectamur, quo Nobis apertius praeteritorum memoria, et presentium evidentia fidem ipsorum gratiosis operum fructibus repraesentant. Ad honorem igitur et gloriam Dei omnipotentis, gaudium quoque et exultationem eorumdem Consilii, universitatis, et Populi, aliorumque devotorum ac fidelium dictae Ecclesiae subditorum auctoritate Apostolica Nobis, ut praemittitur, in hac parte concessa dictam Terram Racanatensem in Civitatem, et ad nomen et titulum Civitatis restituimus, ac ipsam Civitatis vocabulo decoramus, et Ecclesiam S. Fabiani de eadem civitate Racanatensi eadem auctoritate erigimus in Ecclesiam Cathedralem. Et cum, prout intelleximus, et experimento probavimus, Racanatensis et Maceratensis Civitates praedictae modico a se terrarum spatio sint divisae, et neutra illarum per se habeat illam plebis frequentiam, aut etiam prout fide digna relatione accepimus, illam reddituum quantitatem, quae pontificali dignitati sufficere videatur: Nos considerantes quod sicut interdum, si populi numerositas exigit novus deputatur Episcopus, ne desit populo Dei sollicitudo Pastoris, sic aliquando duo Episcopatus rediguntur in unum, ne propter populi raritatem, vel etiam exilitatem reddituum vilescat pontificalis auctoritas dignitatis, Ecclesiam Racanatensem et Ecclesiam Maceratensem dicta auctoritate simul annectimus et unimus. Statuentes, ut de cetero eaedem Ecclesiae sub una dumtaxat Episcopali dignitate consistant. Et quia dicta Racanatensis civitas majori repletur multitudine personarum, ac etiam ab antiquo Civitatis vocabulo extitit decorata, ipsaque Racanatensis Ecclesia antea obtinuit Epi-

scopalis pontificium dignitatis, ordinamus, quod de cetro Racanatensis et Maceratensis Ecclesia nuncupetur, et per Venerabilem in Christo Patrem Nicolaum, qui usque nunc Maceratensis Episcopus fuit et est, et post eum per quemlibet Antistitem canonice praeficiendum eisdem perpetuis successive temporibus gubernetur. Qui quidem Nicolaus, et quilibet ejus in Ecclesiis eisdem Successor Racanatensis et Maceratensis Episcopus deinceps intituletur, et etiam nominetur, et sic intitulari, et nominari, ac dictam Racanatensem Ecclesiam eidem Maceratensi Ecclesiae praeponi decernimus et mandamus. Ordinamus insuper, et eadem auctoritate statuimus, quod in Racanatensi unius dignitatis Praepositurae et octo canonicorum praebendatorum, ac in Maceratensi Ecclesia ante dicta unius dignitatis Archidiaconatus videlicet et octo Canonicorum praebendatorum similiter numerus de cetero habeatur. Et quod si in dictis Ecclesiis ultra dictum numerum Canonici aliqui praebendati existant, cedente vel decedente aliquo dictorum Canonicorum, aut alias Canonicatum et praebendam suos quomodolibet dimittente, nullus in dictis Ecclesiis quarumvis litterarum auctoritate in Canonicum recipiatur, vel ad praebendam hujusmodi admittatur, quousque ad dictum octo Canonicorum numerum sit deventum, nisi de ordinatione, et statuto, ac numero Canonicorum hujusmodi expressa in eisdem litteris mentio habeatur. Quodque Archipresbyter, qui in dicta Racanatensi Ecclesia nunc existit, deinceps Praepositus nuncupetur, cujus quidem Praepositurae fructus, redditus, et proventus ad tantum valorem ascendere decernimus annuatim, quantum fructus, redditus, et proventus duorum Canonicorum praebendatorum ipsius Ecclesiae Racanatensis ratione suorum Canonicatuum, et praebendarum annuatim ascendunt, ipsumque praepositum ratione suae praepositurae hujusmodi tantum percipere volumus de fructibus ipsius Racanatensis Ecclesiae et non ultra, et eidem de fructibus, redditibus, et proventibus Archidiaconatus, et per Archidiaconum eundem tantum de fructibus ipsius Maceratensis Ecclesiae percipi volumus, et mandamus. Qui etiam Praepositus et Archidiaconus quilibet videlicet in sua Ecclesia post Episcopum totius Capituli caput existat, et in Choro et Capitulo etiam post Episcopum, et eo absente primum locum obtinens Chorum ipsum tam in divinis Officiis, quam aliis ordinare, ipsos Canonicos ad Capitulum convocare, possessiones, bona, et jura ipsius Racanatensis seu Maceratensis Ecclesiae coli, et laborare facere, distribuere, et conservare, stallationem in Choro, et assignationem loci Canonicorum in Capitulo facere et assignare, ipsosque Canonicos, qui nunc sunt, et qui pro tempore fuerint, si in ordinatione, convocatione, et conservatione praedictis deliquerint, corrigere valeant, et punire. Volumus etiam, et eadem auctoritate statuimus, quod si Praeposituram eamdem per ipsius Praepositi obitum, vel aliter quovis modo

vacare contigerit, alter Praepositus per Episcopum Racanatensem et Maceratensem, et Canonicos Racanatenses ad Praeposituram eandem communiter eligatur, et solum per Episcopum confirmetur. Et si Archidiaconatum praedictum, ut de Praepositura praefertur vacare contigerit, alter Archidiaconus per Episcopum et Canonicos Maceratenses ad Archidiaconatum eundem eligatur communiter, per Episcopum similiter confirmetur, collationem autem praebendarum Racanatensis et Maceratensis Ecclesiae praedictarum, quae vacabunt inposterum ad dictum Episcopum ac praepositum et Canonicos Racanatenses si in Racanatensi, vel ad eundem Episcopum ac Archidiaconum et Canonicos Maceratenses si in Maceratensi Ecclesia antedictis hujusmodi vacatio, ut praemittitur, fuerit, decernimus pertinere. Ordinationem vero et distinctionem dictarum praebendarum, et ipsarum valorem, ac alia omnia in spiritualibus et temporalibus statum, honorem, dignitatem, utilitatem, et commodum dictarum Ecclesiarum, ac laudabilem vitam Praepositi, Archidiaconi, et Canonicorum praedictorum concernentia, Episcopo, Praeposito et Capitulo Racanatensi in Racanatensi, ac eidem Episcopo, Archidiacono et Capitulo Maceratensi in Maceratensi Ecclesia antedictis relinquimus ordinanda super quibus eisdem, ac dicto Episcopo ipsos Praepositum, Archidiaconum et Canonicos dirigendi, ordinandi, corrigendi, et puniendi damus tenore praesentium plenariam potestatem. Ceterum ut in electione seu postulatione cujuslibet futuri Racanatensis et Maceratensis Episcopi eadem Capitula sua vota rationi potius, quam voluntati committant, et inter eos qualibet dissentionis praecisa materia quies et concordia nutriatur, eadem auctoritate decernimus, et sic praecipimus observari, quod si praefatum Nicolaum, quemlibetque alium Racanatensem et Maceratensem Episcopum, qui erit pro tempore, in Civitate Racanatensi vel ejus districtu ex hac luce migrare contigerit, Praepositus Racanatensis Ecclesiae ad Ecclesiam Racanatensem Archidiaconum et Canonicos Ecclesiae Maceratensis pro electione, seu postulatione futuri Antistitis debeat convocare. Ipsique Archidiaconus et Canonici Maceratenses illuc accedere teneantur et in eadem Racanatensi Ecclesia, seu ipsius Capitulo idem Praepositus circa collationem sermonem habeat, et alia omnia, quae de jure, et consuetudine in electione, seu postulatione hujusmodi requiruntur, Caput et principalis existat, et ibidem per Praepositum, Archidiaconum, et Canonicos Racanatensis et Maceratensis Ecclesiae praedictarum, qui inibi debebunt, et poterunt commode interesse hujusmodi electio seu postulatio communiter celebretur; Quod si eundem Episcopum in Civitate Maceratensi vel ejus districtu suum clauserit extremum, Archidiaconus Ecclesiae Maceratensis ad Maceratensem Ecclesiam Praepositum et Canonicos Ecclesiae Racanatensis pro dicta electione, seu postulatione

fienda debeat convocare, ipsique Praepositus et Canonici Ecclesiae Racanatensis illuc accedere teneantur, et in dicta Maceratensi Ecclesia, seu ipsius Capitulo idem Archidiaconus, prout de Praeposito in Racanatensi Ecclesia supra exprimitur, Caput existat et ibidem per ipsas communiter dicta electio seu postulatio similiter celebretur. Si vero eundem Episcopum nec in Racanatensi, nec in Maceratensi Civitatibus antedictis, vel earum districtibus, sed extra illas mori contigerit, ut Praepositus, Archidiaconus, et Canonici dictarum Ecclesiarum precibus, odio, timore, et amore semotis in electione, seu postulatione hujusmodi non vacillent, dicta auctoritate statuimus, ut quicumque in eadem Provincia Marchiae Anconitanae pro dicta Romana Ecclesia Judex in spiritualibus generalis, vel eo absente ipsius Vicarius, seu Locumtenens, eosdem Praepositum, Archidiaconum, et Canonicos Racanatensis et Maceratensis Ecclesiae praedictarum ad Civitatem, Castrum, vel Terram, in qua seu quo generalem Curiam residentiam facere tunc continget, debeat et valeat convocare. Ipsique Praepositus, Archidiaconus, et Canonici ad Civitatem, Terram, vel Castrum hujusmodi accedere, et in Cathedrali si ibi fuerit Civitas, alioquin in Majori, seu in matrici aut in solemniori Ecclesia Terrae vel Castri hujusmodi, prout divina eis inspirabit gratia, electionem seu postulationem, hujusmodi celebrare teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae restitutionis, annexionis, unionis, constitutionis, ordinationis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationis omnipotentis Dei, et BB. Petri Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Anconae X. Kal. Maji Pontificatus dicti D. Innocentii Papae VI anno quinto. — G. de Metis etc.

XLVI.

Archiv. Prior. Firman. N. 1621.

1372. 1. Maji.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolice benignitas circumspecta nonnunquam illa que per eam ad importunas petentium preces sunt concessa, presertim cum exinde conspicit scandala suboriri, moderatur, suspendit et revocat, prout secundum Deum cognoscit salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis Johannes XXII praedecessor noster attendens merita dilectorum filiorum Communis Civitatis Maceratensis, quae tunc castrum partim Firmane et partim Camerinensis diocesis existebat, Castrum ipsum Civitatis vocabulo insignivit, ipsamque civitatem et ejus districtum ab omni jurisdictione dominio et potestate firmane et camerinensis ecclesiarum quorumlibet

aliorum eximit, ipsos Episcopo Maceratensi qui esset pro tempore dumtaxat in spiritualibus subjiciendo, prout in ipsius Praedecessoris litteris inde confectis plenius continetur. Postmodum vero pro parte Venerabilis fratris nostri Oliverii Episcopi Maceratensis et Communis predictorum, exposito pie memorie Urbano PP. V. predecessori nostro, quod dictus Johannes predecessor ulteriori limitatione diocesis Maceratensis per eum non facta viam fuerat universe carnis ingressus, ac eidem Urbano predecessori humiliter supplicato, ut super premissis providere dignaretur, idem Urbanus praedecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus Venerabili fratri nostro Anglico Episcopo Albanensi tunc in partibus illis et nonnullis aliis terris Romane Ecclesie, suo et pro eadem ecclesia Vicario in temporalibus generali suis dedit literis in mandatis, ut vocatis evocandis prefate Civitati Maceratensi certam diocesim auctoritate apostolica limitaret, deputaret, et etiam assignaret, prout sue circumspectioni expedire videretur, ac hujusmodi limitationem, deputationem, et assignationem, cum per eum facte forent, decerneret perpetuis temporibus valituras, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper non absque querela multiplici pro parte venerabilium fratrum nostrorum . . . . . firmani, et . . . . . Camerinensis, ac . . . . . Auximani Episcoporum, et dilectorum filiorum, Communium firmane, Camerinensis, et Auximane civitatum necnon universitatum nonnullorum castrorum firmane, Camerinensis, et Auximane diocesium petitio continebat Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Oxomensis, cui prefatus Anglicus Episcopus super premissis commiserat vices suas, pro faciendo premissa, ad instantiam Oliverii Episcopi ac Communis Civitatis Maceratensis predictorum, eosdem Firmanum et Camerinensem Episcopos, et alios qui sua interesse putarent, fecisset coram se ad judicium evocori, et super hiis ad nonnullos actus processisset, et relationem in qua nominavit quamplura castra dictarum firmane, Camerinensis et Auximane diocesium, quod ipsa castra tanquam viciniora Civitati et diocesi Maceratensi predictis ipsi diocesi Maceratensi adjungi poterant, et eidem Civitati Maceratensi in diocesim assignari fecisset, dicto Episcopo Albanensi pro parte ipsorum Episcoporum et Communium, necnon universitatum quamplurium Castrorum prefatorum firmane et Camerine diocesis sentientium per dictum Petrum Episcopum super hiis indebite se gravari, cum de ipsorum prejudicio ageretur, post hujusmodi relationem a dicto Petro Episcopo et gestis per eum in premissis, fuit ad Sedem Apostolicam appellatum. Quare pro parte dictorum conquerentium fuit nobis humiliter supplicatum, ut super predictis providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sicut accepimus ex praemissis, non solum in dictis Civitatibus et diocesibus Firmana, Ca-

merinensi et Auximana, sed etiam in multis aliis partibus Provincie Marchie Anconitane, in qua eedem Civitates et dioceses constitunt, gravia odia ac dissentiones et scandala sunt exorta, et si in eis procedatur ulterius, timetur graviora imposterum exoriri, ac propterea volentes dissensionibus et scandalis hujusmodi salubriter obviare, auctoritate apostolica tenore presentium districtius inibemus, ne quis deinceps in negotio hujusmodi limitationis et deputationis sine expressa licentia apostolice Sedis faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de inibitione hujusmodi mentionem, quoquomodo procedat, decernentes ex nunc irritum et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ingnoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avinione Kal. Maji Pontificatus nostri anno secundo.

XLVII.

Ex lib. Reformationum Terrae Montis Sancti Anni 1374. *sub die* 17. *Martii* 1375. *pag,* 40. *tergo.*

1375. 17. Martii.

In Dei nomine. Amen.

Coram Vobis Nobilibus et prudentibus Viris Potestate, Prioribus, Consilio et Communi Terrae Montis Sancti.

Exponitur humiliter et subjective pro parte Nicole . . . . de Racaneto quod cum licet piis operibus quisque Captolicus juris dispositione teneatur debite contribuere maxime in pontium constructionibus et hedificationibus, qui quidem aliter non petatur nisi de pia mentium Monsanctinorum dispositione. Hinc est attento quod idem Nicola quibusdam de causis pro communi omnium transeuntium utilitate devotionisque augmentum Gloriosissime *Virginis Marie de Laureto* disposuerit Pontem fieri facere, ipsumque fundari in flumine Potentie super territorio vestro ac jurisdictionis vestri territorii et Territorio Civitatis Racaneti in plano ipsius fluminis in Contrata Castiglioni juxta et prope ripam territorii et possessionis quondam Albertarelli et nunc heredum Jacobi in directo versus arborem magnam bedulli, que dudum fuit et fuerat in dicta possessione quondam Albertarelli juxta dictum flumen et ripam ejus vel idcirca et sic in directo versus territorium Racaneti predicti, hocque quippe sine vestri auctoritate et licentia expressave scientia et voluntate quantum ex latere vestro et jurisdictione vestre rei Pontis prefati fundationem constructio-

nem et hedificationem exequi non valeat ullo modo. Idcirco humiliter petitur pro parte dicti Nicole quatenus dignemini et vellitis intuitu vestre misericordie et pietatis amore Dei et Gloriosissime Virginis Marie Matris Ejusdem intuentes pium opus facturum salutem transeuntium, piam memoriam in dicto flumine jam perhitorum et tam vestri quam Racanatentium convicinorum utilitatem commodum et profectum, licentiam fundandi construendi et hedificandi dictum Pontem super vestro territorio et jurisdictione vestri Communis et Terre et in parte aque dicti fluminis vestre etiam jurisdictionis concedere gratiosam sine diminutione aliqua quomodolibet et qualitercumque vestre jurisdictionis pertinentis et expectantis vestro Communi hactenus nunc et in futurum de jure vel consuetudine, conservansque jus et jurisdictionem vestram et vestri Communis et Territorii omni modo et jure quibus melius potest, et quod dictus Pons constructio fundatio et hedificatio fienda Communis sit et habeatur perpetuo inter vos Commune vestrum et Commune Civitatis Racanati; In quorum territoriis Pontis constructio facta erit, petens predicta sibi permitti et fieri per vos ex benignitate dono et gratia singulari.

XLVIII.

E Protocollo Ser Petri Pauli Laurentii Notarii Recanaten. apud R. D. Petrum Pintucci.

1376. 8. Junii.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri *Petro* Episcopo Conquensi provincie Marchie Anconitane pro nobis et Romana Ecclesia Rectori salutem et Apostolicam benedictionem. Ad ea, per que Ecclesie utilitati . . . . . statui ac animarum saluti consulitur, libenter intendimus . . . . . apponimus solicitudinis nostre . . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum Parochianorum ecclesie beate Marie de Castronovo Rachanaten. petitio continebat, quod licet predicta ecclesia, quae ut asseritur, monasterio sancte Crucis fontis Avellane ordinis sancti Benedicti Eugubiensis diocesis est pleno jure subjecta, et per monacos ipsius Monasterii regi consuevit, redditibus et proventibus sit satis abundans, tamen propter culpam et negligentiam dilecti filii . . . . . Abbatis dicti Monasterii jam per decem et octo menses vel circiter ecclesia ipsa, que circa 400. parochianos habet . . . . . caruit Rectore qui . . . . . resideret, et ipsorum parochianorum curam gereret ut tenetur, quodque illi Rectores qui . . . . . per dictum Abbatem ad regimen dicte Ecclesie deputati fuerunt, ut plurimum Idiote et insufficientes extiterunt, et ecclesiam ipsam male rexerunt et gubernarunt. Quare pro parte ipsorum parochianorum fuit nobis humiliter supplica-

tum . . . . . providere eis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati Paternitati tue per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus aliquam personam idoneam de dicto Monasterio si reperiatur ibidem vel in membris ejusdem . . . . . aliunde etiam si presbiter secularis existat, quam dicti parochiani vel eorum procurator vel syndicus ad hoc ab eis specialiter constitutus ad id tibi duxerit nominandam, auctoritate nostra tam hac vice quam etiam alias quotiens ipsam ecclesiam vacare contigerit, quamdiu in officio Rectorio provincie Marchie Anconitane pro nobis et Ecclesia Romana extiteris prout existis, in Rectorem instituas ecclesie supradicte facias sibi de ipsius ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus . . . . . integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuscumque statutis, consuetudinis monasterii et ordinis predictorum . . . . . ac privilegis, indultis Abbati et monasterio predictis concessis quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expresso vel totaliter non inserto effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, de quibus et quorum totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis seu persone prefato Abbati et dilectis filiis Conventui dicti Monasterii aut quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Avignone quinto idus Junii Pontificatus nostri anno sexto. Omisso sigillo pendenti etc. B. Minarti — Nic. B. Troso.

XLIX.

E Bullario Ecclesiae Lauretanae.

1389. 9. Novembr.

Bonifatius Episcopus servus servorum Dei. universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Rationi congruit, et convenit aequitati, ut ea, quae de Romani Pontificis concessione processerunt, licet litterae Apostolicae super illis confecte non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem felic. recordationis Urbanus Papa VI Praedecessor noster cupiens ut Ecclesia *S. Mariae de Laureto* Racanaten. dioecesis, quae sicut acceperat a Christi fidelibus illarum partium ejus notitiam habentibus, in magna veneratione habebatur a fidelibus ipsis, congruis honoribus frequentaretur, et ut fideles ipsi, causa devotionis eo libentius confluerent ad eandem, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae

uberius conspicerent se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, videlicet nonis Novembris Pontificatus sui anno decimo[1] omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festo Nativitatis ejusdem S. Mariae ad eandem Ecclesiam devote accederent annuatim illam indulgentiam et remissionem peccatorum concessit, quam ad Ecclesiam S. Quiriaci Anconitan. in festo ejusdem Sancti accedentes actoritate litterarum piae memoriae Gregorii Papae XI. Praedecessoris nostri consequuntur; et voluit, quod si alias visitantibus dictam Ecclesiam S. Mariae vel ad ejus fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemosynas erogantibus, seu alias per ipsum Urbanum Praedecessorem aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum lapsum duratura concessa fuisset, hujusmodi concessio super qua dicti Urbani praedecessoris litterae confectae non fuerunt, nullius esset roboris vel momenti: Ne autem pro eo quod super concessione et voluntate hujusmodi ipsius Urbani praedessoris, ejus superveniente obitu, Apostolicae litterae confectae non fuerunt, concessio et voluntas praedicta debito frusterentur effectu, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod eaedem concessio et voluntas ab ipsa die, videlicet Nonis Novembris perinde suum consequantur effectum, ac si super illis ejusdem Praedecessoris litterae sub ejusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur, quodque praesentes litterae ad probandum plene concessionem et voluntatem ejusmodi Urbani praedecessoris plene sufficiant, nec ad id probationis ulterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romae apud S. Petrum V. idus Novembris Pontificatus nostri anno primo.

L.

Archiv. Fratern. S. Mariae Mercatorum.

1393. 12. Septembris

Haec est copia cujusdam testamenti, cujus tenor infra sequitur descriptus, videlicet:

In dei nomine amen. *Andrioctus domini francisci de Montelupono* per Christi gratiam sanus mente et sensu, licet corpore languens, timens periculum mortis nolens decedere ab intestato suarum et bonorum omnium dispensationem per presens suum nuncupativum testamentum sine scriptis in hunc modum facere procuravit et fecit. Inprimis quidem reliquit animam suo altissimo Jesu Christo. Item reliquit pro mortuorio duos solidos denariorum. Item reliquit pro cera pro ejus sepultura computatis candelis

[1] 1387. 5. Nov.

XXX. libras denariorum, de qua cera reliquit, jussit et voluit fieri quatuordecim cereos valoris et extimationis quatraginta solidorum denariorum pro quolibet, quorum cereorum quatuor reliquit ecclesie *Sancti francisci de Montelupono*, apud quam ecclesiam sui corporis elegit sepulturam. Item reliquit duos cereos ex dictis cereis ecclesie *Sancti Johannis de castello*. Item reliquit unum cereum dictorum cereorum ecclesie *Sancte Marie de castello de Montelupono*. Item reliquit unum cereum dictorum cereorum ecclesiae *Sancti Mathei* de Montelupono. Item reliquit unum cereum dictorum cereorum ecclesie *Sancti Petri* de Montelupono. Item reliquit unum cereum dictorum cereorum ecclesie *Sancti Spiritus* de Montelupono. Item reliquit unum cereum dictorum cereorum ecclesie *Sancti Stefani* de Montelupono. Reliquum et ultimum vero cereum reliquit ecclesie *Sancte Marie de tribio* de Montelupono. Item reliquit unum ex dictis cereis ecclesie *Sancti Michaelis* de Montelupono, quos omnes cereos supradictos reliquit, jussit, voluit, et mandavit continue in supranominatis ecclesiis accensos teneri, quando in eisdem divinum officium celebratur, donec integre et in totum consummentur, comburantur et ardeantur. Item reliquit cuilibet presbitero ad ejus funus venienti tempore sue mortis unum bononenum argenti. Item reliquit ecclesie predicte Sancti Francisci de Montelupono pro missis canendis in eadem clericis congregatis in capite octo dierum post ejus mortem decem libras denariorum. Item reliquit ecelesie *Sancte Marie de Tribio* de Montelupono pro fabrica quando in ea fabricabitur decem libras denariorum. Item reliquit ecclesie *Sancti Nicolai de Monte bubiani* de Montelupono pro copertura tecti ejusdem Ecclesie, quando recoperietur duo miliaria copporum. Item reliquit pro malis ablatis incertis unum florenum auri. — Ad que omnia et singula supradicta relicta distribuenda, satisfacienda, solvenda, et executioni mandanda dominum *Vannem domini Francisci* ejus germanum, et dominam *Foscam* uxorem dicti testatoris, et quemlibet eorum in solidum suos fideicommissarios instituit atque fecit, quibus et eorum cuilibet in solidum dedit atque concessit liberam licentiam arbitrium potestatem facultatem et bailiam vendendi, alienandi, subpignorandi, et quomodolibet obligandi tantum de bonis dicti testatoris mobilibus vel immobilibus ubicumque, de quibuscumque, et quantumcumque eis vel alteri ipsorum videbitur et placebit, donec omnia et singula supradicta relicta fuerint integre et cum effectu satisfacta. Item reliquit domine *Fosche* uxori ipsius testatoris pro restitutione sue dotis centum quadraginta florenos auri, quos ab ea habuit et recepit in dotem et dotis nomine ipsius domine *Fosche*, prout patet manu Ser Venantii Marchi notarii publici de Montelupone. Item reliquit *Contesse filie Todini bertutii* de Montelupono pro ejus benedictione unum

florenum *(auri)*. Item reliquit *Ciccho, Antonio,* et *Jacobutio* germanis *filiis Stachii* de Montelupono inter omnes ipsos tres jure legati viginti quinque florenos auri. Item reliquit dictam dominam *Foscham* ejus uxorem dominam majorem gubernatricem et usufructuariam omnium et singulorum bonorum mobilium et immobilium dicti testatoris presentium, futurorum, et quomodolibet sibi pertinentium et expectantium, donec honeste et caste vixerit, vitamque vidualem observaverit, et ad secunda vota non *(transiverit)*, libere et expedite sine aliqua molestia, impedimento vel contradictione heredum dicti testatoris vel alterius persone cujuscumque conditionis, preeminentie vel .... existat, directe vel indirecte, palam vel occulte, vel sub quocunque alio quesito colore. Item reliquit, jussit, voluit, et expresse mandavit dictam dominam *Foscham* ad reassignationem juris administrationis dictorum bonorum omnium heredibus dicti testatoris vel alteri persone minime teneri, nec a dictis heredibus vel a qualibet alia persona ullo tempore et ullo modo molestari, impediri, cogi, vel compelli ad reassignationem juris administrationis predicte, sed nunc prout ex tunc ipsam et suos heredes ab administratione et distributione predictis liberat, quietat, et absolvit, et liberam et absolutam esse voluit et mandavit.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus juribus et actionibus presentibus et futuris et sibi quomodolibet pertinentibus et expectantibus *Dominum Vannem domini francisci* de Montelupono germanum dicti testatoris donec vixerit, suum heredem universalem instituit atque fecit, dummodo de bonis dicte hereditatis vendere vel alio modo alienare non possit. — Item reliquit, jussit, mandavit, et voluit, quod post mortem predictorum *domini Vannis et domine Fosche* omnes fructus et denarios percipiendi, recolligendi, et qui percipi et recolligi poterunt, ex possessionibus, domibus, et aliis quibuscumque bonis mobilibus et immobilibus dicti testatoris annuatim distribuantur et dentur, et eos dari et distribui jussit, voluit et mandavit inter pauperes et miserabiles personas terre Montisluponis pro eorum necessitatibus per *Stefanum domini Thome* de Montelupono, prout et sicut sibi Stefano videbitur et placebit, donec dictus Stefanus vixerit. Item reliquit, jussit, voluit, et mandavit, quod in fine vite ipsius Stefani videlicet circa finem vite ipsius Stefani dictus Stefanus teneatur et debeat ponere, eligere, nominare ac deputare ad dationem et distributionem predictas faciendas, et qui curam et sollicitudinem de predictis possessionibus, domibus, et aliis supradictis rebus habeant, *Guardianum loci sive ecclesie sancti francisci* de Montelupono, qui pro tempore fuerit in dicta ecclesia, et duos bonos ydoneos et legales homines dicte terre Montisluponi, quos ipse Stefanus volet et sibi videbitur et placebit, qui sic eligendi per dictum Stefanum possint et debeant prope finem

eorum vite *Guardianum loci predicti sancti francisci* qui pro tempore fuerit in dicto loco seu ecclesia et duos bonos fideles idoneos et legales homines dicte terre eligere nominare et deputare ad supradicta faciendum ut supra . . . . Et . . . . subsequenter se . . . . continue et in perpetuum electi et eligendi possint, ... et valeant . . . . m eorum vite guardianum . . . . dandas et distribuendas eligere deputare ponere et nominare per ordinem, ut supra dictum est. Qui Stefanus et per ipsum eligendi et . . . . enter omnes alii eligendi per eligendos ut supra dictum est, narratum atque declaratum, possint et valeant prout eis et cuilibet ipsorum placebit . . . . cujusque ipsorum voluntate processerit supradictos fructus annuatim dare et distribuere inter pauperes et miserabiles personas Montisluponi pro eorum necessitatibus, videlicet illis pauperibus et miserabilibus personis, quibus supradicti prenominati, electi, et eligendi dare voluerint eis et cuilibet ipsorum videbitur et placebit libere et expedite sine aliqua molestia contradictione vel impedimento alicujus persone ecclesiastice vel secularis directe vel indirecte vel sub quocumque alio quesito colore, et de datis et distributis supradicti electi et in futurum eligendi non teneantur ullo tempore ad reassignationem juris distributionis et administrationis predicte alicui persone, sed ex nunc electos et in futurum eligendos et nominandos et quemlibet eorum dictus testator ab administratione dationis et distributionis predictarum absolvit, liberat, et quietat et absolutos esse voluit jussit et mandavit. Item reliquit, quod dicte possessiones, domus, et alie res immobiles dicti testatoris non possint nec valeant a quoquam ullo tempore vendi alienari subpignorari nec ullo alio modo alicui submitti etc. Item reliquit supradicto Stefano *(domini Thome)* pro ejus labore et mercede administrationis et distributionis predicte jure legati XXV. florenos auri.

Et hec est sua ultima voluntas et suum ultimum testamentum etc. valere voluit etc. cassans omne aliud testamentum etc. et presens testamentum voluit valere etc.

Factum et lectum fuit dictum testamentum in domo dicti testatoris sub anno domini M. CCC. LXXXXIII. indictione prima tempore domini Bonifatii pape noni die XII. Septembris, presentibus Angelo Mencionis, Paulutio Vannis, Vanne Thome Melgliorati, Maxio Nicolutii, Giliutio Cisci, Stefano Andree, et Bartholomeo Nutii de Montelupono testibus ad hoc vocatis, presentibus et rogatis.

Et ego Ludovicus Ser Vannis Tancredutii de Montelupono imperiali auctoritate notarius publicus necnon judex ordinarius supradictum testamentum . . . . quodam foleo carte papiri manu quondam supradicti Ser Vannis scriptum et repertum inveni, vidi, et reperi ac legi, ita fideliter

de verbo ad verbum exemplando transcripsi et in formam publicam redegi nil addens vel minuens, quod sensum mutet vel variet intellectum nisi forte silaba vel punctus obmissi per errorem. Et hoc vigore virtutis et commissionis mihi facte et concesse per virum prudentem *Ser Angelum de Petralata* tunc honorabilem potestatem Terre Montisluponi etc. pro tribunali sedentem ad suum solitum bancum, ubi per eum jura redduntur cum generali et speciali consilio communis terre Montisluponi ibidem quoadunato et congregato de mandato prefati domini Potestatis et de ipsius consilii consensu et voluntate, de qua licentia plene patet manu Ser Antonii fregnani de Verona notarii publici, et tunc notarii et officialis prefati domini potestatis. Et ad cautelam omnium premissorum et ut dicto transsumpto fides plenarie adhibeatur, hic signum meum consuetum fideliter apposui in testimonium et robur omnium premissorum.

L. Signi.

LI.

E Protocollo Ser Petri Pauli Laurentii Not. Recan.
apud R. D. Petrum Pintucci.
1396. 12. Julii.

Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Hiis per que scandala tolluntur, et Romane ecclesie fidelium commoditatibus consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. — Sane petitio pro parte dilectorum filliorum universorum parochianorum Parochialis Ecclesie Sancte Marie de Castronovo Rachanaten. nobis exhibita continebat, quod ex eo quod ipsa Ecclesia, que monasterio sancte Crucis fontis Avellane Ordinis Sancti Benedicti Eugubine dioc. subjacet, et per ipsius monasterii monachos gubernari consuevit, muris civitatis nostre Rachanatensis et uni ex principalioribus, debilioribus tamen portis civitatis predicte contigua est, accidit aliquotiens, quod nonnulli ex Rectoribus dicte ecclesie, Prioribus nuncupatis, qui pro tempore fuerunt, ut inimicos Romane Ecclesie infra eandem civitatem intromitterent, et alias statum dicte civitatis turbarent, eosdem muros destrusserunt, ex quo scandala inter cives civitatis ejusdem suscitata fuere, et ne . . . . similia vel pejora per Rectores dicte Parochialis ecclesie, qui erunt pro tempore committantur, verisimiliter formidatur: Quare pro parte dictorum parochianorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ipsi in fidelitate dicte Ecclesie Romane perseveraverint hactenus et studeant in posterum perseverare, eis presentandi personam idoneam monasterii vel saltem ordinis predicti ad dictam parochialem ecclesiam, quotiens eam vacare contigerit, Rectori provincie Marchie Anconitane aut Loci ordinario pro tempore existentibus per

Rectorem provincie aut loci ordinarium hujusmodi in Rectorem dicte Parochialis Ecclesie instituendam concedere licentiam de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi scandalis obviare cupientes, ac volentes eosdem parochianos ob sincere devotionis affectum, quem ad nos et dictam Romanam gerunt ecclesiam favoribus prosequi gratie specialis, hujusmodi supplicationibus inclinati parochianis ipsis, ut cedente vel decedente dilecto filio Rectore dicte Parochialis ecclesie, qui nunc est, vel ipsam parochialem ecclesiam alias quomodolibet dimittente, ipsi parochiani personam idoneam ad dictam parochialem ecclesiam Monasterii vel Ordinis predictorum Rectori provincie aut loci ordinario hujusmodi et per ipsum Rectorem provincie aut loci ordinarium hujusmodi in rectorem ipsius parochialis ecclesie instituendam presentare valeant, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, jure tamen dicti monasterii quoad fructus dicte parochialis ecclesie vel certa genera illorum dicto monasterio forsan debitos seu debita in omnibus semper salvo, non obstantibus constitutionibus apostolicis, necnon statutis, consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis quibuscumque, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales Apostolice Sedis ve Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel aliter quomodolibet sit processum: quas quidem litteras et processus eadem auctoritate habitos ad eandem parochialem ecclesiam volumus non extendi, sed nullam per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, et quibuscunque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus quorumcumque tenorum existant per . . . . presentium non expressa vel . . . . non inserta . . . . effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in dictis litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, voluntatis, et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum IIII. Idus Julii, Pontificatus nostri anno septimo.

✠

✠ Joannes de Bononia . . . . obmisso sigillo plumbeo pendenti cor-
✠ dula siricea coloris rubei et zialli.

Et ego Petrus Paulus Laurentii de Racanato publicus etc. et nunc Notarius et scriba episcopatus Racan. supradictam copiam, exemplum,

sive transsumptum supradictarum litterarum et bulle fideliter copiavi, exemplavi et transsumptavi prout inveni etc. A. D. 1527. etc. die XI. januarii.

LII.

Ex Archivo Capituli Recanat.

1399. 7. Novembr.

In nomine domini amen. Anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, indictione septima tempore Sanctissimi in Christo Patris et domini nostri domini Bonifatii divina providentia pape noni, die septima mensis Novembris. Vacante nuper Canonicatu et prebenda in *Cathedrali Ecclesia Sancti Vithi* de Racanato per mortem Venerabilis viri Donni Antonii Vannis de Racanato olim Canonici dicte Cathedralis ecclesie Sancti Vithi. Congregato capitulo ipsius Ecclesie in ipsa Ecclesia S. Viti ad mandatum et requisitionem Venerabilis viri domini *Vici* prepositi dicte ecclesie Sancti Viti Vicarii generalis Reverendi in Christo patris et domini domini Angeli dei et apostolice Sedis gratia Episcopi Racanatensis et Maceratensis. In quo capitulo interfuerunt Venerabiles viri dominus *Vicus prepositus* et Vicarius predictus, dominus *Philippus Petrutii*, dominus *Franciscus Paulutii* et dominus *Nicolaus Raynaldi* canonici dicte ecclesie cathedralis sancti Vithi, qui faciunt totum capitulum dicte ecclesie. In quo quidem capitulo idem dominus Vicus Prepositus prefatus habet vocem suam, et duas voces prefati domini Episcopi, de quo Ego plene sum rogatus, ac etiam habet vocem domini *Johannis domini francisci* canonici ipsius ecclesie, prout costat manu domini Nicolai Raynaldi de Racanato, ac etiam habens vocem domini *Francisci domini Pandulfi* de *Camerino* canonici dicte ecclesie, prout constat manu Ser Andree Macthei de Racanato publici Notarii. Qui dominus Vicus prepositus et Vicarius predictus una cum prefatis dominis Philippo, Francisco et Nicolao Canonicis predictis, et dicti Canonici una cum prefato domino Vicho preposito et Vicario sup . . . . . ad dictos Canonicatum et prebendam sic vacantes in dicta ecclesia de aliquo viro idoneo providere, et considerantes honestatem et prudentiam et alias virtutes Venerabilis viri domini *Antonii Bertutii de Racanato* in Sacerdotio constituti ipsum domnum Antonium ad dictos Canonicatum et praebendam in Canonicum dicte Cathedralis Ecclesie Sancti Vithi unanimiter et concorditer invocata Spiritus Sancti gratia eligerunt omni modo, via, jure, et forma quibus melius potuerunt.

Actum Racanati in dicta Cathedrali ecclesia Sancti Vithi, presentibus Pero Jacobi pictore de Bononia, et Benedicto Johannis de Came-

rino habitatoribus civitatis Racanati, testibus ad hoc vocatis, habitis, et rogatis.

Ego Cicchus Ser johannis de Mevanea Apostolica et Imperiali auctoritate notarius et judex ordinarius predictis omnibus et singulis presens fui, rogatus scribere scripsi et publicavi, et meo signo signavi.

L. S.

LIII.

1402. 9. Maji.

In nomine domini amen. Anno domini millesimo quadrigentesimo secundo Indictione decima, tempore sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Bonifatii divina providentia pape noni die VIIII. mensis Maji. Reverendus in Christo pater et dominus *dominus Angelus domini Gelli de Mevania* decretorum Doctor Dei et Apostolice Sedis gratia *Episcopus Racan.* et Maceratensis sanus per Jesu Christi gratiam mente et corpore volens de suis bonis disponere per presens testamentum nuncupativum disposuit et testatus fuit in hunc modum. Q . . . . animam suam commendavit omnipotenti Deo qui ipsam creavit, corpus vero mandavit seppelliri *in Cappella Sancti Jeronimi* sita in ecclesia Sancti Flaviani de Racanato, sed si contingat ipsum finire corporalem vitam in Macerata voluit sepeliri in ecclesia S. Juliani de dicto loco. Item reliquid pro cera et aliis oportunis pro sepultura et necessariis circa sepulturam et pro vestimentis familie sue illam quantitatem pecunie que videbitur infrascriptis suis executoribus sive fideicommissariis. Item reliquit cuilibet sacerdoti seculari habitatori civitatis Racanati qui sue interfuerit sepulture unum florenum auri pro quolibet pro missis Sancti Gregorii per ipsos celebrandis pro anima sua. Item reliquid sacristie Ecclesie Sancti Flaviani omnia paramenta et libros ecclesiasticos et mitram factam fieri per ipsum et omnia ornamenta ecclesiastica, que sunt in dicta sacristia et in cappella sua, quia volens agnoscere bonam fidem et exonerare conscientiam suam confessus fuit ipsa omnia emisse ex pecuniis sibi datis a fidelibus Christi pro opere Ecclesie supradicte, et sic juravit esse verum ad sancta Dei evangelia. Item reliquid infrascriptis suis heredibus omnes tassas suas de argento, de quibus mandavit fieri duos calices, unum pro dicta ecclesia sancti Flaviani, et alium pro ecclesia Sancti Juliani de Macerata. Item confirmavit donationem per ipsum factam dicte ecclesie Sancti Flaviani de libris et aliis ornamentis et calicibus et mitra et baculo pastorali sive crocia de qua donatione dixit patere manu Ser Cicchi Ser Johannis de Mevania publici Notarii infrascripti. Item volens facere familiaribus suis aliquam remunerationem de servitiis impensis ecclesie Racanatensi et etiam

persone sue, reliquid omnibus personis commensalibus, que erunt in servitio suo et dicte ecclesie tempore mortis sue XXV. libras denariorum pro quolibet sacerdote, et pro quolibet alio clerico viginti quinque libras denariorum. — Item reliquid cuilibet laico familiari suo viginti libras denariorum pro quolibet. — Item reliquid *Cole Berardilli de Mevania factori in Ecclesia Sancte Marie de Laureto* quinquaginta libras denariorum. Item reliquid *domno Johanni Cole* de Mevania et *Nofrio Petrutii Corradi* de Racanato unum lectum pro quolibet ipsorum de suis, quos ipsi et quilibet ipsorum duxerint eligendos cum cultra, plumacio, linteaminibus et vancialibus duobus pro quolibet. — Item reliquid dicto Domno *Johanni Cole legendas Sanctorum, pastorale et dialogum Sancti Gregorii.* — Item reliquid dicto *Nofrio Petrutii decretum, decretales, sextum,* et *clementinas*, quibus debeat habere usum in vita sua, post mortem vero debeat ipsos libros dimittere infrascriptis suis heredibus vendendos per ipsos, et pretium ipsorum expendendum pro ornamentis ecclesie Sancti Flaviani de Racanato. — Item reliquid libere dicto Nofrio *breviarium suum parvum,* quod ipsi Nofrio dedit, jam est diu. Item reliquid *Angelo* dicto *avetoso* de Mevania familiari suo viginti florenos auri. — Item reliquid *Johanni Antonii Magistri Angeli de Mevania* vigintiquinque florenos auri. Item reliquid quod dicta relicta pecuniaria solvantur et satisfiant per infrascriptos suos executores et fideicommissarios de frumento, vino, et oleo, et vestimentis, et supellectilibus et animalibus suis, de quibus potest testari vigore litterarum Apostolicarum sibi concessarum per Dominum nostrum Papam, ut patet per Bullam ejusdem Domini nostri. Item reliquid residuum dictorum fructuum a dictis legatis supra, infrascriptis suis heredibus distribuendos per ipsos inter pauperes Christi ad ipsorum heredum sensum et voluntatem. — Item mandavit restitui monasterio *Sassivivi* fulginatensis diocesis unum librum parvum de pulcra littera, in quo est totum *testamentum novum* et *libri Salomonis* et certa alia. — Item reliquid *loco fratrum Sancti Francisci de Forano* Auximane diocesis *testum sententiarum,* cujus prologus incipit: cupientes aliquid de penuria etc. — Item reliquid dicto loco duos alios libros, quorum unus incipit: *profunda fluviorum,* etc., et alius incipit: *Deus autem, qui dives est,* qui duo libri sunt lecture fratris Bonaventurae super dicto libro sententiarum. Item reliquid dictis domno Johanni et Nofrio omnes libros et libellos suprascriptos in cartis bombacinis sive de papiro. Item mandavit restitui *loco fratrum Sancti Augustini de Monte sancto in Marchia* unum librum qui incipit: Enoch translatus est. Item reliquid dicto loco Sancti Augustini unum librum in quo sunt scripti *quatuor libri regum glosati* de pulcra litera. — Item declaravit se alienasse *lecturam Archidiaconi super sexto,* et librum qui

vocatur *Rationale*, et ideo ipsi libri ab aliquo non querantur. Item reliquid omnes alios libros suos infrascriptis suis heredibus vendendos per ipsos et pretium ipsorum expendendum in fabrica et ornamentis ecclesie Sancti Flaviani de Racanato.

Item reliquid *Segne francisci Johannis Segne da Bictonio* domos et possessiones, quas dictus Johannes Segne donavit *Jeronimo Antonii Vagnutii de Mevania* nepoti dicti testatoris infra sua latera, de qua donatione dixit patere manu Ser Cicchi predicti.

Et ad predicta exequenda et executioni mandanda suos executores et fideicommissarios instituit et fecit domnum *Johannem Cole de Mevania Canonicum Maceratensem, Nofrium Petrutii Corradi,* et domnum *Antonium Bertutii de Racanato, Canonicos Racanatenses,* Quibus et cuilibet eorum in solidum dedit licentiam et liberam potestatem vendendi, in solutum dandi et alienandi de fructibus Episcopatus et animalibus et suppellectilibus suis usque ad integram satisfactionem omnium dictorum relictorum sine licentia et contradictione alicujus persone. Item mandavit restitui Ecclesie Sancti Viti de Racanato quinque vegetes a vino, quas habuit in commodatum a . . . . Preposito dicte Ecclesie.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus presentibus et futuris suos heredes universales instituit . . . . Priores fraternitatis mercatorum, et . . . . Priores fraternitatis Sancte Lucie de Racanato cum hac conditione, quod bona sue hereditatis debeant dare et distribuere pro anima sua et ornamentis Ecclesie Sancti Flaviani de Racanato et inter pauperes Christi, prout eis melius videbitur et placebit una cum dictis suis fideicommissariis.

Et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit jure testamenti, et si jure testamenti non valeret, valeat saltim jure codicillorum vel cujuslibet alterius ultime voluntatis, que melius de jure valere et tenere potest, cassans, irritans, et annullans omne aliud testamentum seu ultimam voluntatem per ipsum actenus factum, vel factam. Et hoc presens testamentum seu ultimam voluntatem voluit ceteris prevalere, et roboris firmitatem optinere.

Actum Racanati in domibus Episcopalibus dicte civitatis Racanatensis in quadam saletta parva ante cameram dicti domini Episcopi testatoris predicti posita in dicta civitate Racanatensi, juxta res dicti Episcopatus, vias publicas a duobus lateribus et alia latera, presentibus *Domino Vanne Angeli*, domino *Jacobo Gualdani*, *Ser Vanne Stefani*, *Ser Johanne Antonii Acti, Ser Butolo Johannis, Ser Ludovico Ser Vannis, Ser Andrea Vagnoni, Andreolo Rustichelli, Mattheo Mutii* omnibus de Racanato, *Bartholomeo domini Thomae de Florentia* habitatore civitatis Racanatensis

et domno *Petro Jutii de Montereali* testibus ad hoc a dicto testatore vocatis habitis et rogatis, et presentibus supradicto *Ser Ciccho Ser Johannis de Mevania,* et me *Ser Antonio jannis de Racanato* publico Notario, et *Ser Marino bonilli de Trevio* publico Notario una mecum de predictis rogatis.

Ego Anthonius Jannis de Racanato publicus Imperiali auctoritate Notarius et judex ordinarius predictis omnibus et singulis suprascriptis interfui, et licet alia manu quam mea sint predicta in presenti foleo scripta, tamen de hiis a prefato Domino Episcopo una cum supradictis Ser Cicco, et Ser Marino rogatus fui, et ideo hic me ad fidem predictorum mea manu subscripsi.

LIV.

Protocoll. Ser Antonii Jannis Notar. Recan. ann. 1412. *f.°* 78.

1412. 20. Junii.

In dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione M. CCCC. XII. Indictione quinta tempore domini Gregorii Pape XII die XX. Mensis Junii. Reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Angelus miseratione divina tit. Stefani in Celiomonte presbiter Cardinalis et in provincia Marchie Anconitane Sedis Apostolice Legatus, et dicti domini Pape in temporalibus Vicarius generalis et commendatarius ecclesie cathedralis civitatis Racanat. sponte et ex certa scientia fecit finem, quietationem, liberationem et pactum de ulterius non petendo dompno *Venantio Cicchi* de Teramo habitatori civitatis Racanati *Sacriste* ecclesie episcopalis civitatis Racan. presenti et recipienti de omni eo toto, quod petere posset a dicto dompno Venantio usque in presentem diem occasione gubernationis sacristie ecclesie episcopalis civitatis Racanat. quam hactenus et in preteritum dictus dompnus Venantius tenuit et gubernavit, et de cera, oblationibus, et introitibus dicte sacristie perventis ad manus dicti dompni Venantii, liberans et absolvens dictum dompnum Venantium per Aquilianam stipulationem at acceptationem legitime intervenientes et hoc, quia sponte confessus fuit dictus dominus Legatus et Commendatarius sibi fuisse et esse per dictum dompnum Venantium plenariam redditam rationem de predictis, et fuisse et esse de perventis ad ipsius dompni Venantii manus occasione predictorum fuisse et esse integre satisfactum. Renuntians etc. promittens etc. sub ypoteca et obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

LV.

1412. 16. Junii.

In Xpī nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione millesimo quadrigentesimo duodecimo inditione quinta tempore SSm̃i in Xp̄o patris et

dñi nostri dñi Gregorii divina providentia Pape XII anno sexto die XVI. mensis junii. Cum ambulatoria sit hominis voluntas usque ad mortem et non sit inconveniens neque reprehensibile quod ex supervenientibus aliquando precedentia mutentur sepiusque prout expedit aliter reformetur. Idcirco Rm̃us in Xp̃o pater et dominus dñus Angelus Sacrosancte Romane Ecclesie presbiter Cardinalis Racanatensis vulgariter nuncupatus in partibus Marchie Anconitane et Massetrabarie Ap̃lice Sedis legatus volens et intendens suum ultimum testamentum quod dudum ut asseruit sub anno dñi millesimo quatringentesimo secundo Inditione X. die nona mensis maji condidit manu Ser Cicchi Ser Johannis de Mevanea Ser Antonii Jannis de Racanato et Ser Marini Bonilli de Trevio publicorum notariorum viribus suscipere illudque habere plenam roboris firmitatem cum ipse Rm̃us pater testamentum predictum fecerit vigore potestatis et Baylie sibi concesse per literas et Bullas Apostolicas sicut per eas apparet quamquam de pluribus ibi disposuerit ut ipse asseruit non ut de bonis ecclesiasticis sed ut de bonis propriis ad ejus manus perventis et acquisitis ante ejus promotionem nunc vero quamquam oportere quod in aliquibus aliter provideatur addendo dicto suo testamento et aliter disponendo maxime circa quedam que commissa per eum fuerant fidei et executioni Venerabilis viri Dñi Johannis Cole de Mevanea Vicarii ipsius Rm̃i patris nulla scriptura autentica de tali executione et erogatione confecta. Ad hoc ut validius et cautius provisum sit nunc per viam codicillarem per Dei gratiam sanus mente et sensu licet corpore languens in hunc modum et formam disposuit scilicet Imprimis idem Rm̃us pater et dñus dñus A. Cardinalis predictus ad tollendum omnem scandali materiam que possit contingere post ejus mortem declaravit presentialiter coram me Antonio Notario et testibus infrascriptis in verbo veritatis jurando ad sancta Dei evangelia manu ad pectus posita quod omnis pecunia seu quantitas denariorum quam de presenti habet et est vel esse posset in ejus potestate et dominio non transcendit nec transcendere potest vel excedere summam mille centum quinquaginta trium ducatorum auri et ut dictus Rm̃us pater et dñus dñus A. Cardinalis asseruit et dicto suo sacramento affirmavit alias pecunias et denarios non habere ullo modo et pro certo De quibus quidem mille centum quinquaginta tribus ducatis ipse Rm̃us dñus Cardinalis in virtute predicti sacramenti primitus declarando quod quantitas septingentorum quinquaginta trium ducatorum erat de propria pecunia suis laboribus acquisita tam ex officiis quam ex lectura decretorum consiliis datis et sua industria priusquam promotus esset ad Ecclesiam Racanatensem et quantitas restans esse poterat de obventis sibi ex commendis et officio legationis disponendo primo de dicta quantitate septingentorum quinquaginta trium ducatorum propria ordinavit in hunc modum inter

personas infrascriptas per subscriptos etiam fideicommissarios et executores dividendo et erogando scilicet Imprimis dictus Rm̃us Dñus Dñus A. Cardinalis Codicillator reliquit de dicta quantitate propria septingentorum quinquaginta trium ducatorum pro puellis maritandis pro anima sua et suorum ducatos auri octuaginta. Item reliquit de dicta pecunia *pauperibus evangelicis* ducatos auri quatraginta. Item reliquit et dari jussit et distribui aliis pauperibus amore Dei et pro anima dicti Codicillatoris et suorum ducatos auri quinquaginta. Item pro missis dicendis pro anima ejusdem et suorum ducatos auri quinquaginta. Item reliquit et dari jussit Segne francisci de Bictonio ejus nepoti ducatos auri octuaginta. Item reliquit et dari voluit et mandavit dño Johanni Cole de Mevanea ejus Vicario ducatos auri quinquaginta. Item reliquit de dicta sua pecunia domine Thadee sorori seu nepti dicti dñi Cardinalis ducatos auri quinquaginta. Item reliquit et dari jussit voluit Jacobo, Pero Johanni, et aliis filiis Thome Raynaldi de Mevanea nepotibus dicti Dñi Cardinalis ducatos auri trecentos. Item reliquit domine Brunnesenne Antonii Vagnutii de Mevanea nepti dicti dñi Cardinalis ducatos auri quinquaginta. Ad hec autem omnia etc. et hanc etc. etc.

Actum etc.

LVI.

Protoc. Ser Antonii Jannis Not. Recanat. A. 1412.

1412. 20. Junii.

In dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione M. CCCC. XII. Indictione quinta tempore Sanctissimi in Christo patris et domini Gregorii pp. XII. die vigesima mensis Junii. Cum Reverendissimus in Christo pater et dominus dominus *Angelus* miseratione divina tit. S. Stefani in Celio monte presbiter Cardinalis et in provincia Marchie Anconitane Sedis Apostolice Legatus, et prefati domini Pape in temporalibus Vicarius generalis suos fecerit codicillos manu mei Notarii de eis rogati, in quibus inter cetera reliquit, quod de quantitate quadrigentorum ducatorum auri proventa ad eum, ut asseruit, ex commendis et aliis, ut in ipsis codicillis fit mentio pro remuneratione familiarium et servientium eidem et eorum mercede et salario pro tempore quo ei servierunt dictam quantitatem CCCC. ducatorum auri distribueretur et daretur personis in dictis codicillis nominatis, prout et sicut in dictis codicillis plena fit mentio, et voluntas hominis sit ambulatoria, hinc est, quod prefatus dominus Legatus dictos codicillos, quoad dictos CCCC. ducatos auri, et distributionem de eis fiendam sponte et ex certa scientia sanus mente et sensu expresse revocavit, et in aliis partibus ipsos codicillos confirmavit, omni modo, via

jure, forma, quibus melius dici potest, et precepit, et mandavit Venerabili viro dompno Johanni Cole de Mevanea ejus generali Vicario presenti et intelligenti, quatenus mille centum quinquaginta tres ducatos auri, quos ipse dominus Legatus in dictis codicillis declaravit habere, tolleret et assignaret *Bartolo Andree* speciario de Racanato ibidem presenti, et acceptanti, et ipso domino Vicario presente et acceptante preceptum predictum. Necnon precepit et mandavit dicto bartolo presenti et recipienti et acceptanti quatenus dictos denarios reciperet seu recipiat, et 753. ducatos auri una cum aliis executoribus ultime voluntatis ipsius domini Angeli solvat et distribuat illis personis et per eum modum et in eas causas, prout et sicut in dictis codicillis per ipsum dominum Angelum apparet dispositum, et ordinatum, et 400. ducatos auri solvat ipse Bartolus infrascriptis personis, familiaribus et de familia ipsius domini Angeli, qui ei servierunt pro remuneratione servitiorum que ab eis recepit pro temporibus quibus ei servierunt et pro eorum salario et mercede, in hunc modum, videlicet: Inprimis solvat ex causa predicta dompno *Nofrio Petrutii Corradi* de Racanato ejus cubiculario ducatos auri 50. — Item *Ser Marino Bonilli de Trevio* ejus cancellario et secretario dicta de causa 20. ducatos auri. — Item solvat *Michilino Petri de Mevania* ex dicta de causa 44. ducatos auri, dum tamen eos dictus Michilinus restituat dicto dompno Johanni ejus Vicario pro 44. ducatis auri, quos idem Michilinus habuit mutuo, ut patet in libro dompni Johannis Cole de Mevania ejus Vicarii predicti, et hiis restitutis dictus dompnus Johannes casset et cancellet de dicto libro dictum Michilinum et dictum mutuum, et quod heredes ipsius dompni Legati dictum Michilinum de dicto mutuo 44. ducatorum auri nullatenus molestent, et quod his 44. ducatis auri modo predicto solutis ex tunc dictus dominus Angelus ipsum Michilinum a dicto mutuo liberavit, et mihi Notario infrascripto ut publice persone stipulanti vice et nomine dicti Michilini finem et quietationem de eis fecit. Item quod solvat *Francisco alias Ciaglia* quondam ejus familiari ducatos auri 30., in quibus discomputentur 15. ducati auri, quos habuit dictus Franciscus mutuo de denariis dicti domini Angeli. Item quod solvat *Angelino Cole de civitate Teatina* ejus familiari ex dicta causa 30. ducatos auri. Item quod solvat *Angelo filio johannis Coci* dicti domini Legati 25. ducatos auri. Item quod solvat *francisco parvulo familiari stabuli* dicti domini Legati ex causa predicta 10. ducatos auri. Item quod solvat *Trocto ser Colutii de Macerata* ejus familiari ex causa predicta 10. ducatos auri. Item quod solvat *Gilberto cellarario* suo ex dicta causa 6. ducatos auri. Item quod solvat *Johanni de Merullis de Assisio* ejus familiari pro sua mercede ducatos auri 20. Item quod solvat *Nallo ser Angeli* de Mevania ejus familiari

ex causa predicta 30. ducatos auri. Item quod solvat dompno *Andree de Atria Cappellano ecclesie sancte Marie de Laureto pro ejus labore et mercede* 25. ducatos auri. Item quod solvat *dompno Venantio Cicchi de teramo* pro suo labore et mercede 15. ducatos auri. Item *dompno Antonello Cole* de civitate teatina ex dicta causa 10. ducatos auri. Item quod solvat *dompno Petrutio Petri* 25. ducatos auri pro suo labore et mercede. Item quod solvat *Servideo filippi de Racanato* clerico familiari et servienti dicti domini Legati in *commenda Sancti Martini de Ancona* pro sua mercede et salario 10. ducatos auri. Item quod solvat *Accurri de Tolentino* ejus familiari pro sua mercede 10. ducatos auri. Item quod solvat *Bonjohanni de Assisio* famulo ex dicta causa octo ducatos auri. Item quod solvat *Vico bagliotti de Mevania* ex dicta causa 20. ducatos auri. Item quod solvat *Ser Cicco Ser Johannis* de Mevania antiquo ejus familiari pro sua mercede et labore 30. ducatos auri. et declaravit dictus dominus Legatus, quod si alicui prenominatorum esset per dictum dominum Legatum legata vel relicta aliqua quantitas pecunie numerate in testamento ipsius domini Legati, quod illa quantitas computetur et intelligatur in quantitate, que supra declarata est debere solvi per dictum Bartolum , ita quod sole quantitates predicte tantum solvantur et non ultra, transferens ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc prefatus dominus Legatus in dictos prenominatos et quemlibet eorum dominium dictarum quantitatum supra specificatarum, et quas mandavit solvi per dictum Bartolum de dictis 400. ducatis auri ut supra est declaratum, volens quod dictum dominium transeat ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc in quemlibet prenominatorum pro sua quantitate supra declarata absque aliqua alia actuali numeratione et traditione omni modo, via, jure, et forma, quibus melius dici potest et debet, meque Antonio Notario infrascripto ut publica persona stipulante et recipiente nomine prenominatorum predictorum omni modo, via, et forma, quibus melius dici potest.

Actum Racanati in camera prefati domini Legati posita in domibus episcopalibus civitatis Racanati positis in quarterio Sancti Flaviani, juxta Ecclesiam Sancti Flaviani, viam communis et alios fines presentibus *Domino Monte de Campli Plebano plebis Montis Sancti,* Domino *Nicolao Antonii* de Racanato, dompno *Johanne Antonii guilelmutii* de Racanato, *Berto johannis* de Racanato, *Andrea Nicolecti, Antonio Massii ballantis,* dompno *Nofrio Petrutii* de Racanato, et *Segna francisci de bictonio* testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LVII.

1412. 22. Junii.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione M. CCCC. XII. indictione quinta, tempore Sanctissimi in Christo patris et domini domini Gregorii PP. XII. die XXII. mensis Junii. Dompnus *Nofrius Petrutii* de Racanato olim *Cubicularius* Reverendissimi in Christo patris et domini domini Angeli miseratione divina tit. S. Stefani in Celio monte presbiteri Cardinalis *jam defuncti* et olim Legati Sedis Apostolice in provincia Marchie Anconitane in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum dedit et reassignavit Venerabili viro Dompno Antonio Bertutii de Racanato locumtenenti thesaurarie camere ecclesie Romane presenti et recipienti conservandas bullas apostolicas concessas per supradictum dominum nostrum Papam Gregorium XII continentes in effectu infrascriptas facultates concessas dicto quondam Legato ut patet per summam cujusdam scripture facte de dictis facultatibus in primis *bullam* facultatis concedendi indulgentias. — *Bullam* recipiendi rebelles ad obedientiam. — *Bullam* concedendi tabellionatus officium. — *Bullam* audiendi causas. — *Bullam* recipiendi ad gratiam illos qui adheserunt Antipape. — *Bullam* dispensandi cum illis qui celebraverint in presentia scismaticorum et excommunicatorum. — *Bullam* reducendi ad gratiam rebelles et remittendi. — *Bullam* quod possit deputare et removere castellanos, potestates etc. — *Bullam* super causis movendis. — *Bullam* remittendi crimina etiam lese majestatis. — *Bullam* absolvendi super juramento et perjurio. —*Bullam* dispensandi super defectu natalium. — *Bullam* dispensandi in quarto gradu ignoranter usque ad 50. viros et totidem mulieres. — *Bullam* dispensandi in quarto gradu contrahendo usque ad 25. viros et totidem mulieres.—*Bullam* indulgentie in mortis articulo semel tantum pro 60. personis. —*Bullam* conferendi beneficia familiarium.—*Bullam* absolvendi in casibus Sedi Apostolice reservatis.—*Bullam* precipiendi custodibus castrorum, roccarum, et fortellitiorum. — *Salvum conductum* domini Cardinalis Legati. — Bullam convocandi Prelatos et eis mandandi. — *Bullam* visitandi provincias et reformandi et renovandi. — *Bullam* quod Cappellani et alii ejus familiares possint recipere fructus beneficiorum in absentia. — *Bullam* concedendi unum annum et 40. dies indulgentiae in celebratione quarundam sollempnitatum. — Mandatum Thesaurario quod debeat obedire Legato in solvendo necessaria pro causis utilibus. — *Bullam*, quod possit conducere ad stipendium gentes armigeras. — *Bullam* generalis mandati. — *Bullam*, quod possit vendere de bonis rebellium usque ad quantitatem 2000. ducatorum. — *Bullam* facultatis creandi collectorem. — Duas alias Bullas.

Actum Racanati in sacristia episcopatus civitatis Racanati, presentibus *dompno Francisco Paulutii de Racan.* preposito Racanatensi, dompno *Nicolao Ranaldi de Racanato,* et domino *Nicolao Antonii* de Racanato testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Die XXII. mensis junii. Ser *Marinus Bonilli de Trevio* secretarius olim antedicti Dñi Angeli olim Legati antedicti in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum dedit et assignavit Venerabili viro dompno *Antonio Bertutii de Racan.* locumtenenti Thesaurarie camere ecclesie Romane *sigillum magnum longum de argento,* quo utebatur antedictus dominus olim Legatus. Item *sigillum mediocre et parvum rotundum* simul juncta etiam de argento, quo idem olim dominus Legatus utebatur, que sigilla dicti dominus Locumtenens et Ser Marinus more solito ad tollendam omnem suspicionem fraudis ruperunt et fregerunt in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum taliter quod cum eis amplius sigillari non potest.

Item dedit et assignavit *dompno Nofrio Petrutii* de Racan. *Canonico Racanatensi recipienti vice et nomine omnium canonicorum* civitatis Racan. *unum sigillum longum de argento,* quo antedictus dominus Angelus utebatur *tempore quo episcopali dignitate fungebatur;* quod quidem sigillum dicti dompnus Nofrius et Ser Marinus in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum ad omnem suspicionem tollendam ruperunt et fregerunt ita et totaliter, quod cum eo de cetero sigillari non potest.

Actum Racanati in camera superiori episcopatus civitatis Racan. sita prope campanile dicti episcopatus et tribunam magnam, in qua moratur dñus *Montes de Camplo* plebanus montis Sancti. presentibus dompno *Francisco Paulutii* preposito Racanatensi, dompno *Nicolao Ranaldi,* et domino *Nicolao Antonii* de Racanato testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LVIII.

Ex Protoc. Ser Antonii Jannis Notariis Recanat. anni 1407. *f.°* 45.

1407. 24. Februarii.

Die XXIIII. mensis Februarii *(ann.* 1407.*)* Dominicus Magistri Francisci de florentia habitator civitatis fani sponte promisit et pacto solempni convenit Lucolo Cole de Racanato sindico et procuratori et sindicario et procuratorio nomine fratrum et conventus ecclesie sancti francisci de Racanato presenti et stipulanti laborare et facere ac etiam *componere unam sepulturam seu sepulcrum in cappella sancti Benvenuti* sita in dicta ecclesia Sancti francisci, quod promisit facere et construere *de lapidibus scultis* bene et sufficienter laboratum judicio boni magistri, pro quo quidem sepulcro fiendo idem Dominicus promisit facere omnia infrascripta

omnibus suis sumptibus et expensis salvis reservationibus infrascriptis. Inprimis videlicet promisit facere unam sepulturam seu sepulcrum de lapide relevatum extra murum uno pede cum duobus angelis uno ad caput dicti sepulcri, altero ad pedem dicti sepulcri, et cum duobus aliis angelis etiam de lapide subtus arcum ubi erit dictum sepulcrum, videlicet supra coperculum dicti sepulcri. Item promisit facere et sculpire ymaginem sancti benvenuti relevatum super coperculum dicti sepulcri, ita quod bene stet secundum judicium boni magistri. Item promisit facere in parte anteriori dicti sepulcri unam fenestram, ubi possit poni et retineri una gratis de ferro longitudinis tertie partis longitudinis dicti sepulcri, et dictam gratem promisit ita artificialiter arctare quod possit bene trahi et mitti, et etiam quod possit serrari cum clavi. Item promisit facere sub dicto sepulcro sex capitellos lapideos, secundum quod disserunt esse in concordia inter eos. Item promisit facere, quod dicti Angeli, qui debent esse supra coperculum dicti sepulcri, unus teneat turibulum in una manu, et in alia manu videlicet sinistra teneat navicellam incensi et alter Angelus teneat in una manu cifum aque sancte, et in altera manu spargolum, et quod dicti Angeli qui debent stare extra arcum predictum ubi erit dictum sepulcrum, teneant unum candelerium lapideum pro quolibet eorum. Item promisit facere unum lapidem aptum ubi possint scribi anni domini et nomen illius, qui hoc opus fecit fieri. Item promisit in dicto laborerio ponere et mittere suis expensis omne ferrum necessarium implumbatum vel non, prout fuerit opportunum, et dictum laborerium et sepulcrum complere et completum assignare dictis fratribus in civitate fani per totum mensem maji prossime futurum. — Et dicti fratres promiserunt dicto Dominico dare pro laborerio predicto et ejus expeditione dare dictam gratem et ejus inclavaturam et serramen, et ipso sepulcro facto, dicti fratres teneantur solvere medietatem expensarum fiendarum in conducendo dictum sepulcrum a civitate fani ad portum civitatis Racanati, altera medietate solvenda per dictum Dominicum, et a dicto portu civitatis Racanati debeant dicti fratres suis expensis facere asportari ad civitatem Racanati, quo sepulcro conducto ad civitatem Racanati dictus Dominicus promisit dictum sepulcrum construere et componere cum supradictis laboreriis, ita quod stet bene arbitrio boni magistri, suis expensis, dum tamen dicti fratres teneantur dare alimenta seu victum ipsi Dominico, donec dictum sepulcrum fuerit compositum et completum, necnon calcinam vivam vel mortuam pro componendo dictum sepulcrum, prout expediens fuerit. Item predicti fratres teneantur et debeant facere fieri arcum, ubi dictum sepulcrum debet componi et poni omnibus ipsorum fratrum sumptibus et expensis, pro cujus mercede dictus Lucolus promisit dicto Dominico dare et solvere triginta ducatos auri, de

quibus ibidem in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum dictus Sindicus dedit et solvit dicto Dominico quatuor ducatos auri, et sex ducatos auri promisit eidem solvere hinc ad octo dies post festum pasce resurrectionis domini nostri Jesu Christi, et residuum composito et completo dicto sepulcro. Que omnia et singula dicti Dominicus et Lucolus dicto nomine promiserunt ad invicem attendere et observare etc. sub pena 50. ducatorum auri etc. et obligatione bonorum dicti Dominici et dicti Conventus presentium et futurorum etc.

Actum Racanati sub trasannis reclostri cisterne Ecclesie Sancti Francisci de Racanato positis in pertinentiis dicti Monasterii, presentibus *Johannino Vannis* clavario, *Antonio Vannis* de Macerata habitatore Racanati, et *Dominico Petri* vasario habitatore Racanati, testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LIX.

Protocoll. Ser Antonii Jannis Not. Recan. A. 1412.

1412. 22. Junii.

Dicta die (22. Junii.) cohadunato et congregato sollempniter Capitulo Canonicorum majoris ecclesie Sancti Viti de Racan. de mandato et auctoritate Venerabilis viri dompni Francisci Paulutii Prepositi Racanatensis sono campanelle premisso in sacristia *ecclesie catedralis* Sancti Flaviani de Racanato ad hunc actum specialiter congregato, in quo quidem capitulo interfuerunt dictus *dompnus Franciscus prepositus et infrascripti canonaci*, videlicet, dompnus *Nicolaus Raynaldi* de Racan., dompnus *Antonius Bertutii* de Racan., dompnus *Matheus Putii de Monte Sancte Marie in Georgio*, dompnus *Nofrius Petrutii* de Racan., dompnus *Johannes Cole de Mevania,* dompnus *Batista Carboni* de Racanato, et dompnus *Nicolaus Antonii* de Racan. tractantes inter eos, quod cum ad presens ecclesia cathedralis sancti flaviani de Racan. vacet seu careat pastore per mortem Reverendissimi in Christo Patris et domini domini *Angeli* miseratione divina tit. Sancti Stefani in Celiomonte presbiteri Cardinalis in provincia Marchie Anconitane Sedis Apostolice Legati et in temporalibus dicti domini Pape Vicarii generalis ac gubernatoris ecclesie Sancti flaviani predicti, velle providere gubernationi ecclesie antedicte et ejus bonorum et jurium, ne vacante pastore ipsa ecclesia in suis juribus et bonis valeat in aliquo ledi, et ipsorum canonicorum intersit ipsi indempnitati providere. Hinc est, quod dictus prepositus una cum dictis canonicis prenominatis et dicti canonici cum dicto dompno francisco preposito sic capitulariter ad hunc actum specialiter congregati sponte ac unanimiter et concorditer eorum nemine discordante fecerunt, constituerunt, et legitime ordinaverunt eorum

et dicte ecclesie cathedralis nomine et pro dicta ecclesia et omni alio modo quo melius dici potest et debet fecerunt, constituerunt et legitime ordinaverunt eorum et ipsius Capituli atque ecclesie *Vicarium generalem* ac ipsius ecclesie yconomum, dispensatorem, defensorem et gubernatorem, et omni alio nomine et modo quibus melius dici potest, Venerabilem virum dompnum *Antonium Bertutii* antedictum presentem et acceptantem, ad agendum, petendum et defendendum civiliter et criminaliter, et pro causis et negotiis dicte ecclesie in judicio assistendi, et negotia ejusdem ecclesie gerendum et administrandum, ipsamque ecclesiam et ejus bona gubernandum, et jura manutenenda etc. et omnia alia et singula facienda gerenda et administranda, que de jure potest, et que ipsimet canonici et ipsum totum Capitulum gerere, facere, et administrare potest, cum omnimoda potestate juris etc. promittentes habere ratum etc. sub ypoteca et obligatione bonorum dicte ecclesie presentium et futurorum.

Actum Racanati *in sacrastia ecclesie episcopatus,* presentibus dompno *Corrado Pacis* de Mevania, dompno *Johanne Antonii Guilelmutii*, et dompno *Barnabe Nicole* de Racan. et *Michilino Petri* de Mevania testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LX.

Ex eodem Protocollo f.° 79. t.°

1412. 24. Junii.

Die XXIIII. dicti mensis Junii. — Congregato et sollempniter cohadunato Capitulo Canonicorum majoris Ecclesie Sancti Viti de Racanato in choro dicte ecclesie posite in civitate Racan. in quarterio S. Viti juxta res dicte ecclesie vias et alios fines, ubi dictum Collegium solitum est congregari, mandato Venerabilis viri *domini Francisci Paulutii* de Racan. Prepositi Racanatensis, et dicte majoris ecclesie Rectoris, et sono campane premisso de mandato prepositi antedicti: in quo quidem Capitulo interfuerunt dictus Prepositus et infrascripti canonici videlicet dominus *Nicolaus Raynaldi* de Racan., dominus *Antonius Bertutii* de Racan., dominus Matheus Putii de Monte Sancte Marie in Georgio, dominus *Nofrius Petrutii* de Racan., Dominus *Johannes Cole* de Mevania, dominus *Battista Carboni* de Racan., et dominus *Nicolaus Antonii* de Racan. specialiter ad hunc actum congregati. — Cum Ecclesia cathedralis Sancti Flaviani de Racanato pastore vacaret per mortem Reverendissimi in Christo patris et domini domini *Angeli* miseratione divina tit. S. Stefani in Celio monte presbiteri Cardinalis, in provincia Marchie Anconitane Sedis Apostolice olim Legati, et in temporalibus dicti domini Pape Vicarii generalis, ac etiam gubernatoris et Commendatarii Catredalis ecclesie Sancti Flaviani antedicte

defuncti, et ecclesiastice sepulture traditi, volentes providere, ne dicta catredalis ecclesia in temporalibus et spiritualibus aliquod patiatur detrimentum, facta, proposita per dictum dominum Franciscum Prepositum inter dictos Canonicos, et ab eis postulato responso, quis modus esset inter eos et per eos retinendus circa *electionem episcopi seu pastoris* dicte ecclesie catredalis Sancti Flaviani, et habitu tractatu sollempni inter eos super predictis deliberaverunt et declaraverunt dicti Prepositus et Canonici unanimi voluntate concorditer et pari voto, esse deveniendum ad electionem episcopi et pastoris antedicti per formam Compromissi, quo tractatu habito, et dicta deliberatione sequuta prefati Prepositus et Canonici omnes sponte, unanimiter et concorditer eorum nemine discordante pari voto, invocata Spiritus sancti gratia, et per eos sollempniter genuflexis genibus ante altare magnum in dicto choro existentes submissa, tamen intelligibili voce cantato ymno, *Veni creator spiritus, mentes tuorum visita* etc. volentes explicare electionem predictam, compromiserunt et commiserunt nomine dicti Capituli facultatem et potestatem eligendi pastorem et episcopum dicte catredalis ecclesie Sancti Flaviani de Racanato et ipsi ecclesie de dicto pastore providendi nomine ipsius Capituli antedicti in Venerabilem virum dominum Franciscum Prepositum antedictum presentem et acceptantem transferentes in dictum dominum Franciscum Prepositum predictum ipsi Canonici et quilibet eorum, et ipsum Capitulum omnem et omnimodam potestatem et jus eligendi pastorem predictum, et de eo providendi, quod et quam ipsi et quilibet eorum tam particulariter quam capitulariter habent vel habere possunt, concedentesque eidem domino Francisco Preposito suas et dicti totius Capituli una cum ipso Preposito in predictis et circa predicta totaliter vices suas, promittentesque mihi Notario infrascripto ut publice persone stipulanti vice et nomine quorum interest et interesse poterit, se ratum, gratum et firmum habituros omnem electionem et provisionem fiendam per dictum Prepositum de episcopo et pastore predicto. Consentientes ex nunc prout ex tunc in pastorem et episcopum predictum, quem dictus Prepositus nominandum et eligendum duxerit, et sic eorum corporali super litteris manu corporaliter tactis scripturis juraverunt et firmaverunt omni modo, via, jure et forma, quibus melius dici potest et debet. —

Qui quidem dominus Franciscus Prepositus et Compromissarius antedictus ante dictum altare existens, invocato divini numinis presidio, ac Spiritus sancti gratia postulata, de voluntate, presentia atque consensu dictorum Canonicorum, et auctoritate ei a dictis Canonicis et Capitulo predicto concessa, ut supra patet, vice sua et totius Capituli predicti nomine *Egregium Decretorum Doctorem Dominum Montem de Camplo Plebanum*

ecclesie Sancti Stefani de monte sancto firmane diocesis de legitimo matrimonio procreatum, etatis 40. annorum et ultra, moribusque insignitum, humilem, atque scientia et omni virtute predotatum, in quem etiam ipse Prepositus consensit atque convenit *in ipsorum et dicti Capituli atque dicte catredalis ecclesie Racanatensis Episcopum elegit et pastorem,* et de ipso domino Monte ipsi catredali ecclesie providit, et sic publice in communi in dicto capitulo publicavit, omni modo, via, jure, et forma quibus melius dici potest, omnibus Canonicis atque Capitulo presentibus, acceptantibus, et consentientibus in eundem ut in verum episcopum et pastorem ipsorum et ecclesie antedicte, dicentes voce intelligibili flexis genibus ante altare predictum canticum videlicet: *Te Deum laudamus etc.*

Post que prefati Prepositus et Canonici sic capitulariter congregati fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt nomine dicti Capituli eorum et dicti Capituli sindicum et procuratorem Sapientem et jurisperitum virum dominum *Galaoctum Butoli* de Racanato licet absentem ad comparendum eorum et dicti Capituli nomine coram Sanctissimo in Christo patre et domino domino Gregorio divina providentia Papa XII ad presentandam dictam electionem dicto domino Pape, et ad petendum ipsam electionem et electum confirmari secundum formam sacrorum Canonum, et ad omnia alia et singula facienda, que in predictis et circa predicta utilia fuerint atque necessaria et opportuna, et ad substituendum loco sui unum vel plures, cum potestate revocandi, et alium vel alios substituendi prout sibi visum fuerit, dantes et concedentes dicto Syndico et procuratori et ab eo substituendo plenum, liberum et generale mandatum cum plena libera et generali administratione, promittentesque mihi Notario ut supra stipulauti firmum et ratum habituros, quicquid fuerit in predictis et circa predicta factum et gestum sub ypoteca et obligatione suorum et dicti Capituli bonorum presentium et futurorum.

Acta fuerunt Racanati in loco supra confinato, presentibus dompno *Francisco Johannis,* et *Jacobo Colutii Ciccolini* de Racanato testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LXI.

Ex protocollo Ser Jacobi M. Petrutii Not. Recanat.

1416. 7. Martii.

In Dei nomine amen. Anno Domini 1416. Indictione nona, Apostolica Sede vacante, die vero 7. mensis Martii. Vacante nuper *canonicatu et prebenda in Cathedrali Ecclesia Sancti Viti* de Rachanato per mortem Venerabilis viri domini Batiste Carboni de Carbonibus de Racanato olim Canonici dicte Cathedralis Ecclesie Sancti Viti. Congregato igitur Capitulo

dicte Cathedralis Ecclesie in camera solite residentie *Reverendissimi et clementissimi in Christo Patris et Domini Domini Angeli Corario Sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Episcopi Cardinalis in provincia Marchie Anconitane, presidatus farfensis* etc. *legati et in spiritualibus et temporalibus Vicarii Generalis, necnon Ecclesiarum Episcopatus Rachanat. et Maceraten. Commendatarius,* que vero camera posita est in domibus episcopalibus Rachanat. sitis in civitate Racan. in Quarterio S. Flaviani juxta bona dicte ecclesie, vias communis undique et alia latera de mandato et requisitione Venerabilis viri domini Francisci Pauluctii de Rachanato prepositi dicte cathedralis Ecclesie Sancti Viti de Rachanato. In quo quidem Capitulo interfuerunt in presentia prefati Reverendissimi Patris et Domini Domini Cardinalis et Commendatarii predicti *habentis duas voces* ad electionem Canonicorum Venerabiles viri Dominus Prepositus predictus, Dominus Nicolaus Raynaldi, Dominus Antonius Bertutii, Dominus Johannes Cole de Mevanea Rector Ecclesie S. Marie de Montemorello de Racanato, Dominus Macteus . . . . de Monte S, Marie in Georgio, et Egregius Legum Doctor Dominus Nicolaus Antonii de Racanato Canonici dicte Cathedralis Ecclesie Sancti Viti, qui fatiunt totum Capitulum prenominate ecclesie. Qui vero Reverendissimus Pater et dominus dominus Cardinalis et Commendatarius predictus et prelibatus dominus Prepositus una cum prefatis dominis Canonicis suprascriptis volentes ad dictos Canonicatum et prebendam sic vacantia in prelibata cathedrali ecclesia de aliquo viro idoneo providere, et considerantes honestatem et prudentiam aliasque virtutes et probitates Venerabilis viri *Alovixii Jacobi Cisci* de Racanato in Sacerdotio constituti, prefatum dominum Alovisium ad dictos Canonicatum et prebendam in Canonicum dicte Cathedralis Ecclesie Sancti Viti Jesu Christi ejusque pie gloriosissime Virginis matris Marie ac gloriosissimi martiris Sancti Viti nominibus invocatis eligerunt, vocaverunt, et nominaverunt omni modo via jure et forma quibus melius potuerunt atque debuerunt, mandans idem Reverendissimus Pater et dominus, dominus Cardinalis ac Commendatarius predictus unacum predictis Preposito, Canonicis, ut de predictis unum aut plura conficerem instrumentum et instrumenta.

Actum Racanati in camera superius posita et confinata presentibus honestis viris Donno Petro Magistri Johannis de Tolentino Rectore Ecclesie Sancti Michaelis de Racanato, donno Jacobo Vannis de Racanato, Simone et Pinocto familiaribus supradicti domini Cardinalis et quampluribus aliis testibus ad predicta habitis vocatis et rogatis.

Et ego Jacobus Magistri Petrutii de Racanato publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius et judex ordinarius etc.

LXII.

Ex Protocollo Ser Antonii Jannis Not. Recanat. anni 1417. *f.°* 76.

1417. 18. Octobris.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione MCCCCXVII. indictione decima sede apostolica vacante die XVIII. mensis Octobris. Cum *ecclesia episcopalis Sancti Flaviani de Racanato* vacaret prelato propter mortem Reverendissimi olim in Christo patris et domini domini *Angeli* Cardinalis Apostolice Sedis in provincia Marchie Anconitane pro ecclesia Romana Legati, et in spiritualibus et temporalibus Vicarii generalis, ac Commendatarii et gubernatoris dicte ecclesie Episcopalis civitatis Racanatensis propter reservationem sibi per dictum Dominum Angelum factam tempore, quo in papali dignitate fulgebat, adeo quod omnimoda jurisdictio diocesani dicitur ad *Capitulum majoris Ecclesie civitatis Racanatensis* devolutam esse de jure cum omnimoda gubernatione ecclesie Episcopalis predicte et suorum jurium, donec dicte Ecclesie de suo prelato canonice provideatur. Hinc est congregato et sollempniter cohadunato capitulo Canonicorum majoris Ecclesie Racanatensis sono campane more solito precedente de mandato Venerabilis viri *dompni Francisci Paulutii* de Racanato Prepositi dicte Ecclesie et dictorum Canonicorum, in sacristia *Ecclesie Episcopalis* Sancti Flaviani de Racanato, ipso loco prius et ante omnia per dictos Prepositum et infrascriptos Canonicos ad hec specialiter deputato, in quo quidem Capitulo interfuerunt dictus *dompnus Franciscus Prepositus,* et infrascripti Canonici, videlicet dompnus *Nicolaus Raynaldi de Racanato,* dompnus *Antonius Bertutii de Racanato,* dompnus *Matteus Putii de monte sancte Marie,* dompnus *Honofrius Petrutii de Racanato,* dompnus *Johannes Cole de Mevania*, *Dominus Nicolaus Antonii* de Racanato Decretorum Doctor, et dompnus *Alovisius Jacobi Cisci* de Racanato, omnes Canonici dicte Ecclesie Racanatensis ad infrascripta specialiter congregati, volentes et tractantes mature providere ne dicta ecclesia episcopalis Sancti Flaviani de Racanato in divinis et humanis seu spiritualibus et temporalibus aliquod patiatur detrimentum, Idem dominus Prepositus una cum dictis Canonicis, et dicti Canonici una cum dicto Preposito unanimiter et concorditer eorum nemine discordante pari voto ad utilitatem et commodum dicte Ecclesie Episcopalis et dicti Capituli et totius cleri Racanatensis omni modo, via, jure, et forma quibus melius dici potest, fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt Egregium Decretorum Doctorem *Nicolaum Antonii* predictum presentem et acceptantem eorum et dicte Ecclesie Episcopalis Vicarium cum omnimoda potestate et jurisdictione que ipsi Capitulo de jure competit, donec fuerit dicte Ecclesie et dicto Capitulo

et toti Clero de Prelato canonice provisum, eidem dantes et concedentes omnem potestatem et jurisdictionem et jurisdictionis exercitium, quam ipsum Capitulum de jure habent et habere possunt, ipsa ecclesia episcopali suo prelato et diocesano vacante. — Item fecerunt, constituerunt et legitime ordinaverunt honestum virum dompnum *Nicolaum Raynaldi de Racanato* predictum presentem et acceptantem ejusdem Ecclesie Episcopalis yconomum ad regendum, gubernandum, gerendum, administrandum, recipiendum, manutenendum, et conservandum bona et jura dicte Ecelesie, et ad omnia facienda et gerenda, que ad curam et gubernationem ac gestum dictorum bonorum et jurium dicte ecclesie utilia et opportuna seu necessaria fuerint et utilia, dantes et concedentes eidem yconomo plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera, et generali administratione prout et sicut possunt ac requiritur de jure et omni modo, via, jure, et forma, quibus melius dici potest et debet, promictentes etc. renunptiantes etc. sub ypoteca et obligatione bonorum dicte ecclesie et capituli antedicti.

Actum Racanati in sacristia predicta, que posita post tribunas dicte ecclesie, presentibus *Ser Jacobo Melli dominici* de Racanato, *dompno Petrutio Petri* de Racanato, et dompno *Antonello Cole de la riccia* testibus ad hec vocatis et rogatis.

LXIII.

1417. 6. Nov.

In Dei nomine amen. (1417.) die sexta mensis novembris. Cum *Episcopalis* Ecclesia Sancti Flaviani de Racanato pastore vacaret per mortem Reverendissimi in Christo Patris et domini domini *Angeli* Sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalis et in provincia Marchie Anconitane olim pro Sancta Romana ecclesia Legati, et in spiritualibus et temporalibus Vicarii generalis, et Commendatarii quondam ac gubernatoris dicte Episcopalis Ecclesie Sancti Flaviani per reservationem sibi factam, dum papali dignitate fulgebat, et cum per ipsius mortem dicta Ecclesia Sancti Flaviani pastoris solatio destituta maneret, hinc est, quod coadunato et sollempniter congregato capitulo *Canonicorum civitatis Racanatensis* de mandato egregii decretorum Doctoris domini *Nicolai Antonii de Racanato Vicarii* dictorum Canonicorum et Ecclesie antedicte, et unus ex canonicis antedictis, ac de mandato Venerabilis viri Dompni *Francisci Paulutii* de Racanato *Prepositi dictorum Canonicorum et Ecclesie Sancti Viti* de Racanato in sacristia dicte ecclesie Sancti Viti ad hoc specialiter deputata, sonoque campane more solito premisso, in quo quidem capitulo interfuerunt dictus dominus *Nicolaus Vicarius,* et dictus *dompnus Franciscus* Prepositus et infrascripti canonici dicte ecclesie Sancti Viti de

Racanato, videlicet Dompnus *Nicolaus Raynaldi* de Racanato, dompnus *Antonius Bertutii* de Racanato, dompnus *Matteus Putii de monte Sancte Marie in georgio* habitator civitatis Racanati, dompnus *Honofrius Petrutii* de Racanato, dompnus *Johannes Cole de Mevania* habitator civitatis Racanati, et *Alovisius Jacobi Cisci* de Racanato omnes Canonici Racanatenses predicti, *cum plures Canonici non essent*, in dicta Ecclesia Sancti Viti et in civitate Racanati, tractantes de electione futuri pastoris et pontificis dicte *ecclesie episcopalis Sancti Flaviani* de Racanato, *ipsi*, Idem Dominus *Nicolaus* Vicarius et dompnus *Franciscus Paulutii* Prepositus una cum dictis Canonicis, et dicti Canonici una cum dictis domino Vicario et Preposito unanimiter et concorditer eorum nemine discordante divina et Spiritus sancti gratia inspirati pari voce et animo publice *postularunt in Episcopum* et pastorem dicte ecclesie Sancti Flaviani de Racanato Reverendum in Christo patrem et dominum dominum *Marinum* Episcopum Aprutinum virum bone vite et conversationis, moribus et scientia dotatum, et omni idoneitate decoratum, dicentes pariter et unanimiter simul et unusquisque ipsorum indifferenter et publice in capitulo antedicto: *Postulo in Episcopum et pastorem dicte Episcopalis Ecclesie Sancti Flaviani atque nostrum*, Reverendum in Christo patrem et dominum dominum *Marinum* Episcopum Aprutinum omni modo, via, jure, et forma quibus melius dici potest et debet.

Actum Racanati in sacristia dicte Ecclesie Sancti Viti posite in quarterio Sancti Viti, juxta res dicte ecclesie, vias, et alios fines, presentibus *dompno Bertrambo Petri* de Macerata, Jacobo Francisci Paganutii quondam de Ploraco et Francisco Jacobi Cisci de Racanato testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LXIV.

Ex protocollo Ser. Antonii Jannis anni 1418. *f.°* 46.

1418. 2. Maji.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione M. CCCC. XVIII. indictione XI. Sanctissimi in Christo patris et domini domini Martini divina providentia pape quinti, die secunda mensis Maji. Cum ecclesia *Episcopalis Sancti Flaviani de Racanato*, et ecclesia Episcopalis *Sancti Juliani de Macerata* canonice unite Pastore vacaverint, et vacasse dicerentur per mortem Reverendissimi olim patris Domini Angeli olim Episcopi et pastoris dictarum Ecclesiarum, et demum Cardinalis et Commendatarii seu gubernatoris olim dictarum ecclesiarum, et demum vacarent et vacare dicantur per mortem Reverendissimi in Christo patris et domini domini Angeli olim Sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalis, et in provincia Mar-

chie Anconitane pro Sancta Romana Ecclesia in spiritualibus et temporalibus Vicarii generalis ac etiam Gubernatoris dictarum ecclesie Sancti Flaviani et ecclesie Sancti Juliani per reservationem sibi factam, dum in papali dignitate fulgebat, propter que dicte ecclesie Sancti Flaviani et Sancti Juliani pastoris solatio destitute manerent. Hinc est, quod convenientibus in unum ac coadunatis et congregatis sollempniter *Capitulo Canonicorum civitatis Racanati* et *Capitulo Canonicorum civitatis Macerate* in loco infrascripto sono campane premisso, videlicet Capitulo Canonicorum civitatis Racanati de mandato Venerabilis viri Domini *Francisci Paulutii de Racanato Prepositi dictorum Canonicorum* et majoris ecclesie civitatis Racanati, et Capitulo Canonicorum civitatis Macerate de mandato Venerabilis viri Domini *Nicolai Fanutii Archidiachani civitatis Macerate,* in quorum omnium Canonicorum Capitulo sic congregato et unito interfuerunt prefatus dominus *Franciscus Paulutii Prepositus* predictus, et dompnus *Nicolaus Raynaldi* de Racanato, dompnus *Antonius Bertutii* de Racanato, dompnus *Macteus Putii de Monte Sancte Marie in Georgio* habitator civitatis Racanati, dompnus *Honofrius Petrutii*, dompnus *Joannes Cole de Mevania* habitator civitatis Racanati, Dominus *Nicolaus Antonii* de Racanato, et dompnus *Alouisius Jacobi Cisci* de Racanato omnes Canonici Racanatenses: nec non et interfuerunt prefatus Dominus *Nicolaus Fanutii Archidiaconus* Maceratensis, et dompnus *Johannes Marini de Macerata,* dompnus *Antonius Cavutii de Exculo* habitator civitatis Macerate, dompnus *Johannes Andree de Macerata,* dompnus *Dominicus Agustini de Macerata,* Dompnus *Antonius Bartholomei de Macerata,* dompnus *Lucas Dominici de Macerata*, et dompnus *Julianus Mactei de Macerata omnes Canonici Maceratenses.* Qui quidem domini Prepositus et Archidiaconus et prefati omnes Canonici Racanatenses et Maceratenses sic congregati et uniti capitulariter, tractantes et tractare volentes de novo pastore dictarum Ecclesie Sancti Flaviani et ecclesie sancti Juliani canonice unitarum unanimiter et concorditer, eorum nemine discordante, divina et Sancti Spiritus gratia inspirati, pari voce et animo *postulaverunt in Episcopum* et pastorem dictarum Episcopalium Ecclesiarum sancti Flaviani et Juliani Reverendum in Christo patrem et dominum *dominum Marinum Episcopum Aprutinum* virum bone vite et conversationis, moribus et scientia predotatum, et omni idoneitate decoratum, dicentes pariter et unanimiter simul et unusquisque eorum indifferenter et publice in capitulo antedicto: Postulo in Episcopum et pastorem dictarum Episcopalium ecclesiarum Sancti Flaviani et Sancti Juliani atque nostrum Reverendum in Christo patrem et Dominum Dominum Marinum Episcopum Aprutinum omni modo, via, jure, et forma quibus melius dici et fieri potest, non propterea recedendo a postulatione facta

de dicto Domino Marino in pastorem predictum per Canonicos Racanatenses, ut patet manu mei Notarii infrascripti, nisi quatenus necesse fuerit et sit pro validatione presentis postulationis ut supra patet facte omni modo, via, jure, et forma quibus melius dici potest et debet.

Actum Racanati in Sacristia dicte ecclesie Sancti Flaviani posita in quarterio Sancti Flaviani juxta dictam ecclesiam, res dicte ecclesie, et alios fines, presentibus dompno Angelo Bartoli de Fulgineo, dompno Venantio Cicchi de Teramo, et dompno Bertrambo Petri de Monteulmi presbiteris testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LXV.

Archiv. secret. Recanat.

1418. 6. Julii.

Martinus Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Populo civitatis et diocesis Racanatensis salutem et apostolicam benedictionem. Romani Pontificis quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiis pretulit universis plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cujuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis ac comode, prout personarum locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis, presertim Romane Ecclesie immediate subjectis pastor accedat ydoneus et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet ac ecclesiis ipsis votive prosperitatis afferat incrementa. Dudum siquidem in nostri Apostolatus primordiis per nos fide dignorum relatibus intellecto, quod *Racanatensis et Maceratensis Ecclesie* invicem canonice unite eidem Romane Ecclesie immediate subjecte, quibus bone memorie *Angelus* Racanatensis et Maceratensis Episcopus dum viveret presidebat, ex eo vacaverant et vacabant tunc, quod bone memorie *Angelus tunc Gregorius XII* in sua obedientia, *de qua partes ille tunc erant,* nuncupatus prefatum Angelum Episcopum a vinculo, quo eisdem unitis Ecclesiis, quibus tunc preerat, tenebatur, de sue potestatis plenitudine absolvens eum in Sancte Romane Ecclesie Cardinalem assumpserat, et easdem unitas ecclesias ipsi Cardinali per eum quoad viveret regendas et gubernandas concesserat in commendam. Cum itaque idem Cardinalis hujusmodi commenda durante extra Romanam Curiam diem clausisset extremum, et propterea dicte unite ecclesie adhuc ut prefertur vacare noscerentur, Nos cupientes eisdem unitis ecclesiis utilem et idoneam per Apostolice Sedis providentiam preesse personam, provisionem ipsarum unitarum ecclesiarum ordinationi et dispo-

sitioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsarum unitarum ecclesiarum celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuerat sive poterat reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipse unite ecclesie longioris vacationis exponerentur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad Venerabilem fratrem nostrum *Marinum* Racanatensem ac Maceratensem tunc Aprutinum Episcopum consideratis grandium virtutum donis quibus personam suam prout fide dignorum testimonio accepimus divina gratia insignivit, et quod idem Marinus Episcopus, qui regimini Aprutine Ecclesie hactenus laudabiliter prefuit, dictas unitas ecclesias sciret et posset auctore domino utiliter regere et feliciter gubernare, convertimus oculos nostre mentis, Intendentes itaque tam dictis unitis ecclesiis quam earum gregi dominico salubriter providere, prefatum Marinum Episcopum a vinculo, quo eidem Aprutine ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de ipsorum fratrum consilio et Apostolice Potestatis plenitudine absolventes, eum ad dictas unitas ecclesias auctoritate apostolica transtulimus, ipsumque illis prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem dictarum unitarum ecclesiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque ei tribuendo licentiam ad easdem unitas ecclesias transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino, actus suos prefate unite ecclesie per ipsius Marini Episcopi industrie et circumspectionis studium fructuosum regerentur utiliter, et prospere dirigerentur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus susciperent incrementa. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente, vobis nichilominus per Apostolica scripta mandantes, quatinus eundem Marinum Episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, ac debita honorificentia prosequentes ipsius salubribus monitis et mandatis humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, et vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis. Datum Gebennis II. Non. julii Pontificatus nostri anno primo.

R.ta gratis

B. de Monte.

LXVI.

Protocol. Ser Jacobi M. Petrutii f.° 93. t.°

1429. 20. Nov.

Quisti sono li pacti infra *Johanni de Carnago* fameglio de Illustrissimo Segnore Messer lu Duca de Milano, et mastro Aliguccio de Ancona pictore supra l'ornamento de la cappella per lui fia depincta, como stai de socto, cio è per prezo di fiorini cinquanta d'oro a le spese del dicto mastro Aliuccio.

Inprima che el pingha Madonna sancta Maria con lo figlolo suo in gremio secondo l'usanza con lu mantello de azzurro fino ultramarino facto ad malta virde pretio de ducati dui in oro per qualunqua uncia con frigi d'oro larghezza de un deto facta ad lettera per li perfili del dicto mantello con la veste de sopto de brochato d'oro con le diademe d'oro fino in tucto relevato.

Item *sancto josep* con mantello de colore morello fino, con diadema et perfili del mantello, d'oro fino, con frigi larghi como se contene de sopra, cum cassetta et coppa presentata.

Item *el primo mago* vestito de verde adzurro fino brochato d'oro fino ad velluto relevato supra tucta la veste con diadema relevata corona in terra relevato, bagillaro, speroni, et centura d'oro fino in tutto relevato.

Item *lu secondo magho* vestito de cenabrio brochato d'oro in modo regali como se contente nel primo magho, con la corona in testa relevata.

Item *el terzo magho* vestito de azurro ultramarino fino como sara madonna Sancta Maria, cum ornamenti regali, como stai de sopra, cum centura grossa de oro fino lavorata et larga de quattro dita, cum una banda, overo colunna d'oro fino relevato, et cum le altre cose che se contene de sopra in tucto.

Item *tre cavaleri* vestiti ad similitudine de tre magi ornati ad modo de cavalieri in tucto relevati como se contiene de sopra.

Item *quattro famigli ad cavallo* alcuni vistiti d'azzurro fino ultramarino, et alcuni con capucci del dicto azzurro, et alcune selle de li dicti cavalli del dicto azzurro con fornimenti relevati, et con altri animali et ulcelli, che bisogna per ornamento et magnificentia de quilli tre Ri, et con colori fini, como ad compimento denota la storia, con movimenti boni, et admiratione nello apparere de la stella, et faccia la stella relevata.

Item *li cavalli de li magi* et de cavalieri siano forniti de fornimenti relevati ad modo reale et cavallaria.

Item *el presepe con l'asino et bove* in modo et forma como se convene.

Item che *lo campo da figurare sopra* sia in tutto d'oro fino, relevato de gesso, ad pennello, omne modo et forma, per li quali quella opera se mantenga in perpetuo in sua bona perfectione con frigio circa questo capitulo, con alcuni propheti, et fogli et fiori ligati et umbrati de azzurro fino, terracci con giardini de verde azurro fino, et che le figure siano in forma comuna del naturale, et ad malta verde, secundo sera possibile.

Ego Jacobus Magistri Petrutii etc.

LXVII.

In Archiv. Civit. Recanat.

1431. 3. Maji.

Magnificis viris . . . . . Prioribus, consilio, et communi Civitatis Rachanaten. amicis nostris carissimis.

Magnifici viri amici nostri carissimi post salutem, et animum ad grata paratum. Novisse fortasse jam potuit Magnificentia Vestra, Sanctissimum D. N. Dominum Eugenium divina providentia papam quartum me licet indignum ad Ecclesie vestre Rachanatensis Episcopatum et regimen assumpsisse, ad cujus sane gubernaculum et administrationem residentie causa libenter accessissem, tamen nonnullis ad Sanctissimi D. N. et Romane Ecclesie statum pertinentibus negotiis, que mihi ab eodem continuo injunguntur detentus impresentiarum accedere posse non video. Mitto tamen Venerabiles viros D. Venantium, et presbyterum Laurentium Capellanum et confessorem meum ad Episcopatus possessionem nanciscendam, ac Secretarium meum Ser Bectum ad providendum necessariis. Hinc ad modicos dies Vicarium meum mittam, cujus probitate et scientia arbitror clerum et populum ex bono ejus regimine et vite exemplis non parum consolari debere. Quamobrem eandem Ecclesiam vobis quanta valeo intentione recommendo, quatenus debita eidem obsequia prestantes tam ipsi ecclesie quam dictis supra in omnibus que ad utilitatem et augmentationem dicte ecclesie pertinent, faveatis et assistatis. Ego vero quamprimum ab eodem domino nostro impetrare licentiam potero quod instantius procurabo ad residentiam faciendam, libenter accedam. Datum Rome die 3.ª Maji 1431.

Johannes de Vitellensibus de Corneto Episcopus Rachanatensis etc.

LXVIII.

1432. 22. Junii.

Johannes Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Racanatensis et Maceratensis pro Sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Eugenio divina providentia papa Quarto et sacrosancta Romana ecclesia

gentium armorum ecclesie Commissarius, ac provinciarum Marchie Anconitane, Masse trabarie et presidatus farfensis etc. Gubernator generalis.

Prudentibus et discretis viris Massariis, populo et communi Terre *Montalti* diocesis Forisemproniensis salutem in domino . . . . . .

. . . . . .

Etsi omnis provincie nobis commisse populos beneficiis quoad possumus libenter afficimus, eos tamen, quos ecclesiastico regimini ut verius dicamus ecclesiastice libertati insuetos esse videmus, uberioris gratie donis honestare intendimus, ut et seve tirannidis faucibus sese ereptos, et ad pie matris ecclesie gremium adductos geminata letitia gratulentur. Cum itaque vos, qui annis fere centum ab suavi ecclesie jugo prorsus devii tiramnidi colla prebuistis, nuper vi potius expugnati quam suasionibus et consilio adducti ad veram et immediatam ecclesie obedientiam deveneritis, ut clementissimum patrem, summum pontificem, felicibus cujus auspiciis et mandato ad hanc prosperitatis gratiam cohacti estis, non tantum vincere et victis parcere, sed erga subjectos ultroneum benefactorem esse sentiatis, ex auctoritate nobis per suam Sanctitatem, approbante Reverendissimorum dominorum Cardinalium collegio per bullas Apostolicas, quarum exempla apud optimas quasque Marchie civitates transumpta apparent, in hac parte concessa, infrascriptarum gratie, exemptionis, immunitatisque privilegium vobis duximus concedendum.

Primo quidem, licet tiramnis et ecclesie rebellibus obedientes contra ecclesiam in presenti guerra arma sumpseritis, et nedum requisiti ad obedientiam Sanctissimi domini nostri faciliter redire, sed castra portis admoveri, et machinarum bombardarumque oppugnationes per multos dies experiri volueritis, omnem vobis errati penam remittentes, Vos pro fidelibus et S. D. Nostri ac sancte Romane ecclesie servitoribus acceptamus.

Secundo, quia post factum recognita culpa, civitatem Forosempronii publice, et nonnullos cives ipsius privatim hujusce obstinationis vestre contra ecclesiam auctores fuisse dicitis, a quibus damna semper et injurias vobis inferri consuetum esse dicitis, supplicantes, ut tanquam a maligno trunco vos futurum palmitem fructuosum abscidamus, vestris supplicationibus annuentes concedimus, volumus, et mandamus terram vestram a comitatu et jurisdictione civitatis Forisempronii sequestratam et penitus divisam in posterum esse, ut illi nullatenus in futurum obedire teneamini.

Tertio. ut justitia vestro cum majori commodo vobis ministretur Capitaneum vobis dari volumus, qui usque ad quantitatem ducatorum quinque cognoscere possit. In majoribus vero summis et criminalibus quibuscunque Vicarium *Mondavii*, qui pro tempore fuerit, volumus esse vestrum judicem ordinarium et competentem, Vobis insuper concedentes, ut da-

mnorum datorum statuta et ordines, quoscumque volueritis, faciatis, quorum cognitio ad Capitaneum supradictum spectare debeat. Pene vero medietas camere apostolice et alia medietas communi vestro applicari debeat.

Quarto. in causis quibuscumque tam in civilibus supra numerum pretaxatum quam criminalibus statuta, ordinationes, et decreta Vicariatus Mondavii apud vos servari volumus, secundum que cause predicte in omnibus et per omnia debeant agitari, tractari, et debito fine terminari.

Quinto. Quia nobis supplicastis ut in causis vestris civilibus et criminalibus nulla cogeremini solvere capita solidorum, ne illorum metu pauperes a judiciis abstineant, vobis circa hanc partem concedimus, quicquid ceteris Vicariatus Mondavii terris et populis concessum esse comperietis.

Sexto. Considerantes damna, que dudum sub tiramnorum rabie perpessi estis, et accessionem illis factam ex proxima castrorum ecclesie obsidione ut aliquantisper hoc novo ecclesie aditu respirare possitis, vos ab omni factione reali et personali ac ab omni solutione quomodolibet publice fienda pro termino et spatio duorum annorum exemptos reddimus et immunes.

Septimo ut in ceteris quemadmodum et jurisdictione Vicariatui Mundavii aggregati sitis, solutiones vestras tallearum et impositionum quarumcumque per vos fiendas post finitum biennium suprascriptum prout faciunt ceteri Vicariatum incolentes, a vobis fieri declaramus.

Octavo. Ne solutionum quas supra diximus pro vos finito biennio fiendarum contradictio aliqua implicetur, vos pro quibuscumque possessionibus vestris in alieno territorio ecclesie Romane immediate subjecto existentibus solutiones vestras juxta morem Vicariatus quemadmodum pro ceteris facietis, quas in curte Montalti habetis, debere facere declaramus.

Nono. ut in omnem eventum cum terris . . . . Romane ecclesie immediate subjectis sine errore aliquo conversari possitis, in mercantiarum usu, pass . . . . is . . . . . ac ceterarum rerum extractis vos cum ceteris Vicariatu . . . . pariter tractari ab omnibus volumus et mandamus.

Decimo. Salis quantitatem vobis necessariam de terris Romane Ecclesie pro pretio hominibus Vicariatus dari sollito, videlicet salmam librarum trecentarum pro Anconitanis viginti quatuor vel pro eo pluri aut pauciori pretio, quo supradictis de Vicariatu vendetur, vobis dari volumus et mandamus.

Undecimo. Si temporibus retroactis Vicarios vel occupatores Civitatis *Forisempronii* aut ipsius civitatis communitatem vel particulares aliquas personas communitati vestre aut particulari alicui persone aliquam donationem, alienationem, aut concessionem aliqualiter fecisse constabit, ea omnia rata et firma esse ac perpetuo inviolabiliter observari debere volumus et mandamus.

Has autem concessiones, immunitates et exemptiones omni modo, via, jure, et forma, quibus ex auctoritate gubernationis nostre specialiter in hac parte nobis concessa melius et efficacius possumus damus, et concedimus, et impartimur. Mandantes eas ab omnibus ad quos spectat et in futurum spectabit inviolabiliter observari. In quorum fidem et testimonium presentes fieri, et nostri magni sigilli, quo in similibus utimur, jussimus appensione muniri. Datum in Castro *Refortiati* die XXII. junii M. CCCC. XXXII. pontificatus S. D. N. Eugenii anno secundo.

Blondus Forliviensis.

Adest sigillum cereum dimidiatum.

LXIX.

1435. 31. Octobr.

Eugenius Pontifex IV.

Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Transtulimus per hos dies Venerabilem fratrem Thomam qui erat Traguriensis Episcopus ad Ecclesiam Racanatensem et Maceratensem. Quare cum per annos circiter XXX. continuos nobis domesticus et semper carus fuerit, ideoque illum ab omnibus et praesertim a nostris bene et favorabiliter tractari cupiamus, devotioni vestre mandamus ut possessione Episcopatus sibi aut suis quos ad id mittere deliberabit e vestigio consignata, illius honorem utilitatemque omnimode curetis facere. Nam cum vir prudens et perhumanus sit, quem tamen persona et moribus dudum novistis, quando in provincia illa gubernator fuit, vestre illi Civitati et singulis vestrum benefacere et honorem afferre: inprimisque Ecclesie jura tueri et amplificare sciet, poterit, et volet. Datum Florentie apud Sanctam Mariam Novellam sub anulo nostro secreto. Die ultima Octobris M. CCCC. XXXV. Pontificatus nostri anno quinto. Blondus.

LXX.

Ex apographo.

1436. 12. Septembris.

In nomine domini Amen. Anno a Nativitate Salvatoris Domini nostri Jesu Christi 1436. pontificatus SS. in Christo patris et domini, domini nostri Domini Eugenii divina providentia Pape quarti, indictione XV. et die XII. mensis Septembris. Ad laudem et gloriam et honorem omnipotentis Dei et Apostolorum Petri et Pauli defensorum hujus Almae Urbis, honoremque perpetuum ac aeternam memoriam invictissimi Domini Domini Joannis de Vitelleschis dignissimi Sacrosanctae Romanae Ecclesiae . . . . . Patriarchae Alexandrini, Archiepiscopi Florentini, ac Sedis Apostolicae

Legati per nonnullas Italiae partes, sub cujus forti brachio militiaque armorum Deus omnipotens Urbem ipsam Romam a populantibus et *causam contra imminuentibus* liberavit: Congregatis et coadunatis insimul et ad invicem in domibus solitae residentiae Magnificorum Dominorum Conservatorum Camerae Almae Urbis apud Capitolium et Aracoeli situatis, Magnificis viris Laurentio Petri omnia sancti detto alias de Mancino de regione Trivii, Petro de Novellis de regione Montium, et Martino Nardi Spetiarii de regione Pontis de presenti Conservatoribus camerae almae Urbis, ac spectabilibus viris Jacobo Joannis Cecchi Antonii de regione Pontis capite regionis Pontis ac Priore Caputregionum Urbis Joanne Antonio Pauli Stephani Capite regionis Montium, Francisco Petri de Nigris Capite regionis Trivii, Sanctino Cole Beat. Marie Capite regionis Columnae, Antonio Joannis Thomae Capite regionis Campi Martii, Antonio Cardelli Capite regionis Parionis, Petro Rubeo Capite regionis Arenae, Cola de Muscianis Capite regionis S. Eustachii, Angelo Colae Angeli capite regionis Pineae, Stephano Basti Capite regionis Campitelli, Nardo Stephanelli Sezzoli capite regionis S. Angeli, Petrino Antonii Renzii Guidolini capite regionis Ripae, et Stephano de Maccaronis capite regionis Transtiberis; Necnon nobililibus viris Laurentio Martino de Lenis de regione Pineae, Ludovico Blancae de regione S. Angeli, Jacobello Cecchini de regione Campi Martii, Lello de Hyello de regione S. Angeli, Joanne D. Georgii de Pierleonibus de regione Ripae, Joanne Antonio Pauli Nari de regione Campi Martis, Andrea de Zuccaris de regione Transtiberis, Cola Philippi Borannis de regione Transtiberis, Honofrio Cencii, Joanne Paulo de Capizucchis de regione Campitelli, Thoma Cecchi Jannottae de Papazzurris de regione Trivii, Juliano Cecchi Puzii, Nutio Carazone de regione Transtiberis, Cecco de Buccamiesis de regione Trivii, Paulutio de Subactariis de regione Pineae, Cincio de Frajapanibus de regione Transtiberis, Petro Paulo de Mattiolis de Buccabellis de regione Campitelli, Antonio Petri D. Angeli de regione Parionis, Joanne Petro de Clodiis de regione Pontis, Cecco de Buccabellis de regione Campitelli, Laurentio D. Pauli Zoti de regione Columnae, Jacobo Rentio de Buccapadulibus de regione S. Angeli, Petro Paulutii de regione Parionis, Bartholomaeo Joncarosi de regione Ripae, Sabba Petri de Buccapassis de regione Campi Martis, Petrutio Novioli de Capiteferreo *Joderinis* de regione Campitelli, Lello Magdaleno de regione Pineae, Laurentio Petri Nisii de regione Transtiberis, Lello Petrutii, Joannis Pauli Rosae, Laurentio Civera, Cecco Antonii Juliani de Roggeriis de regione Pineae, Antonio Jacobelli Nisii de regione S. Angeli, Mario Diotajuti de regione Trivii, Simeone Joannis Faciae de regione Pontis, Antonio Signoretti, Francisco Jacobi de regione Parionis, Petro

Sanctae crucis, Clodio Laurentii Statis de regione Arenae, Joanne Jacobo Jacobelli Notario de regione Arenae, Antonio Lelli Pictoris de regione Pontis, Jacobo Parlante de regione Pontis, Petro de Lopello de regione Montis, Petro Macarii de Advocatis de regione Campi Martis, Paulino Antonii Passii de regione Campi Martis, Laurentio Colae Sabbae de regione Trivii, Joanne Pierleonis de regione Ripae, Petro Juliani de regione Columnae, Joanne Antonio de Tuscanensis, Nicolao Ruscanellis, Cola Ciffoli de regione Columnae, Paulutio de Astallis de regione S. Eustachii, Joanne Raini Vezzoli de regione S. Eustachii, Jacobo Andreottae de Andreottinis de regione Arenulae, Jacobo dello Scutto de regione Arenulae, Antonio Gratiani de Pierleonibus de regione S. Angeli, Lello de Nigris de regione S. Eustachii, Paulutio Martini Parentis de regione Ripae. Laurentio Magistri Antonii de regione Transtiberis, Luca Pauli Lelli Petrutii de regione Campitelli, Cecco Bonellae de regione S. Eustachii, quorum major pars sunt officiales consilii nominati CCCXXVI. per singulas regiones Urbis; reliqui vero sunt cives ad haec supradictae Optimates Urbis ad Consilia adhiberi soliti, ac toto consilio Urbis praefatae universum Romanum populum repraesentantibus juxta statuta et solitos mores Urbis ad infrascripta proponenda et eorum consilio ac deliberatione expedienda. — Ut virtutum merita digno honore clarescant, propositoque per supradictum Laurentium alias de Mancino primum Conservatorem, quid agendum foret circa mirabilia gesta invictisssimi Patriarchae jamdicti in praesentia et per acta mei Pauli Antonelli dictorum DD. Conservatorum Notarii publici, praefatus Magnificus vir Laurentius alias de Mancini Conservator praedictus pro ipsis collegis et toto conservatoratus officio laudabilia ac fortia gesta praefati Domini Patriarchae mirabilesque operationes pro Urbis liberatione narrando singulariter commendavit, adjunctis in summa pro iis de perpetuo per Romanos gratias singulis annis certo die agi, deinde ipsius Patriarchae virtutes dignis honoribus quibusque posteris in publico notas fieri, et omni tempore memorabilia ejus facta clare fieri modis, quibus Consilium Urbis deliberaret. Deinde juxta praeposita Jacobellus Joannis Cecchi Antonii Romanus civis ac Caputregio regionis Pontis, et Prior Capitumregionum Urbis pro toto officio Caputregionatus e medio . . . . . consurgens sic expositus est: — Quod nobis suspendet stupendus Pater Dominus Joannes de Vitelleschis Patriarcha Alexandrinus Archiepiscopus Florentinus praememoratus Comitem Antonium de Pontedera sciro simillimum humanum sanguinem sedulo sitientem, aeterna . . . . . et Laurentium de Columna Romanum agrum natura quadam *addidisse* populantem omnibus prope regionibus effugando omnes novimus, quibus mare, terra, Urbs quoque minime tuta erat, ob

quae nobis ad victum omnis deficiebat annona (Jam famis inedia ingruebat) jam ejus munere summa in pace omnium frugum ubertate fruentes Omnipotenti Deo gratias, ac ipsi Patriarchae Alexandrino *tertio a Romulo Romanae Urbis Parenti:* Sint Cornetani omnes de cetero illius meritis Romani cives, omnique praerogativa, privilegio, honore, immunitate, dignitate fungantur, ac si originarii cives essent: — In S. Ludovici festo, quo idem Parens eundem Laurentium Romani populi hostem deterrimum Praeneste fugavit, ad Aracoeli calix unus argenteus annis singulis deferatur expensis Camerae dictae Urbis ad illius instar, qui ad S. Angelum in foro Piscium defertur die 8.ª Maji, qua Viterbii ferro occubuit Franciscus de Vico Romanae Urbis praefectus: sic eo debere fieri consulo, ut cui infinita . . . . debemus salutem, beneficiorum memores aliqua tribuamus. — Subsequens Nobilis vir Laurentius Martinus de Lenis commendatis . . . . . gestis et virtutibus dicti domini Patriarchae Domini praefati priores commendavit et confirmavit, et eodem die . . . . . domini Patriarchae omnes laudes omnesque honores impendi debere consuluit: — et post eum honorandus vir Ludovicus Blancae praedicta consilia pluribus rationibus commendavit: — et deinde Nobilis vir Jacobellus Cecchini eidem domini Patriarchae consuluit etiam et debere memorabilem in Urbe nomen tanquam Parentem et Urbis Romanae praesidio singulari, et nedum quae dicta sunt, sed eum ampliora mereri. — Ad quae confirmanda et rationibus approbanda surrexit vir nobilis Lellus Ybelli, et singulorum civium mentes confirmavit, quibus et aliis supranominatis praedicta consulentibus auditis, supradicti singuli cives unanimiter una voce firmaverunt consilia supradicta, addentes insuper cum plausu alacri et clamore: *Vivat invictissimus Dominus Patriarcha:* ipsis omnibus mandantibus mihi Notario infrascripto, ut praedicta et sempiternam famam tanti viri scribam, et publicem omnibus illum scire desiderantibus.

Acta, gesta, et deliberata fuere supradicta omnia et singula per DD. Conservatores et alios nobiles cives Romanos universum populum Romanum in dicto consilio repraesentantes in domibus praefatis, praesentibus et intelligentibus his testibus, videlicet Francisco de Muscianis scriba de regione S. Eustachii, Petro Paulo Mabonis et Laurentio Canella contestabilibus, fidelibus DD. Conservatorum ad praedicta vocatis et rogatis sub impressione sigillorum utriusque officii.

Adnotata fuerunt praedicta ad aeternam rei memoriam in libris officii mei Notarii infrascripti, ac subscripta, publicata, in hanc publicam formam redacta, meoque solito signo signata, licet per alium mihi fidum scripta, me aliis occupato negotiis, per me Paulum Antonelli de Superanis civem Romanum publicum Dei gratia Imperiali auctoritate Notarium, et nunc No-

tarium DD. Conservatorum de praedictis rogatum ac de mandato et commissione dictorum DD. Conservatorum et totius consilii.

Ego Tancredus Facii D. Tancredi Cornetanus civis Romanus Imperiali, et almae Urbis praefatae auctoritate Notarius publicus, judex ordinarius, et nunc Cancellarius communitatis et populi civitatis Corneti per ipsum D. Patriarcham deputatus praedictam bullam recopiavi et de suo originali redactam meo apposito consueto signo . . . . . .

L. S.

LXXI.

Archiv. DD. Altaristarum Eccl. Cathedr. Recanat. N.° 84.

1440. 23. Octobr.

In dei nomine amen. Anno D.[i] ejusdem circumcisionis 1440. Indictione tertia tempore sanctissimi in Christo patris et Domini nostri D. Eugenii divina providentia Papae IV die vero 23. mensis octobris. Cum hoc sit, quod temporibus, quibus in Racanaten. et Maceraten. ecclesiis fuit Episcopus Reverendissimus in Christo pater et dominus dñus *Thomas* nunc ut asseritur, Episcopus Feltrensis et Bellunensis ac Comes, inter alia quae donata et oblata fuerunt in Ecclesia Beatae Mariae Virginis de Laureto de Racanato spectantia et pertinentia ad jus et proprietatem ipsius domini Thomae, utpote suo tempore, quo fuit Episcopus praedictus ut praemittitur, oblata, reperiantur ad praesens nomine ipsius dñi Thomae per Dpñum *Andream Jacobi de Adria* habitatorem in domibus dictae Ecclesiae detenta et conservata res et bona ac jocalia infrascripta, *videlicet, inprimis* unus Calix argenteus deauratus cum sex exmaltis in pede cum Christo passo, Beata Maria Virgine cum filio, Beato Francisco et tribus armis de Carraria ponderis cum sua patena unius librae, et quatuor unciarum.

Item unus calix argenteus deauratus cum sex exmaltis in pomulo cum armis aureis et azurris, duabus armis albis cum azurro, et una alia arma cum azurro, ponderis cum sua patena unius librae novem unciarum, et septem octavarum cum dimidia.

Item unus calix argenteus deauratus ad formam antiquam cum sex exmaltis in pomulo, in quatuor sunt quatuor capita sanctorum, in duobus aliis exmaltis sunt arma *de Ursinis* et *de Cossa* pro dimidia, ponderis cum sua patena novem unciarum et quinque octavarum.

Item unus calix argenteus deauratus cum tribus exmaltis in pede, in quibus sunt tres litterae, scilicet F. P. V. ponderis cum sua patena undecim unciarum cum dimidia.

Item unus calix argenteus deauratus cum sex exmaltis in pomulo, et tribus in pede et in uno exmalto pomuli est *merix* alba in campo azurro ponderis cum sua patena unius librae et unius unciae cum dimidia.

Item unus calix argenteus deauratus cum sex exmaltis in pomulo, in quibus sunt scultae quinque litterae dicentes *Petro*, et una Rosa in alio, in pede vero sunt tres exmalti, in quorum quolibet est littera P. azzurra cum cruce superposita, ponderis cum sua patena duarum librarum.

Item unus calix argenteus deauratus cum sex exmaltis in pomulo et quatuor rosettis in pede de argenteo perfilato, et exmalto azurro et viride ponderis cum sua patena unciarum septem et octavarum quatuor cum dimidia.

Item unus calix argenteus deauratus quem fecit fieri domina *Julia de Aquaviva* in 1438 sic est exmaltum in summitate pedis cum arma exmaltata de *Caldoriis* et de *Aquaviva* pro medietate, ponderis cum sua patena unius librae, unius unciae et sex octavarum.

Item unus calix argenteus deauratus cum sex exmaltis in pomulo, in quibus sunt sex capita, in pede vero nullum habet exmaltum nec sculturam, sed in orificio superiori est aliquantulum fractum ponderis cum sua patena unius librae, duarum unciarum, et duarum octavarum.

Item unus calix argenteus deauratus cum pede ad modum antiquum et cum tribus exmaltis in ipso pede cum capitibus tribus in eis et sex aliis capitibus exmaltis in pomulo sine patena, ponderis sex unciarum et duarum octavarum.

Item unum thuribulum argenteum non auratum totum laboratum ad castellitti, ponderis duarum librarum et unciarum decem.

Item Civitas Ferrariensis argentea, quam obtulit magnificus dominus *Nicolaus Marchio Extensis,* ponderis cum tabula grossa inferiori librarum decem et septem cum dimidia.

Item unum Caput argenteum oblatum per *Caesarem de Martinengo* ponderis duarum librarum et unciarum quatuor.

Item una imago plana viri argentea oblata per eundem Dñum Marchionem, ponderis novem unciarum.

Item unum caput argenteum oblatum per Nobilem dominam filiam domini *Michaelis de Cotignola,* ponderis unius librae.

Item dimidia gamba argentei, ponderis unius librae et trium unciarum.

Ideo Venerabilis in Christo pater et dominus dñus *Petrus* Episcopus *Pettenensis* praefati Reverendissimi domini Thomae Generalis Vicarius et procurator, et procuratorio nomine ipsius domini Thomae habens ad infrascripta speciale mandatum, ut asseruit, scriptum et publicatum manu *Ser Thebaldi de Manfredis* filii quondam Ser *Antonii* civis et habitatoris Venetiarum Notarii publici, ut asseruit, inde rogati, volens et intendens dictus Vicarius et procurator dicto nomine, quantum in eo est, Episcopalem Ecclesiam Sancti Flaviani de Recanato et ipsiùs Cappellanos et Altaristas honorare et muneribus decorare sponte et ex certa scientia dicto

nomine dedit, tradidit, et donavit jure proprio in perpetuum pure, libere, simpliciter, absolute, et irrevocabiliter inter vivos honorabilibus viris domino *Andreae Jacobi* et domino *Antonio Petri* Presbyteris Recanatensibus syndicis, et procuratoribus, et Syndicatorio et procuratorio nomine totius Universitatis et Congregationis Altaristarum et Cappellanorum praefatae Ecclesiae Episcopalis, et Altare majus dictae Ecclesiae officiantium praesentibus stipulantibus et recipientibus nominibus quibus supra, et mihi Thomae Notario infrascripto uti personae publicae stipulanti et recipienti vice et nomine dictae totius universitatis et Congregationis dictorum Altaristarum et Cappellanorum omnia et singula supradicta, bona, res, ac jocalia, ad habendum, tenendum, et possidendum, et quidquid dictis universitati, et Congregationi Altaristarum et Cappellanorum praedictorum deinceps placuerit, perpetuo faciendum, salvis tamen conditionibus et reservationibus infrascriptis, videlicet, quod omnia et singula supradicta, ut praemittitur, data atque donata ab ista hora in antea sint et esse debeant et voluit dictorum Altaristarum et Cappellanorum ad honorem et augmentum divini cultus et administrationem dominici Sacramenti, necnon ad perpetuum decorem Sacristiae et Ecclesiae Episcopalis praefatae, nec ullo unquam tempore possint nec debeant per dictos Altaristas et Cappellanos vel alterum ipsorum vel ipsorum successores vendi, donari, pignorari, distrahi seu modo aliquo alienari vel in alium tranferri quoquomodo etc. Quam quidem donationem praefatus dominus Vicarius et procurator fecit et exposuit cum conditionibus supradictis ex multis muneribus, servitiis, obsequiis et honoribus, ut asseruit, per praefatum Dñum Thomam et se ejus nomine habitis et receptis a praefatis Altaristis, Cappellanis, Ecclesia, et regimine dictae civitatis Racanati, renuntians etc.

Actum in domibus beatae Virginis Mariae de Laureto videlicet in camera ubi ad praesens habitat dictus dompnus Andreas sitis in territorio Racaneti in contrata Laureti juxta Ecclesiam praefatae beatae Mariae Virginis, res dictae Ecclesiae a duobus lateribus, viam communis Racan. et alia latera, praesentibus dompno Petro Giorgii de Teramo, dompno Salvato Philippi Erici de Ripatetis provinciae Abrutii et Ciccho Francisci Cicchi de Monteulmi commorantibus ad praesens in domibus praelibatae Ecclesiae testibus ad praedicta habitis, vocatis et rogatis.

Et ego Thomas Ser Gabrielis de Rac. publicus etc.

LXXII.

Ex Archivo Almae Domus Lauretanae.

1441. 7. Octob.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Hospitalium pauperum, et aliarum ad illa recurrentium miserabilium personarum necessitatibus, prout nostro incumbit officio, opportune consulere cupientes illa, quae in eorum processerunt favorem, libenter amplectimur, eisque, cum a nobis petitur, suppressis quibusque litigiorum fomentis Apostolicae confirmationis robur adhibemus. Dudum siquidem pro parte dilecti filii Andreae Jacobi de Adria Rectoris Hospitalis pauperum loci de Laureto Racanatensis Dioecesis nobis exposito, quod fructus, redditus, et proventus dicti Hospitalis, olim per ipsum Andream tam ex patrimonialibus quam aliis per eum ex ipsius industria aquisitis bonis, piis etiam Christifidelium largitionibus sibi suffragantibus, de Episcopi Racanatensis tunc existentis licentia juxta Ecclesiam beatae Mariae ejusdem loci, et in ejus solo fundati ad multitudinem pauperum ad dictum Hospitale confluentium minime sufficiebant, et ex eo quod locus ipse a civitate Racanatensi per tria milliaria distans parum populosus existebat, pauperibus pro tempore in illo degentibus nulla aut modica charitatis impendia offerebantur, ac subjuncto, quod si ruralis Ecclesia beatae Mariae de Monteurso ad mensam Abbatialem Monasterii beatae Mariae de Claravalle Ordinis Sancti Benedicti Camerinensis dioecesis pertinens, ac non procul ab eodem Hospitali sita, quae ruinae exposita noscebatur, eidem Hospitali perpetuo uniretur, exinde pauperes Christi magnum susciperent in suis necessitatibus relevamen, nos tunc dilecto filio Archidiacono Ecclesiae Maceratensis, ejus proprio nomine non expresso, aliis nostris dedimus litteris in mandatis, ut se super praemissis diligenter informaret, et si illa per informationem hujusmodi vera esse reperiret, praefatae Ecclesiae de Monteurso, juriumque, et pertinentiarum praedictorum possessionem libere appraehendere, et licitè retinere posset, illiusque fructus, redditus, et proventus recipere, ac in ipsius Hospitalis pauperum usus convertere Dioecesani loci, et Abbatis ipsius Monasterii, vel cujuscumque alterius licentia super hoc minime requisita. Voluimus autem, quod si et postquam unionem, incorporationem, et annexionem hujusmodi, effectum sortiri contingeret, Rector pro tempore existens Hospitalis praefati duos florenos auri de Camera dicto Abbati pro tempore existenti in festo Assumptionis ejusdem Beatae Mariae annis singulis perpetuo persolvere teneretur, prout in dictis litteris plenius continetur: Et licet, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Andreae petitio continebat, dilectus filius Dominicus Archidiaconus Ecclesiae Maceratensis

ad earumdem executionem litterarum procedens, illarum forma per eum debite servata, praefatam Ecclesiam de Monteurso cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Hospitali univerit, incorporaverit, et annexuerit, ipseque Andreas unionis, annexionis, et incorporationis hujusmodi obtentu possessionem ejusdem Ecclesiae de Monteurso appraehenderit, ac illam tenuerit, et possederit, prout etiam tenet, et possidet de praesenti, praefatumque censum duorum florenorum eidem Abbati annis singulis post unionem, incorporationem, et annexionem hujusmodi exsolvendum obtulerit, idem tamen Abbas censum ipsum recipere recusavit, propter quod ipse Andreas hujusmodi censum penes certum fidelem et discretum nonnullis per eum factis protestationibus deposuit. Consequenter autem cum dilectus filius Antonius Abbas dicti Monasterii eandem Ecclesiam Grangìam esse, necnon possessiones, quas dictus Andreas unionis, annexionis, et incorporationis hujusmodi vigore appraehendit, ad mensam Abbatialem dicti Monasterii pertinere, et propterea unionem, incorporationem, et annexionem antedictas juribus non subsistere assereret, nos causam, quam dictus Abbas contra ipsum Andream super unione, annexione, et incorporatione, nec non Ecclesia, seu Grangìa, et possessionibus hujusmodi movere volebat, non obstante quod de sui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta, et apud eam tractanda, et finienda non esset, dilecto filio Magistro Simoni de Valle Cappellano nostro et causarum Palatii Apostolici Auditori ad instantiam ipsius Abbatis audiendam commisimus, et fine debito terminandam, qui in ea ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas dicitur processisse; Et quia ipse Andreas, sicut eadem petitio subjungebat, ad defendendam, et prosequendam causam hujusmodi contra dictum Abbatem non est potens, nec bona pro substentatione Hospitalis, et pauperum deputata in litium prosecutionem applicare velle, pro parte sua nobis fuit humiliter supplicatum, ut litem ipsam prorsus extinguere, nec non unioni, incorporationi, et annexioni praefatis pro earum subsistentia firmioris Apostolicae confirmationis robur adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui unionem, annexionem, et incorporationem hujusmodi pro statu prospero dicti Hospitalis, ac illius et pauperum praedictorum substentatione juxta praedictarum litterarum tenorem ex certa nostra scientia fieri voluimus, de praemissis fide dignorum relatione informati, ipsius Andreae in hac parte supplicationibus inclinati, causam hujusmodi, illius statum praesentibus pro expresso habentes, ad nos harum serie advocamus, ac litem ipsam prorsus extinguimus, factasque, ut praemittitur, per eundem Archidiaconum unionem, annexionem, et incorporationem Auctoritate Apostolica ratificamus, et approbamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, omnes et singulos, si qui in eis intervenerint, defectus eadem

auctoritate supplentes; Et nihilominus dictam Ecclesiam de Monteurso, etiam Grangia, aut alio quocumque nomine nuncupetur, cum omnibus juribus et pertinentiis suis praefato Hospitali alias juxta dictarum nostrarum litterarum tenore ex abundanti cautela Auctoritate praedicta unimus, annectimus, et incorporamus, ita quod liceat eidem Andreae, et aliis qui fuerint pro tempore ejusdem Hospitalis Rectoribus universos fructus, redditus, et proventus Ecclesiae, sive Grangiae hujusmodi percipere, exigere, et levare, ac in suos, nec non Hospitalis et pauperum hujusmodi usus convertere libere et licite, nullius alterius super hoc licentia requisita. Volumus autem, quod Andreas praedictus, seu Rector pro tempore existens hujusmodi censum praefatum annis singulis in dicto Festo solvere teneatur.— Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quae in praefatis litteris non obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscumque; Et insuper ex tunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae advocationis, extinctionis, ratificationis, approbationis, communitionis, suppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentiae anno Incarnationis Dominicae M. CCCC. XLI. Nonis Octobris Pontificatus nostri Anno undecimo.

LXXIII.

E Protocollo minori Ser Jacobi M. Petrutii An. 1446.

1446. 28. Jan.

Die XXVIII. mensis Januarii. Actum Racanati in domibus episcopalibus sitis in Q. S. Flaviani justa res Episcopatus undique et viam communis, presentibus Donno Marino Augustini, et Johanne Angelelli de Racanato testibus etc.

Convocato, et coadunato Venerabili capitulo Canonicorum Ecclesiae Racanatensis ad sonum campanelle ut est moris de mandato Reveren. in Christo patris et domini domini N. Episcopi Racanaten. et Macerat. in supradicto loco, in quo quidem loco interfuerunt prefatus Dñus Episcopus, qui duas voces habet in dicto capitulo, et infrascripti Domini Canonici, videlicet Dominus *Johannes Nicolai* decretorum Doctor, Donnus *Antonius Filippi* suo nomine et vocem habens donni *Antonii lippi* et donni *Jacobi Magistri Johannis* canonicorum dicti donni Antonii absentis a dicta civitate et ejus territorio, et dicti donni Jacobi absentis propter ejus infirmitatem, Donnus *Jacobus Vannis* suo proprio nomine et vocem habens donni *Andreae Bindi* Canonici dicte Ecclesie, donnus *Antonius Stefani*, donnus *Dominicus Antonii*, donnus

Venantius Cicchi, donnus *Antonius Jacobi*, et donnus *Jacobus Antonii*, qui omnes faciunt totum capitulum etc. intendentes facere, statuere, et ordinare infrascripta que cedunt ad utilitatem et commodum ac profectum Cathedralis Ecclesie Sancti Viti, et dicti Capituli. Idcirco prefatus Dominus Episcopus et dicti domini Canonici ad invicem consentientes et unanimi voluntate ac nemine discordante infrascriptas constitutiones et ordinamenta fecerunt et ediderunt in hac forma et in hunc modum, videlicet:

Inprimis quidem statuerunt et ordinaverunt, quod de cetero optatio possit et valeat fieri per canonicos isto modo et hoc ordine videlicet, quod dum vacabit aliqua prebenda in dicto capitulo antiquior canonicus videlicet primus in ordine eorum valeat et possit optare et acceptare, si eam velit, et ipsa prebenda sit sua. Si autem optare noluerit, tunc qui est post ipsum in ordine eorum, possit illam acceptare prebendam, si voluerit, et sic successive de aliis canonicis in ordine suo primo renuente alter gradatim succedens acceptare valeat. Si autem plures vacarent prebende, simili modo et ordine primus et antiquior Canonicus quam velit earum acceptare valeat, et sic eo renuente alius post eum et successive secundo renuente dicta acceptatio cadat in proximum subseqnentem Canonicum, ita tamen quod in hujusmodi acceptationibus antiquior Canonicus prebendatus aliis preferatur, et sic qui antiquior Canonicus existit in jure potior in hujusmodi acceptationibus esse intelligatur.

Item constituerunt et ordinaverunt, quod Canonici supernumerarii de cetero habeant locum in capitulo et stallum in coro, sed non debeant habere vocem in capitulo nec interesse in actibus capitularibus neque portare mutiam sicuti numerarii portant.

Item constituerunt et ordinaverunt, quod dictum capitulum et Canonici de cetero non valeant neque debeant inposterum presenti die transacta aliquem Canonicum supernumerarium eligere quousque et donec numerus Canonicorum Capituli predicti reducatur ad octo Canonicos sicuti antiquitus solebant esse, et sic specialiter istam constitutionem juraverunt in eorum animam more religiosorum super pectus eorum observare et non contravenire nec eam revocare.

Insuper addiderunt constitutioni alias per eos condite, quod nullus recipiatur in Canonicum nisi propter notoriam paupertatem Cathedralis Ecclesie Sancti Viti primo solverit decem ducatos pro ornamentis Sacristie dicte Ecclesie videlicet in paramentis et aliis ornamentis ejusdem, ut ibi latius continetur, quod dicta solutio decem ducatorum fieri debeat per Canonicum qui habet seu recipit prebendam et non aliter.

Quas vero constitutiones et additionem prefati dominus Episcopus fecerunt, ordinaverunt et constituerunt ac eas observare juraverunt etc. omni modo etc.

LXXIV.

E bastardello Ser Hieronymi Ser Jacobi An. 1446. p. 42. t.°

1446. 20. April.

Die vigesimo mensis Aprilis. Actum Racanati in camera solite residentie Reverendissimi in Christo patris et domini Domini Nicolai Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopi Racanaten. et Maceraten. sita in domibus episcopalibus positis in quarterio S. Flaviani, juxta res dicti Episcopatus et alios fines, presentibus Donno Filippo Joannis de sancto Justo habitatore Racanati et Marino Augustini de Racanato testibus etc. Cum ita sit, quod prope et immediate ad sacratissimam ecclesiam Sancte Marie de Laureto sint aliqua altaria, inter que est unum altare erectum et non est dotatum nec sub vocabulo alicujus sancti vel sanctorum nominatum. Ideo prelibatus dominus Episcopus volens et intendens ibi esse unum altare dotatum ob reverentiam omnipotentis Dei et domini nostri Jesu Christi et beatissime Matris ejus virginis Marie, quod intitulavit sub nomine *sancti Jeronimi* presbiteri et Doctoris sancte matris ecclesie et ipsum dotare intendens sibi dedit, tradidit et donavit unam vineam que olim fuit Antonii de burgo positam in territorio Racanati in contrata. . . . . .

Item Ser Filippus de Astis nepos prefati domini Episcopi contemplatione et amore ipsius domini Episcopi causa donationis in dotem dicti altaris dedit et donavit unam petiam terre XII. modiolorum positum in plano Muscioni in territorio Racanat. juxta silvam Communis.

Post que immediate prefatus dominus Episcopus de dicto altari investivit donnum *Ciccum Francisci Maxii de Monteulmi* presbiterum et habitatorem in dicta ecclesia etc., qui promisit suo corporali juramento esse devotus, obediens et fidelis etc. et bona dicti altaris non alienare etc., ac omni edomada dicere et celebrare tres missas pro salute anime et corporis prefati domini Episcopi ipso vivente, et post ejus mortem pro ipsius anima etc. intendens etiam dictum altare dotare ulterius domino concedente etc.

LXXV.

Protocoll. min. Ser Jacobi M. Petrutii A. 1446.

1446. 26. Decemb.

Die XXVI. mensis Decembris. Actum Racanati in domibus Episcopalibus sitis in Quarterio S. Flaviani justa res Episcopatus undique et viam communis, presentibus donno Marino Augustini de Racanato, et Torre de Turribus de Ispania habitatore Racanati testibus etc.

Reverendus in Christo pater et Dominus Dominus N. Episcopus Racanatensis et Maceratensis cupiens augumentum divinorum officiorum in

sua Racanatensi Ecclesia ampliare, ac omnium et singulorum Altaristarum dicte Ecclesie unionem pacem et quietem ut possint recta et mutua caritate domino famulari, et ad invicem pacifice vivere, et ut omnis dissensionum et controversiarum materia auferatur et extirpetur ab eis etc. constitutiones edidit ipsos Altaristas concernentes hujusmodi sub tenore, mandans ipsas inviolabiliter observari, et in hunc modum, videlicet: assistentibus infrascriptis Altaristis etc.

Tenor autem dictarum constitutionum talis est, videlicet: Inprimis statuimus et ordinamus, quod de officiis pro defunctis in Ecclesia nostra Sancti Flaviani fiendis de introitu majoris altaris nullus valeat aliquid emolumenti percipere nisi Altarista sit dicte Ecclesie, exceptis diaconis et subdiaconis, qui servientes possint habere partem, licet dicte Ecclesie Altariste non existant justa formam ab antiqua carta traditam et hactenus observatam.

Insuper statuimus et ordinamus, quod nullus etiam Altarista valeat aliquod emolumentum de dictis officiis percipere, nisi ipse personaliter et non per substitutum ipsi altari serviverit, sicuti alii Altariste servire solent et servire tenentur ad minus per sex menses ante incepta officia, et hoc continue et in forma qua alii Altariste serviunt sine substituto vel substitutis, hoc tamen excepto, quod si aliquis Altarista officiare incipiens, et infra dictos sex menses continuandos ad dicta officia perficienda egrotaverit in totum seu in partem dicti temporis, cujus egritudinis vigore, rationabiliter non possit egrotus ipse officiare infra ipsum semestre vel tempore officiorum de quo stetur juramento suo quod tunc et eo casu volumus, quod talis egrotus habere debeat partem suam, ac si personaliter officiaret, et illud idem volumus ac mandamus observari de Altaristis illis qui sunt in servitio antelibate Ecclesie occupati.

Amplius statuimus et ordinamus, quod nullus Altarista dicte Ecclesie valeat aliquem substitutum loco sui ad officiandum in dicta Ecclesia ponere seu deputare, nisi prius petita et obtenta licentia a nobis seu nostro Vicario.

Item statuimus et ordinamus, quod de oblationibus, que distribuende veniunt in die generalis Commemorationis defunctorum de mense novembris detur aliquid omnibus Altaristis presbiteris diaconis et subdiaconis ac clericis omnibus dicte ecclesie servientibus juxta et secundum gradus et tempus servientium secundum ordinem nostrum vel Vicarii nostri.

Item statuimus et ordinamus, quod omnes Altariste prefate nostre ecclesie in diebus dominicis ac in festis principalibus debeant interesse Misse, que sollempniter cantatur ad altare majus in coro eorum, et hoc sub pena quinque solidorum pro quolibet contrafaciente et vice qualibet de facto applican-

dorum fabrice dicte ecclesie, nec in hoc admittatur excusatio alicujus nisi medio juramento, et quod visa fuerit rationabilis nobis seu nostro Vicario.

Item statuimus et ordinamus, quod omnes Altariste predicti, qui sunt in choro tempore quo divinum officium cantatur vel celebratur, debeant stare honeste in locis eorum, nec verbo roctu vel signo se inhoneste habeant sub pena quinque solidorum pro quolibet et qualibet vice applicandorum de facto supradicte fabrice et plus secundum nostrum vel nostri Vicarii arbitrium, prout visum fuerit res gravior esse quam requirat sacerdotum seu clericorum honestas.

Lecte et autenticate fuerunt ac condite et stabilite supradicte Constitutiones per prefatum dominum Episcopum, presentibus, audientibus, et assistentibus in camera solite residentie prefati domini Episcopi infrascriptis Venerabilibus viris Altaristis dicte Ecclesie, videlicet *donno Venantio Cicchi, Domino Johanne Nicolai, donno Antonio Filippi,* donno *Antonio Jacobi Dominici,* donno *Jacobo Antonii Acquatitii,* donno *Antonello Cole,* donno *Francisco Magistri Angeli,* donno *Jacobo Antonii* de Montelupone, et donno *Nardo Petri,* absentibus tamen solum Donno *Antonio Stefani,* donno *Jacobo Magistri Johannis,* et donno *Andrea Jacobi,* qui accesserant ad ecclesiam Sancti Joannis ad canendas Vesperas, presentibus tamen supradictis testibus etc.

LXXVI.

Protocoll. min. Ser Jacobi M. Petrutii A. 1447.

1447. 23. Maji.

Die XXIII. mensis Maji. Actum Racanati in domibus Episcopalibus sitis in Quarterio S. Flaviani justa res episcopatus undique et viam communis presentibus donno Andrea Jacobi de Racanato, Bartholomeo Ser Filippi de Astis de Forlivio et ser Johanne ser jacobi de Cannario cive Racanatensi testibus etc. — Cum parte *Magnificorum dominorum Priorum* populi *communis civitatis Racanati* fuerit scriptum Venerabili decretorum Doctori *Domino Nicolao de Plebanis de Racanato Preposito Ecclesie Sancti Viti* de Racanato, et petitum ut deberet se contentari, quod in *ecclesia Sancte Marie de Varano* extra muros Racanatenses et in campo prope dictam ecclesiam deberet fabricari *locus fratrum minorum sancti Francisci de Observantia etc.* dictusque dominus Nicolaus occasione premissorum scripserit litteras manu propria ipsius Domini Nicolai sigillo suo sigillatas de sua voluntate circa predicta; hinc est, quod *citatis capitulo et canonicis dicte ecclesie Sancti Viti* mandato et commissione infrascripti Domini Episcopi per Antonium juratum nuntium Curie Episcopalis heri sero pro isto mane etc. et convenientibus in camera solite residentie

prefati domini Episcopi sita in supradictis domibus mandato et citatione predicta infrascriptis Canonicis, videlicet: *Donno Jacobo Vannis, Donno Antonio Stefani, Donno Dominico Antonii, donno Venantio Cicchi, donno Antonio Jacobi, donno Pero Petri,* cum plures non comparuerint etc. *Reverendus in Christo pater et dominus dominus N. dei et apostolice Sedis gratia Episcopus Racan. et Maceraten.* primo aperuit dictas litteras sigillatas, et demum alta et intelligibili voce legit litteras predictas quarum tenor infra sequitur, et est talis videlicet et primo a tergo ipsarum: Reverendissimo in Christo patri et domino domino N. dei et Apostolice Sedis — Episcopo Racan. et Macer. necnon Canonicis et capitulo dicte ecclesie Racan. patribus et dominis singularissimis. — Ad intra, videlicet . . Reverendissime in Christo pater, et domine, domine mi singularissime ceterique patres mei Canonici Racanatenses post filiales et debitas recommissiones. —

Hodie recepi literas Magnificorum dominorum Priorum nostre civitatis Racanatensis instantium et petentium ecclesiam Sancte Marie de Varano cum illo campo conticuo dicte ecclesie pro fabricando loco fratrum minorum Sancti Francisci de Observantia, pro quo prefati Magnifici domini Priores meum requirunt assensum. Ego rescribo prefatis Magnificis D. me de hoc plurimum contentari, et contristari, quod res non sit mei proprii patrimonii, quia libentius pro tali negotio assensissem et donassem si in decuplo esset majoris valoris quam sit. Et in hac re et omni alia simili vel majori Reverendissime Pater et domine, Paternitati vestre committo vices meas, in cujus rei testimonium presentem cedulam manu propria scripsi et sigillo meo signavi, quod satis est efficax testimonium absque alio mandato advisando eandem R. Paternitatem vestram me presto venturum personaliter ad vos cessante infirmitatis impedimento, quia aliud non posset me ulterius retinere, recommittens me meaque negotia E. vestre Reveren. Paternit., quam Altissimus exaltet et conservet ad vota. Ex Mantua XVII. Maji 1447.

E. Vestr. Rever. Paternit. et Dominationis
filius minimus et servitor
Nicolaus de Plebanis Prepositus Racanat.
Vicarius Episcopi Mantuani

Qua quidem littera lecta et intellecta per eos prefatus dominus Episcopus diligenter petiit ab eis, si et ipsi de predictis contentantur, quia et sua Reverendissima Paternitas de tanto bono opere summopere contentabatur. Qui vero Canonici bono et volenti animo responderunt unanimiter et concorditer, quod sic, quia largiente domino valde bonum opus erit pro toto populo Racanatensi quia non est in civitate Racanatensi aliquis ordo

observantie, et similiter concesserunt vices eorum dicto domino Episcopo ut predictam ecclesiam cum dicto campo conferat fratribus predictis: ut possint construere et hedificare locum predictum, et retinere in perpetuum omni modo etc. Mandans idem Dominus Episcopus ut de predictis plenum conficere debeam instrumentum etc.

LXXVII.

Ex bastardello Ser Hieronymi Ser Jacobi anni 1447. p. 30.

1447. 29. Maji.

Dicta die XXVIIII. mensis maji. Actum extra muros Recanaten. videlicet in quodam campo ecclesie *Sancte Marie de Varano* contiguo dicte ecclesie, et juxta res Antonii de Monte causario, res fraternitatis Sancte Lucie, viam communis et alios fines, presentibus Ser Bonjohanne Ser Claudii, Leonardo Bertutii alias Corazza, Joanne Ciampi, Francisco Cisci, et Ser Joanne Francisci omnibus de Racanato, et Ser Joanne Alleve de Sancto Genesio Cancellario dicti communis testibus etc. — Cum per felicem et sanctam recordationem et memoriam olim Eugenii Pape quarti fuerit concessum facultatem et potestatem Venerabili patri fratri *Joanni de Capestrano* ordinis fratrum minorum de Observantia professori, et Vicariis ordinis ejusdem quarumcunque provinciarum pro tempore existentibus sex loca ubicumque existentia cum ecclesiis, campanilibus, campanis, ortis, ortalitiis et aliis necessariis officinis fundandi, construendi, et edificari faciendi ac recipiendi et perpetuo retinendi, prout latius in bullis apostolicis inde confectis et insertis in mandato infrascripti fratris Christophori per Ser Venantium Joannis civem et Notarium Camertinum a me Notario infrascripto visis et lectis continetur, et cum idem Venerabilis pater frater *Joannes de Capestrano* ut dicitur Vicarius generalis prefati ordinis fratrum minorum de observantia in partibus Italie construi et capi facere intendens et cupiens autoritate apostolica prefatum locum prope civitatem Racanat. pro usu et habitatione dictorum fratrum minorum dicti ordinis de Observantia, et pro expeditione et perfectione predictorum personaliter adesse non valeret propter nonnullas graves occupationes ordinis predicti, eapropter constituerit et ordinaverit fratrem *Cristoforum Ser Andreae* de Racanato ejus commissarium actorem et factorem, ac . . . . et certum nuntium specialem ad capiendum prefatum locum prope dictam civitatem Racanat. qui appellatur *Mons acinus* vel alium ydoniorem et melius dispositum prope dictam civitatem Racanat. pro usu et habitatione fratrum prelibati ordinis cum potestate, auctoritate, et baylìa, juribus, jurisdictionibus, et clausulis in predictis bullis apostolicis contentis et expressis, prout latius de his constat publico instrumento scripto et

publicato manu supradicti Ser Venantii a me viso et lecto. Cumque dictus frater Christoforus dicto nomine de consensu et voluntate Reverendissimi in Christo patris et domini *domini N. Episcopi Racanat. et Maceraten. et Prepositi Sancti Viti et Capituli dicte ecclesie* acceperit, elegerit, et acceptaverit ecclesiam *sancte Marie de Varo* (sic) extra muros Racanatenses cum quodam campo contiguo ipsi ecclesie, supra posito et confinato pro usu et habitatione fratrum prelibati ordinis, prout latius asseruit apparere manu Ser Jacobi mei patris. Et cum intendat in dicto campo edificare et construere domos et alia necessaria pro dicto usu et habitatione idcircho constituti personaliter in dicto campo coram prefato domino Episcopo et me Notario et testibus supradictis prefatus frater Cristoforus dicto nomine et nomine et vice dicti ordinis, et *Jacobus Pieri, Gaspar Jacobi, Antonius Poloni, Perleopardus Peri, Perus jeronimi, Ser Nicolaus Vannis, Janperus jannini, et Gentilis Venantii* ut dicitur sindici et procuratores dicti ordinis fratrum minorum auctoritate et licentia dictarum bullarum, et cum licentia et auctoritate ac presentia prefati domini Episcopi ipsius campi ingressi fuerunt corporalem possessionem in ipso campo corporaliter intrando, et per eum ambulando, et de erbis ibidem existentibus colligendo, asserentes et protestantes se dictis nominibus ex nunc non tantum corpore sed etiam animo possidere omni meliori modo etc. deinde accesserunt ad dictam Ecclesiam et similiter intraverunt et acceperunt corporalem possessionem ejusdem in ipsam intrando, et per eam ambulando, et de oblationibus in majori altari dicte ecclesie existentibus videlicet denarios tres accipiendo asserentes et protestantes ut supra omni meliori modo, via, jure, causa, et forma quibus magis et melius fieri potest et debet.

LXXVIII.

Ex protocollo Testamentorum Ser Jacobi Magistri Petrutii fol.° 311.

1447. 17. Augusti.

In Dei nomine Amen.° Anno ejusdem a Circumcisione MCCCCXLVIJ. Indictione X.ª tempore D. N. D. Nicolai divina providentia Papae V die vero XVII. mensis Augusti. Venerabilis Pater D. Andreas Jacobi de Adria in domibus Almae et gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto de Racanato residens sanus per gratiam Jesu Christi mente, sensu, et corpore, timens divinum judicium, cum dies hominis breves sint, et defluant velut umbra et periculum mortis, et nolens decedere intestatus, ne de suis bonis aliqua discordia oriatur, de dictis suis bonis dispositionem per presens nuncupativum Testamentum sine scriptis in hunc modum facere procuravit, et fecit videlicet:

Inprimis quidem reliquit pro mortuorio et nomine testamenti secundum consuetudinem civitatis Racanati duos solidos denariorum. Item reliquit pro male ablatis incertis quinque sol. den. Item reliquit quod ejus funeralia fieri debeant secundum voluntatem infrascriptorum suorum fideicommissariorum. Item reliquit Presbyteris et Sacerdotibus residentibus in supradictis Almis Domibus Gloriosae Virginis ducatos duodecim monetae cum isto onere quod omni die post mortem ipsius usque ad annum completum sine aliqua intermissione unus ipsorum ad mutuam teneantur dicere unam missam pro anima praefati Testatoris, et in hoc eorum conscientiam gravavit. Aliis vero de familia dictae Domus continue tantum residentibus, et non ad tempus, reliquit pro benedictione duodecim duc. monetae aequaliter inter eos distribuendos, inter quos non computentur dicti Sacerdotes.

Item reliquit jure legati praedictae Ecclesiae almae semper Virginis unam possessionem cum domo, vinea, olivis, canneto, et aliis arboribus fructiferis positam in territorio Racanati in contrata S. Mariae praedictae juxta res Nicolai Ser Vannis, res Ecclesiae S. Dominici, res Marini Nicolai, res Ecclesiae Montis Ursi, viam, et alios fines. Item unam aliam possessionem cum vinea, campo, olivis, domo, et aliis arboribus fructiferis, quam idem testator emit a Ser Nicolao Vannis de Racanato, prout latius patet manu mei Notarii infrascripti positam in contrata cantacis juxta res haeredum Bartholi Andreae Aromatarii de Racanato, res dictae Ecclesiae Montis Ursi a duobus, et alios fines. Item unum campum cum canneto juxta dictam possessionem, quem dictus testator emisse asseruit a Priore Ecclesiae S. Mariae de Castronovo de Racanato, et similiter alium campum parvum, ubi sunt certi pedes olivarum, qui est juxta campum Montis Ursi, a pede et vinea Marci Aromatarii, et ab alio latere juxta campum Episcopatus, et alios fines, si qui sint eisdem rebus legatis veriores, ita quod integre intelligantur omnes possessiones praedictae cum ista conditione, quod supradictae possessiones omnes neque ipsarum altera nullo unquam tempore debeant vendi, alienari, permutari, neque in alium aliquo modo, titulo, seu causa transferri, et quod in perpetuum fructus ipsarum possessionum distribui debeant pro substentatione, et subsidio, ac gubernatione pauperum Jesu Christi confluentium ad hospitale dictae gloriosissimae Virginis et etiam ad domos dictae Ecclesiae S. Mariae, situm in villa dictae Ecclesiae, et quasi prope ipsam Ecclesiam, et quod cura, regimen, et coltivatio dictarum possessionum et emendarum per eum, ac ipsarum fructuum dispensatio in praedictos pauperes sit et esse debeat unius Sacerdotis eligendi per Reveren. Patrem et dominum dominum Episcopum Racanatensem, qui pro tempore erit, super qua electione ad hoc ut fiat de persona

fideli, idonea, et sufficienti ejus conscientiam honeravit, cui electo adiciatur unus socius de illis, qui continue serviunt dictae ecclesiae, eligendus tamen per Venerabile Capitulum Racanatense, sacerdos vel laicus ad voluntatem dicti Capituli. Qui sic electi teneantur anno quolibet eorum administrationis rationem reddere praefatis domino Episcopo et Capitulo bene et fideliter sine aliqua fraude et dato, quod inventi fuerint bene et fideliter gessisse et administrasse, et de gestis et administratis bonam rationem reddidisse, nihilominus sit in arbitrio praefati domini Episcopi et Capituli eos in hujusmodi administratione gubernio et dispensatione confirmare et reaffirmare, vel alios duos supradicto modo et ad praedicta deputare prout bonae conscientiae melius visum fuerit, et habere debeant quolibet anno pro eo salario et labore duc. sex monetae pro quolibet: Adjiciens insuper dictus testator, quod praedicti etiam curam gerere debeant similiter de aliis rebus et bonis ac possessionibus dicti hospitalis, tam praesentibus quam futuris, et fructus percipere et eos dispensare, et simili modo de eis rationem reddere in omnibus et per omnia, prout et sicut supra latius est expressum, et amplius volens et mandans quod praedicti deputandi, et eligendi, ut supra descriptum apparet, statim cum acceptaverint, teneantur jurare in manibus praefati domini Episcopi et Capituli praedicti, quod ipsi praedictam dispositionem ipsius testatoris observabunt et fideliter exequentur in omnibus et per omnia prout et sicut in praesenti testamento per eum est ordinatum et relictum integre, ac omni fraude semota, si Deus eos adjuvet et ad sancta Dei evangelia. Et si praefatus Dominus Episcopus qui pro tempore fuerit, seu alter, qui Rector aut Commendatarius cujuscumque dignitatis auctoritatis vel praeheminentiae fuerit, praestarent aliquod impedimentum circa praemissam distributionem, vel quod praedicta non sortirentur effectum, prout supra ordinata sunt, sive quod vellent dictas possessiones seu alteram ipsarum vendere vel earum aut alicujus ipsarum fructus percipere, vel eos fructus vendere, seu ad se applicare vel ad alium usum destinare, voluit et mandavit idem testator, dictas possessiones et ipsarum quamlibet et earum fructus, redditus et proventus ipso facto devenire ad Venerabilem Fraternitatem S. Luciae de Racanato, et quod Priores dictae Fraternitatis qui pro tempore erunt et eorum confratres tam per se quam per eorum syndicos teneantur supradictos fructus suprascripto modo dispensare inter pauperes praedictos, uti superius latius est expressum. Et insuper volens et mandans dictus testator, quod si contigerit ipsum in futuro emere alias quascumque res, possessiones et domos vel alia quaecumque immobilia, quod et ipsae res, domus, et possessiones et alia immobilia comprehenduntur et intelliguntur in supradicta specifica distributione in omnibus et per omnia juxta supradictae piae dispositionis seriem et tenorem.

Item reliquit Reverendo patri domino Episcopo Racanatensi pro omni sua canonica portione quae sibi obvenire posset de praedictis suae Paternitati, et de contentis in praesenti testamento ducatos XXIIII. monetae, pie rogans suam et suorum successorum paternitatem, quatenus meritis praefatae gloriosae Virginis Mariae, et etiam attentis gratis suae devotionis obsequiis, quae toto tempore vitae ipsius testatoris dictae ecclesiae impendit, et adhuc impendere non desinit, praesentem piam dispositionem nolint infringere, vel modo aliquo sive causa impedire, seu turbare, sed potius observare, augumentare et adimplere faciant, et studeant in omnibus et per omnia; Et si quod absit, contrarium facerent seu facere attentaverint ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc cassavit praesens legatum factum dicto Episcopo; quinimo voluit et mandavit supradicta omnia relicta devenire ipso facto ad supradictam fraternitatem pleno jure, omni modo etc.

Item reliquit donno Nardo Petri de Racanato ejus breviarium parvum.

Item reliquit donno Ciccho de Monte ulmi residenti in dictis almis domibus unum libellum sive liberculum ubi est officium Dominae, Crucis, et Mortuorum, et etiam psalmi penitentiales, et amplius si contingeret ipsum testatorem donec visserit, unum aliud breviarium emere quandocumque illud reliquid eidem donno Ciccho: sin autem, reliquit ei decem ducatos monetae pro uno breviario emendo pro ipso Donno Ciccho et ad ejus voluntatem post mortem dicti testatoris.

Item reliquit religioso viro fratri *Gabrieli* de Ancona Ordinis Minorum de Observantia quendam librum qui nuncupatur: *exameron*, et incipit: *cum igitur*, et finit: *cordibus quaerere*.

Item reliquit honestae dominae *Simonae* uxori olim *Colae* nepotis olim bonae memoriae Reverendi patris domini *Marini* olim Episcopi Racanatensis unum liberculum qui vulgariter dicitur: *vita christiana* et incipit: *conciessa cosa*.

Residuum vero suorum librorum infrascripti ejus fideicommissarii teneantur vendere et de eorum pretio satisfacere legata in praesenti testamento contenta, et superfluum, quod exinde restaret teneantur mittere in concimine praelibatae ecclesiae, secundum quod eorum bonae conscientiae videbitur.

Item voluit quod omnes quantitates pecuniarum relictae per ipsum in praesenti testamento sint et intelligantur ad rationem XL. bononenorum pro ducato.

Item reliquit et mandavit quod supradicti duo administratores teneantur continuo singulis annis omnes et singulos fructus recolligendos ex dictis possessionibus reponere et collocare in domibus habitationis supra-

dictae ecclesiae ubi familia dictae ecclesiae habitat in aliquo singulari loco ubi nil aliud reponatur. Casu autem quo id commode fieri non posset teneantur fideicommissarii et executores infrascripti ex bonis dicti testatoris et fructibus dictarum possessionum in aliquo loco infra dictas habitationes congruo hedificari facere unam mansionem specialem pro conservatione et manutentione fructuum praedictorum. Voluit insuper, quod fructus qui collecti reperientur tempore mortis dicti testatoris devenire debeant ad manus praedictorum fideicommissariorum qui illos vendere teneantur, et de pretio satisfacere legata in praesenti testamento contenta.

Item reliquit fratri Jacobo de Castro Durantis residenti in dictis domibus pro uno vestito ducatos sex monetae.

Ad quae omnia et singula solvenda exequenda et distribuenda Venerabilem Decretorum Doctorem Dominum Antonium Priorem S. Mariae Pontis Potentiae de Racanato, Venerabiles Priores dictae Fraternitatis S. Luciae, et supradictos fratrem Jacobum et donnum Cicchum suos fideicommissarios et executores reliquit et fecit, qui teneantur infra terminum unius anni a die mortis dicti testatoris praedicta satisfacere, et quibus reliquit pro eorum labore duos ducatos pro quolibet eorum. Et si praedicta non satisfecerint in dicto termino, noluit eos habere dictos duos ducatos, et praedicta satisfieri debeant per dictam Fraternitatem. Et si aliquis ipsorum absens fuerit, nihilominus praesentes satisfacere valeant.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus juribus et actionibus praesentibus et futuris ubicumque sunt et inveniri possunt, supradictos fideicommissarios suos heredes instituit et fecit, ad dispensandum amore Dei et pro anima sua et specialiter in concimine et reparatione praelibatae Ecclesiae S. Mariae de Laureto et suarum domorum, prout eorum bonae conscientiae melius visum fuerit et placebit. Et casu quo ipsi fideicommissarii molestarentur vel impedirentur in hujusmodi executione et pia dispositione per supra nominatos, vel alium quemcunque, quod tunc reliquit una cum praedictis fideicommissariis Venerabiles Priores Fraternitatis Mercatorum de Racanato ad omnia in praesenti testamento contenta, qui teneantur etiam defensare una cum praedictis expensis bonorum et haereditatis praefati testatoris.

Et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit jure testamenti. Quod si jure testamenti non valeret etc. cassans, irritans etc.

Actum Racanati in domibus Episcopalibus sitis in Q. S. Fl. juxta res Episcopatus undique et viam communis, praesentibus donno Antonello Colae, donno Andrea Jacobi sacrista, donno Marino Augustini omnibus de Racanato, Ser Johanne ser Jacobi de Cannario cive Racanatensi, Antonio

Straderii de Monteulmi diacono habitatore Racanati, fratre Jacobo Francisci, et Magistro Janne Johannis de Alamannia habitatore Racan. testibus etc.

Et ego Jacobus M. Petrutii de Rac. publicus etc.

LXXIX.

1450. 18. April.

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei
ad futuram rei memoriam.

Piis Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Racanatensis votis per que presertim fidelium devotio vigeat et augeatur, ac ecclesiis decus et honor succedant libenter annuimus atque favoribus prosequimur opportunis. — Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Episcopi petitio continebat, sepe contingat ab ipsis fidelibus ex *ingenti, quam ad ecclesiam beate Marie de Loreto Racanatensis diocesis gerunt devotione,* eidem ecclesie nonnulla aurea et argentea jocalia lapides pretiosos, calices, planetas, et alia ornamenta, ex quibus dicta ecclesia plurimum decoratur, pia largitione erogari et donari ac quamplurima jam erogata et donata sint, que dictus Episcopus ob augmentum devotionis hujusmodi ac ad decorem et ornatum dicte ecclesie ibidem perpetuo conservari desideraret; sed quia Episcopi Racanatenses pro tempore existentes donata et erogata hujusmodi in suos ac suorum usus convertere et alias de illis pro libito voluntatis disponere possunt, idem Nicolaus Episcopus veretur, ne ejus successores, qui pro tempore fuerint Racanatenses Episcopi, jocalia, lapides, et alia ornamenta predicta forsan alienare presumerent, unde fidelium devotio hujusmodi satis diminueretur. Quare pro parte dicti Nicolai Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati presenti perpetuo valitura Constitutione statuimus et ordinamus, quod ipsis Episcopis Racanatensibus pro tempore existentibus, qui deinceps jocalia, lapides, calices, planetas, et ornamenta hujusmodi que ad decorem dicte ecclesie cedunt usque in presentem diem eidem ecclesie donata et erogata post dicti Episcopi obitum alienare distrahere, vel in alios usus convertere et deputare presumerent, ingressus Ecclesie interdictus existat, et si dicti Episcopi pro tempore infra unius mensis spatium a die alienationis hujusmodi computandi alienata vel distracta hujusmodi non recuperaverint illo elapso regimine et administratione Ecclesie Racanatensis cui tunc prefuerint eo ipso privati existant. Et nichilominus dilectis filiis Communitati Civitatis nostre Racanatensis harum serie committimus et mandamus, ut jocalia et alia donata et erogata predicta ne alienentur justis quibus melius poterunt modis provideant et alienatorum recuperationi assistant, et recupe-

rata defendant ac tueantur. Non obstantibus dicte Ecclesie Racanatensis juramento confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis statuti, commissionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quartodecimo Kalendas Maji Pontificatus nostri anno quarto.

A. de Veneriis
A. de Nepe Io. de Cremonensibus.

LXXX.

Ex protocollo Jacobi M. Petrutii Notar. Recanat. signato D. f.° 698. sive recentioris numerationis f.° 12.

1452. 25. Januar.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione M. CCCC. LII. indictione XV., tempore domini nostri domini Nicolai divina providentia Pape quinti die vero 25. mensis Januarii. Quoniam ad presens, uti asseritur, vacare dignoscatur *Ecclesia Sanctorum Pauli et Juliani de terra Cinguli* Auximane diocesis sine cura ex eo quia dominus *Fortunatus domini Constantii de Macerata* qui Rector illius erat seu commendatarius, Episcopus creatus est: idcircho Reverend. in Christo pater et dominus, dñus N. Episcopus Racanat. et Maceratensis et *Johannes quondam Muccioni* de dicta terra Cinguli suo proprio et principali nomine, et ut procurator et procuratoris nomine providorum virorum *Galerani Francisci bartoli*, et *Stephani johannis* de Cingulo priorum confratrum et *fraternitatis sancte Marie*, et Ser *Gabriel Britii* et *Benedictus Jacobi Eustachii* de dicta terra priores confratrum et *fraternitatis Sancti Antonii* de eadem terra habens a dictis constituentibus plenum mandatum ad hanc electionem fiendam in personam infrascripti Leopardi, prout late patet publico et autentico instrumento scripto et publicato manu *Ser Petri Nicolai* de terra predicta sub die XXIII. instantis mensis Januarii a me Notario infrascripto . . . . . patroni dicte ecclesie, et ad quos jus patronatus et eligendi et presentandi Rectorem in dicta Ecclesia pleno jure noscitur pertinere ex pia dispositione olim *Stefani Villani Superantii* de dicta terra fundatoris et dotatoris dicte ecclesie, prout de predictis latius constare dicitur manu olim Ser *Bartholomei Sanctis* de dicta terra, qui considerantes, quod propter longam vacationem Rectoris dicte ec-

clesie, ipsa ecclesia posset pati aliquod detrimentum, et volentes, ut tenentur, eorum diligentiam facere, et considerantes vitam honestam laudabilesque mores honesti viri *Leopardi Federici clerici de Auximo,* invocata prius Spiritus sancti gratia omnes predicti nominibus predictis, parique voto et unanimi voluntate eligerunt, nominaverunt, et deputaverunt supradictum Leopardum absentem tanquam presentem in Rectorem et beneficiatum dicte ecclesie et ad curam et regimen ipsius in spiritualibus et temporalibus presentandum tamen coram diocesano et per ipsum confirmandum et instituendum, juxta sanctorum patrum instituta, ad laudem et reverentiam omnipotentis Dei et ejus gloriosissime pie matris semper Virginis Marie et Sanctorum Pauli et Juliani, et totius celestis curie triumphantis omni meliori modo etc.

Actum Racanati in domibus episcopalibus sitis, in quarterio sancti Flaviani, justa res episcopatus undique, presentibus Venerabili Decretorum Doctore Dño Johanne Nicolai Canonico Racanatensi, et Constantino Petri de Racanato testibus ad predicta vocatis et rogatis.

LXXXI.

E registro Ser Ludovici Ser Andreae Notarii Racanat. f.° 26.

1453. 18. Martii.

In Dei nomine amen. Anno domini ab ejusdem nativitate millesimo CCCCLIII. indictione prima tempore sanctissimi in Christo patris et domini domini Nicolai divina providentia Papae quinti die vero XVIII. mensis Martii. Nos N(*icolaus*) Episcopus et Capitulum Racanatense statuimus et ordinamus, quod quandocumque in futurum contingat aliquem in Canonicum recipi a predictis Episcopo et Capitulo in Canonicum et confratrem, sive recipiatur auctoritate apostolica sive legati aut ordinaria auctoritate quocunque modo, non obstante, quod per Episcopum et Capitulum assignetur dicto in Canonicum locus in capitulo et stallum in choro non volumus quod post illam primam receptionem admittatur in capitulo ad eligendum vel consulendum vel actus aliquos capitulares faciendum, nec etiam ad aliquos honores, ad quos communiter Canonici recipiuntur tam in ecclesiis quam extra ecclesias, ubicumque sint vel conveniant cum clericis vel laicis, nisi postquam fuerint de numero duodecim Canonicorum praebendatorum numerariorum, seu qui tantum in illo numero reputantur numerarii, et quia omnes alios ultra dictos XII. reputamus supernumerarios, et tenemus eos non habere plenum jus. Ideo nec volumus eos habere executionem, sed illam volumus suspendi per hoc praesens statutum et decretum ac nostram ordinationem, quousque ille vel illi dicti Canonici supernumerarii fiant numerarii de numero duodecim praedictorum Cano-

nicorum, quod statutum, decretum seu ordinationem volumus extendi solum ad recipiendos in futurum, non autem ad receptos.

Item licet alias fuerit statutum et ordinatum, quod quilibet qui recipitur in Canonicum et confratrem, debeat solvere decem ducatos auri convertendos pro paramentis Ecclesiae pro officio divino sacristiae ecclesiae S. Viti Racanatensis, nunc vero pro majori et meliori dicti statuti declaratione et ne aliqua ambiguitas in futurum super hoc oriri possit, statuimus, decernimus et ordinamus, quod in futurum quandocumque contingat aliquem recipi in Canonicum et confratrem nostrum quacumque auctoritate recipiatur, et sive recipiatur ut numerarius idest: de numero XII. Canonicorum praebendatorum numerariorum, sive recipiatur ut supernumerarius id est: supra numero illo XII. praedictorum, volumus, quod praedictus recipiendus in Canonicum, antequam recipiatur, sufficienter caveat de solvendo decem ducatos auri pro paramentis dictae sacristiae sancti Viti, ut est dictum, et an sit sufficiens cavere vel non, in hoc stetur judicio Episcopi et Capituli. Cum autem receptus fuerit in Canonicum a praedictis Episcopo et Capitulo, volumus quod realiter solvat pro paramentis dictae Sacristiae: quod statutum, decretum, et ordinationem volumus per in futurum habere locum.

Item ne in futurum oriatur aliqua difficultas vel dubium de modo recipiendi aliquem in Canonicum et confratrem quacumque auctoritate recipiatur, praesenti statuto decreto et ordinatione duximus declarandum, quod si quis quacumque auctoritate fultus impetraverit litteras apostolicas vel alias ab illo qui super hoc potestatem habeat, habueritque processum super dictis litteris, ut moris est, quas litteras et processus presentaverit domino Episcopo et Capitulo, receptoque termino ad respondendum etiam ut moris est, tunc in die termini dati et assignati ad respondendum veniente coram Episcopo et Capitulo ipso principali vel suo procuratore pro eo et petente illum de quo agitur admitti ad recipiendum in Canonicum et confratrem: si domino Episcopo et Capitulo videatur, quod ille sit admittendus et non repellendus, tunc servetur iste ordo, qui sequitur: *primo* ex parte Capituli respondeatur, quod visis bullis processu et juribus suis contentantur justitia mediante ipsum recipere in Canonicum et confratrem, et antequam recipiatur prius requiratur recipiendus aut ejus procurator quod juret statuta, constitutiones, ordinationes, et consuetudines seu decreta capituli. *secundo* illis juratis requiratur, quod det fidejussorem sufficientem de solvendis decem ducatis auri pro paramentis sacristiae sancti Viti, ut supra est dictum: quo dato recipiatur ab Episcopo et Capitulo in Canonicum et confratrem primo ad osculum pacis, *(deinde)* assignetur sibi locus in Capitulo et stallum in choro, et istum ordinem volumus, statuimus, et ordinamus in futurum servari debere in quacumque receptione Canonici.

Item statuimus et ordinamus, quod si contingat in futurum esse aliquem Canonicum Racanatensem, qui non sit in sacris ordinibus constitutus, quod ille non admittatur ad aliquos actus capitulares etiam dato quod sit de numero duodecim Canonicorum numerariorum praebendatorum, quousque fuerit in sacro ordine constitutus, verumtamen ad alios honores recipiatur, si sit de numero dictorum duodecim numerariorum.

Item statutum alias factum de optatione praebendarum volumus remanere firmum et ratum semper.

Actum Racanati in camera praefati domini Episcopi sita in domibus Episcopalibus positis in Q. S. Flaviani juxta res dictae ecclesiae undique, vias communis et alios fines praesentibus Ser Johanne Jacobi de Cannario, et Bartolomeo Antonii de Monterubiano familiaribus praefati domini Episcopi testibus ad praedicta vocatis et rogatis.

LXXXII.

Ser Jacob. M. Petrutii f.° 746.

1453. 2. Junii

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione 1453. Indictione prima, tempore D. N. D. Nicolai divina providentia Papae quinti die vero secunda mensis Junii. — Cum Reverendissimus in Christo pater et dominus, Dñus Nicolaus Dei et Apostolice Sedis gratia dignissimus Episcopus Racanaten. et Maceraten. ad augumentationem divini officii et pro salute anime sue jam uti notorium est et per facti evidentiam clarissime constat, ordinaverit et instituerit in ejus episcopali ecclesia S. Flaviani de Racanato missas et singulas horas diurnas pariter et nocturnas per Altaristas et beneficiatos in dicta ecclesia dici et celebrari debere, et quotidianas distributiones dispensandas inter prefatos Altaristas et beneficiatos tandictas horas celebrantes et dicentes, et dictis horis singulis interessentes tum et non aliter de fructibus rerum et bonorum tam in presenti donatione expressatorum quam aliorum per prefatum D. Episcopum emptorum prout ipsius D. Episcopi Reverendissima Paternitas suo tempore ample ordinabit et disponet. Quam ob causam prefatus D. Episcopus sponte et ex certa scientia titulo donationis irrevocabiliter inter vivos dedit, tradidit et donavit jure proprio et in perpetuum pure libere simpliciter et absolute honestis viris Donno Nardo Petri, et Donno Bartholomeo Antonii presbiteris Racanatensibus sindicis et procuratoribus supradictorum Altaristarum prout de instrumento eorum Sindicatus late constat manu mei Notarii infrascripti de quo plenam fidem facio, et nobis Notariis infrasciptis ut publicis personis presentibus stipulantibus et recipientibus vice et nomine dictorum Altaristarum et altaris supradicti *unam domum* positam in civitate Ra-

canati in quarterio S. Flaviani juxta res heredum olim Antonii ser Vannis, res heredum olim Francisci Lemboli de Racanato, viam et Carbonariam Communis et alios fines, et quam prefatus Reverendissimus Dominus Episcopus emit hisce diebus proxime preteritis a Sindico fratrum ecclesie et conventus S. Francisci de Racanato heredis substituti pro dimidia olim domine Antonie uxoris olim Ser Johannis de Staffulo de Racanato, et a Sindico fraternitatis S. Lucie de Racanato heredis pro alia dimidia dicte quondam Antonie, prout late patet manu mei Notarii infrascripti. Item unam domum magnam cum domunculis a parte anteriori et posteriori cum spatio, orto et aliis pertinentiis suis positam in dicto quarterio juxta res Thome Vannis Bertoni de Racanato, res fraternitatis predicte, res Joannis Antonii de Montazano de Racanato, vias communis et alios fines. Ac insuper unam aliam domum cum domunculis a parte posteriori ubi olim fuerunt friscoli sive pistrina positam in quarterio predicto juxta res Thomae Sanctis Aromatarii, viam magnam communis, et viam vicinalem et carbonariam communis et alios fines quas domos antelibatus Dominus Episcopus emit a Domina Tarsia filia olim et herede Vannis cisci marini de Racanato, prout patet manu mei Notarii infrascripti sub die XII. mensis Maji ad habendum, tenendum et possidendum et quidquid dictis Altaristis deinceps salva conditione infrascripta placuerit perpetuo faciendum cum accessibus et egressibus suis usque in vias publicas, et cum omnibus et singulis, que dicte domus et domuncule et quelibet earum habent supra se vel infra seu intra se in integrum et que infra predictos continentur confines vel alios si qui forent eisdem veriores, et cum omni jure et actione usu seu requisitione ipsis Altaristis ex dictis rebus donatis seu pro eis seu ipsis rebus modo aliquo pertinente vel spectante de jure vel de facto, hoc tamen specialiter reservato et specificato in presenti donatione, quod supradicte res donate et quelibet earum nullo unquam tempore possint vel debeant per dictos Altaristas seu quemcumque alium vendi seu alienari, vel in alterius dominium quomodolibet transferri nisi pro evidenti utilitate vel melioramento dictorum Altaris et Altaristarum. Quas vero res donatas et quamlibet earum prefatus Dñus Episcopus se nomine dictorum Altaris et Altaristarum constituit tenere et possidere etc. donec etc. promittens etc. sub pena etc.[1]

Actum Racanati in domibus episcopalibus positis in quarterio S. Flaviani juxta res Episcopatus undique, presentibus Venerabili viro Domino

[1] Eadem die Altaristis donavit petiam terrae cum vinea, olivis etc. in contrata *vallis S. Francisci* . . . . . juxta viam communis, viam vicinalem etc. eo pacto, ut pro ipso in perpetuum dicant illa officia defunctorum sive Anniversaria, quae celebrant pro animabus D. Corradinae, Antonii Borri etc.

Francisco Nicolai Canonico Racanat. spectabilibusque viris Gasparre Jacobi, Perleopardo Peri, Ser Antonio Jacobi, et Pero Hieronymi omnibus de dicta civitate Racanati testibus etc.

LXXXIII.

E registro Ser Ludovici Ser Andreae f.° 187. t.°

1454. 7. Octobr.

In Dei nomine amen. Anno domini ejusdem a nativitate M.CCCC.LIIII. indictione secunda tempore Sanctiss. in Christo patris et domini domini Nicolai divina providentia Papae quarti *(quinti)* die vero septima mensis octobris.

Universis et singulis hoc praesens publicum instrumentum inspecturis in testimonium veritatis pateat evidenter, qualiter cum praefatus Sanctissimus dominus noster Papa per breve suae sanctitatis commiserit et mandaverit ad supplicationem et postulationem virorum religiosorum .... pauperum Apostolorum vulgariter nuncupatorum Reverendissimo in Christo Patri et domino domino N. dignissimo Episcopo Racanatensi et Maceratensi, quatenus si per diligentem informationem repererit, ipsos Apostolos a quinquaginta annis citra pacifice et quiete tenuisse et possedisse domos cum Ortis et Ortalitiis et puteo cum suis pertinentiis positas et positis juxta et prope ecclesiam Sancti Johannis in Pertica extra muros Racanatenses et juxta campum cum olivis dictae ecclesiae et viam communis et alios fines: in quibus quidem domibus praefati viri religiosi Oratorium habeant et habuerunt, et quas domos et muros ortorum praedictorum praefati pauperes ex elimosinis eis a Christi fidelibus collatis reparaverunt, et fabricaverunt uti notorium est non obstante contradictione et perturbatione, quam super possessione praedicta dominus Dominicus Matheutii de Racanato assertus Commendatarius dictae ecclesiae intulit et infert dictis Apostolis, jam est mensis et ultra, quod dicto domino Dominico silentium perpetuum imponeret, ne dictos Apostolos ulterius inquietet, seu molestet in dictis domibus ortis et ortalitiis et pertinentiis suis, ac ipsos Apostolos ad eorum possessionem praedictarum domorum, et ortorum et relliquorum restitueret per se vel alium per ipsum deputandum, ac ipsos Apostolos ab omni violentia et turbatione conservaret obnoxios et illaesos, prout latius in brevi praedicto continetur. Cum autem vocato dicto domino Dominico et servatis servandis per dictos viros religiosos fuerit coram dicto domino Commissario plenarie probatum de praedictis per legitimam examinationem testium examinatorum per praefatum dominum Commissarium et per dictum dominum Commissarium fuerit commissum Venerabili viro decretorum doctori domino Johanni Nicolai Canonico Racanatensi, quatenus dictos

Apostolos reintegraret ad dictam possessionem dictarum domorum et ortorum ac jurium praedictorum etc. prout latius in dictis commissionibus continetur, a me Notario infrascripto visis et lectis. Hinc est, quod praefatus dominus Johannes volens exequi praedicta sibi commissa et existens in ostio domorum praedictarum cepit per manum Religiosum virum fratrem *Bartolomeum Filippi* de Firmo dicti Ordinis spiritualem patrem Apostolorum praedictorum, et ipsum et ejus socios introduxit et restituit et integravit in corporalem possessionem domorum et ortorum et jurium et pertinentiarum suarum omni meliori modo etc. Citato ad haec dicto domino Dominico per Antonium publicum nuntium praefati domini Vicarii dicti domini Commissarii, qui retulit supradicto Johanni se ad petitionem dicti fratris Bartolomei dictum dominum Dominicum ad praedicta domi suae solitae habitationis citasse, cujus domini Dominici non comparentis dictus frater Bartolomeus contumaciam incusavit, ac protestatus fuit se non tantum corpore sed animo praedictas domos et ortos pro se et sociis velle tenere et retinere tanquam res ipsorum Apostolorum.

Actum fuit ante hostium supradictarum domorum et ortorum ut supra positarum et lateratarum, praesentibus Venerabili viro donpo Marino Augustini Canonico Racanat. egregio viro Ser Jacobo Magistri Petrutii, et Constantino ejus filio omnibus de Racanato testibus ad praedicta vocatis et rogatis.

LXXXIV.

1459. 3. Dec.

In Dei nomine Amen — Anno ejusdem a Circumcisione Millesimo CCCCLVIIIJ. Indictione VIJ. tempore Dñi nostri Dñi Pii divina providentia Papae secundi. Die vero IIJ. mensis Decembris.

Rm̃us in Christo pater et Dñus Nicolaus Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Racanaten. et Maceraten. et Rector Ecclesiae gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto suae Racanaten. Diocesis: pie considerans devotionem continuam, et dilectionem sinceram, quam sedulo habet adversus dictam Ecclesiam: et peregrinorum ac aliarum personarum, *qui et quae tam ex votis, quam propter indulgentiam consequendam, et aliorum debilium, et pauperrimorum hominum numerum copiosum in dies ad ipsam Almam Ecclesiam ultra diem festi dictae Gloriosissimae Virginis confluentium:* et elimosinas immensas, quas Christi pauperes in dies ex domibus praefatae Ecclesiae suscipiunt, et necessario recipere habent: cum dicta Ecclesia distet a civitate Racaneti per tria milliaria, adeo quod honus subventionis praedictorum pauperum, ac infirmorum in Hospitali dictae Ecclesiae degentium totum ad dictam Ecclesiam spectet et pertineat,

et per consequens expedit necessario, quod dicta Ecclesia elimosinis plurimis, et continuis elargitionibus adjuvetur; ac insuper non minus considerans grata devotionis sinceraeque fidelitatis obsequia, et diligentiam valde grandem, quae et quam Viri Venerabiles et circumspecti Dñus Petrus Georgij Praepositus Ecclesiae Sancti Emindei de Teramo Gubernator *Almae Domus* dictae Ecclesiae: nec non Dñus Antonius Petri Spene Canonicus Racanaten. Dñus Antonius Cicchi Cantor de Monte Luponum Firmanae Diocesis: Presbiteri residentes in dictis Almis Domibus: tam longo tempore ipsi Ecclesiae in spiritualibus, et in rebus et negotiis ipsius Ecclesiae, et dictae Almae Domus in temporalibus etiam impenderunt, et adhuc cura vigili et diligenti, ac solertibus studiis, et sollicitudinibus impendere, et impartiri non desinunt, et quod valde inhumanum, imo ingratissimum foret, ut ipsorum bene gestorum, et continue gerendorum condigniam retributionem non consequerentur; idcirco praefatus Dñus Episcopus his consideratis, et etiam pro salute animae suae sponte, et ex certa scientia, et titulo donationis irrevocabiliter inter vivos dedit, tradidit, et donavit, ac cessit, et concessit supradictae Ecclesiae Sanctae Mariae de Laureto, et mihi Notario infrascripto ut publicae personae recipienti et stipulanti nomine et vice dictae Ecclesiae totam possessionem *Morlonghi* cum palatio, domibus, fornacibus, vinea, terris laborativis cum olivis, et aliis arboribus fructiferis, silva, et nemoribus, et rebus aliis, ac juribus, et pertinentiis suis: quam praefatus Dñus Episcopus emit a Jacobo Francisci Cisci, et Dña Genevera ejus uxore de Racan. prout patet manu mei Notarii infrascripti: item totam Fenariam quam praefatus Dñus Episcopus similiter emit a Gregorio Soldato albergatore, sive hospitatore in Villa Sanctae Mariae praedictae: de qua emptione similiter patet manu mei Notarj imfrascripti: item Silvam quam emit a Brunorio Laurentij de Racan. de qua emptione plene patet manu Ser Joannis Francisci de Racan. Notarii publici inde rogati. Quarum vero rerum donatarum confines, et vera latera singula singulis referendo praefatus Dñus Episcopus haberi voluit hic pro sufficienter expressis, et declaratis. Et hoc quoad proprietatem ipsarum rerum donatarum: et sic solum et dumtaxat praefatus Dñus Episcopus proprietatem dictarum rerum donavit et concessit dictae Ecclesiae in perpetuum; Et cum ista conditione, quod dictae res donatae, et quaelibet ipsarum non debeant per aliquem vendi, alienari, permutari: vel in alicujus dominium transferri: ita quod in perpetuum, ut suprad. earum proprietas sit, et esse debeat Ecclesiae praedictae. De usufructu vero dictarum rerum donatarum, et cujuslibet ipsarum praefatus Dñus Episcopus sic fieri voluit, disposuit, et mandavit; videlicet, quod ipse usufructus totus sit et esse debeat pro substentatione supradictorum Dñi Praepositi, et aliorum Presbyterorum supranominatorum

nec non ceterorum omnium et singulorum servientium, et commorantium in Domibus supradictae Ecclesiae, ac etiam pro elemosinabus, et subventionibus in perpetuo fiendis, et elargiendis, et omni tempore Christi pauperibus, qui veniunt ad dictam Ecclesiam, et egenis supra specificatis, qui sedulo ut supra dicitur *sunt in numero copioso:* pro quibus quidem Presbyteris antelibatus Dñus Episcopus omnes Successores suos summopere rogavit in visceribus Jesu Christi, quatenus eos, et ipsorum quemlibet permictant vivere, et mori in servitio dictae Ecclesiae sicut ipsi ita fideliter et studiose tam longo tempore fuerunt. Et casu quo Successores praefati Dñi Episcopi nollent, quod praedicti, vel aliquis praedictorum starent, vel staret in servitio praedictae Ecclesiae, et habeant, prout consueverunt habere expensas in ipsa Domo: Tunc dictus Dñus Episcopus voluit, et mandavit quod totus usufructus praedictus sit illius, vel illorum, qui non haberet, vel non haberent expensas modo consueto in dicta Domo: Item voluit et mandavit praefatus Dñus Episcopus, quod si dicti Presbyteri starent extra dictam Domum, et postea reverterentur ad Domum praedictam, vel decederent, quod dictus usufructus revertatur ad dictam Domum dictae Ecclesiae, et amplius declaravit, et voluit praefatus Dñus Episcopus, quia fecit et dotavit unum Altare in Ecclesia Episcopatus sub vocabulo Sanctae Mariae, et sanctorum Joannis Baptistae et Hieronymi, quod omni tempore Rector, et Altarista dicti Altaris possit mictere pro lignis ad dictam Silvam, quam emit a dicto Brunorio quantum expedit pro necessitate domus ipsius Rectoris, et non aliter, nec alio modo. Dans et concedens praefatus Dñus Episcopus titulo, et auctoritate presentis donationis supradicto Dño Praeposito Gubernatori *supradictae Almae Domus* absenti, tanquam praesenti potestatem, quatenus capiat, et retineat corporalem, et actualem possessionem supradictarum rerum donatarum, et cujuslibet ipsarum. Quam vero donationem, et concessionem irrevocabiliter factam praefatus Dñus Episcopus promisit mihi Notario infrascripto ut publicae personae stipulanti et recipienti nomine et vice supradictae Ecclesiae perpetuo ratam et firmam habere, et tenere, et in nullo contrafacere, vel venire per se, vel alium modo aliquo, sive causa de jure, vel de facto. Et ita juravit in animam suam super pectus suum more Praelatorum observare sub ypoteca, et obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum.

Actum Racaneti in domibus Episcopalibus positis in Quarterio S. Flaviani juxta res Episcopatus undique: presentibus religiosis viris Fratre Baldo Rodulfi de Leodio Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Guardiano Loci, et Fratrum Ecclesiae S. Mariae de Vamno de Racaneto: et Fratre Mario Righi dicti Ordinis, nec non Venerabilibus viris Dño Antonio Joannis de Accursiis Canonico Racanaten. Dño Cola Francisci Clerico Racanaten.

et provido viro Dominico Juliani Aromatario de Racaneto testibus ad praedicta vocatis et rogatis.

Et ego Jacobus Magistri Petrutii de Racaneto publicus Apostolica, et Imperiali auct. Notar. etc.

LXXXV.

Protocoll. Ser Jacobi M. Petrutii A. 1459.

1459. 3. Dec.

Item dicta die tertio Decembris, loco et testibus, supradictus Dominus Episcopus pro salute anime sue dicto titulo donationis inter vivos dedit tradidit et donavit Altari herigendo in Episcopali ecclesia Racanat. *in medio confessionis* videlicet *in parte superiori* dictae confessionis sub vocabulo gloriosissimae *Virginis Marie et Sancti Johannis Baptiste et Sancti Hieronami,* ad quod Altare elegit *Johannem Andream Ser Philippi de Astis* de Forlivio ejus nepotem presentem et acceptantem, etc., et de eo investivit etc. infrascripta bona pro dote dicti Altaris et substentatione dicti Johannis Andree et suorum successorum in altari predicto Inprimis domum, quam emit idem Dominus Episcopus in Villa Sancte Marie de Laureto juxta res Jacobi Amatutiae etc. et illam possessionem, quam emit a Marco Jacobi Marci, et illas duas petias terre, quas emit a Gilio Marini, prout de his et eorum finibus latius patet manu mei Notarii infrascripti, et voluit amplius, quod Rector dicti beneficii omni tempore et in perpetuum possit mittere pro lignis pro necessitate sue domus et non aliter mittere pro lignis ad silvam quam emit a Brunoro Laurentii etc. et etiam intendit augumentare dotem dicti beneficii, mandans, quod debeat rogare Deum pro anima sua etc. et mandavit, quod post obitum dicti Domini Episcopi Rector dicti beneficii faciat in dicta Ecclesia de tribus egdomadis unam, sicut consuetum est in dicta ecclesia: ac insuper voluit, quod nullus post suum electum possit eligi ad dictum beneficium nec ipsum beneficium obtinere, nisi sit Presbiter, et quod dictum beneficium semper sit de jure patronatus laicorum, et ipsius patronos esse voluit in perpetuum Spectabilem virum *Petrum Leopardum Peri et ejus descendentes per lineam masculinam* etc.

LXXXVI.

Indiculus librorum, quos die 3. *Decembris* 1459. *D. Nicolaus Episcopus Conventui Fratrum Minorum de Observantia Recanatensi donavit.*

E libro Formularum Jacobi Petrutii An. 1459.

Epistolae S. Pauli et Glossa. — Cantica Canticorum cum glosis. — Exameron Ambrosii. — Explanatio Evangeliorum. — S. Hieronami super Isajam. — Hieronimus in Danielem. — Super psalmis. — S. Gregorii Omelie super Evangeliis. —

Glosa super Ecclesiaste. — Octo libri Allegorie Veteris Testamenti. — Allegorie Veteris et novi Testamenti — Illarii liber de Trinitate.— S. Hieronymi orationes et transitus.— Liber moralium Eusebii discipuli S. Hieronymi.— Augustinus de Civitate Dei. — S. Augustini Sermones XII. — Id. Ecclesiasticorum dogmatum, et de disciplina christiana. — Id. de predistinatione, de Simbolo et fide, de XV. signis ante diem judicii. — Id. de verbis Christi ad latronem. — Id. de octo vitiis. — Liber Bernardi de consideratione. — Flores moralium S. Gregorii — Liber Sententiarum. — Compendium in Theologia. — Prima pars Summae S. Thomae in carta edina. — Secunda secunde in papiro. — et S. Thomae libellus de potestate Papae et Ecclesiae — in quartum librum sententiarum; quaestiones de veritate — Liber contra gentes. — Richardi de Mediavilla in tertium sententiarum. — Sermones Innocentii III. — Guilelmi Parisiensis liber de spiritibus malignis. — Summa de poenitentia e summa Raymundi. — Summa confessorum fratris . . . . de Ordine Praedicatorum. — Guilelmi Duranti rationale divinorum officiorum. — De absolutionibus et dispensationibus minorum poenitentiariorum et Episcoporum. — M. Johannis de Abbatisvilla summa super Epistolas et Evangelia Dominicalia. — Decretum in carta edina cum glosis, ligatum in tabulis copertis corio. — Liber de potestate Papae.— Aliqua contra Antipapam. — Goffredi summa super decretalibus. — D. Franc. de Zabarellis recollecte super primo decretalium; ejusdem: Recollecte super tertio.— Recollecte super Clementinis. — D. Antonii de Butrio lectura in quartum decretalium. — D. Joh. Andreae lectura super sexto. — Lectura Johannis de Lignano super Clementinis et expositio extravagantium Johannis XXII de Ordine Fratrum minorum.— Guilelmi Mandagoti de electionibus. — Liber de usuris. — Repetitio de argorismo. — Repetitio qui tenentur ad horas Canonicas. — Liber Philosophie Aristotelis. — Super libros posteriorum et . . . . . Aristotelis. — De Algorismo et liber de toto mundo. — Loica Ocham. — Loica M. Pauli de Venetiis. — Super Retorica Tulii. — Dante. — Petrus de Crescentiis. — Cato, Prosper, et Eva Columba, et vocabula per Alfabetum. — Liber Ugutionis et liber Papie in grammatica.

LXXXVII.

E protocollo F. Ser Jacobi M. Petrutii f.° 1180. t.

1460. 14. Jan.

In Dei nomine amen. Quoniam uti notorium est per facti evidentiam in ecclesia Sancti Viti de Racanato, quae post Episcopalem Ecclesiam prima est, et habet amplam curam parochianorum, divinus cultus presertim in missis celebrandis ade(o) diminutus est, quod quasi ipsorum parochianorum et aliorum Christi fidelium ad ipsam ecclesiam nullus erat: protanto Nos *Nicolaus* Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Racanatensis et Maceratensis volentes huic morbo ad postulationem et Canonicorum ac Altaristarum prefate ecclesie, medelam prebere salutarem, et ut, prout ad nostrum pastorale officium pertinet. Igitur nostra ordinaria auctoritate et de consensu et voluntate praefatorum dominorum Prepositi et Altaristarum omnium, et nemine eorum discordante infrascriptas constitutiones et ordinationes perpetuo valituras fecimus, constituimus et ordinavimus et in hunc, videlicet

Inprimis quod quilibet Altarista in sui egdomada occurrenti teneatur dicere missam in dicta ecclesia, prout supra in tabula per ordinem descriptum est, et hactenus est observatum sub pena medii bononeni pro quolibet et vice qualibet qua contrafecerit, et ille qui teneretur missam cantare, teneatur sub pena sex bonenorum pro quolibet et vice qualibet qua contrafecerit cantare nisi justam habuerint excusationem approbandam in utroque casu per nostrum Vicarium vel etiam quod adeo infirmitate essent gravati, quod celebrare vel cantare non possent.

Item quod quilibet Altarista teneatur paratus exire de sacristia et immediate ire ad dicendum missam cum alter Altarista compleverit missam et non ante, sub pena unius quarti bononeni.

Item quod quicumque egdomadarius qui iret ad dicendum missam in aliena ecclesia, teneretur solvere duos bononenos pro vice qualibet qua contrafecerit.

Item quod quilibet Altarista in singulis horis, dum divina celebrantur officia, teneantur stare induti Coptis eorum sub pena medii bononeni, et nullo modo recedere debeant missa non completa sub dicta pena.

Item quod omnes Altariste debeant interesse in primis et secundis vesperis et missis cantandis sollempnium festivitatum sub pena medii pro quolibet, et similiter in Completoriis tempore Quatragesime stare ad canendum dictum Completorium cum coptis ut supra, et similiter in octava Corporis Christi.

Item quod omnes Altariste dum divina celebrantur officia debeant stare honesti in locis eorum, nec verbo, actu, vel signo vel risu inhoneste se habeant sub pena medii bononeni pro quolibet et vice qualibet, qua contrafecerint in predictis.

Item quod quilibet egdomadarius teneatur sub pena excommunicationis puntare contrafacientes in singulis capitulis supradictis, et punctatos assignare in scriptis die sabati describendo nomina contrafacientium et ipsi punctati teneantur solvere penam per totam diem dominicam proxime futuram sub pena quarti pluris sindico dicte ecclesie, et solutiones dictarum punctaturarum debeant mittere in cassa sacristie dicte ecclesie cum dictis cedulis punctatorum, et dicte pecunie debeant converti in fabricam paramentorum vel librorum sacristie, et de dictis punctaturis dictus sindicus teneatur reddere rationem.

Item quod omnes egdomadarii teneantur omnibus diebus dominicis cantare vesperas et tempore Quatragesime Completorium, et per octavam Corporis Christi sub dicta pena medii bononeni pro quolibet et vice qualibet.

In quorum omnium fidem et robur hic nostrum parvum sigillum jussimus apponi et imprimi, et ea omnia scribi et subscribi manu infrascripti Can-

cellarii nostri sub anno domini ejusdem a circumcisione M. CCCC. LX. Indictione octava, tempore domini nostri domini Pii divina providentia Pape secundi, die vero XIIII. mensis Januarii. — Jacobus Cancellarius.

Item prefatus dominus Episcopus de consensu dicti Capituli propter exilitatem fructuum prebendarum dictorum Canonicorum statuit et ordinavit, quod de cetero dicti Canonici ecclesie Sancti Viti debeant solvere duos ducatos loco Cappellani, quem retinere debebant in dicta ecclesia Sancti Viti, donec et quo usque in dicta Ecclesia Sancti Viti fiat unum beneficium de novo, quo facto Canonici predicti non teneantur ulterius ad aliquid solvendum omni meliori modo etc. — Datum et actum Racanati sub predictis anno, indictione, pontificatu, et supradicta die XIIII. mensis januarii, presentibus domino Petro antonio de Forlivio Archidiacono Racanatensi, et donno Bartholomeo Antonii Tribbiani presbitero Racanatensi testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Et ego Jacobus Magistri Petrutii de Racanato publicus apostolica et imperiali auctoritate Notarius et judex ordinarius et nunc Cancellarius supradicti domini Episcopi supradictis, dum sic per dictum Dominum Episcopum fierent et ordinarentur ac statuerentur, presens interfui, et ea de mandato dicti Domini rogatus scribere scripsi et publicavi, signumque meum apposui consuetum.

LXXXVIII.

E protocollo Ser Jacobi M. Petrutii f.° 895.

1461. 16. Julii.

In Dei nomine amen. Nos Nicolaus Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Racanatensis et Maceratensis Universis et singulis has nostras patentes literas seu hoc presens publicum instrumentum inspecturis salutem et sinceram in Domino caritatem — Universitati vestre notum facimus et in veritatis verbo testamur qualiter anno domini, ejusdem a circumcisione 1461. indictione VIIII. tempore D. N. D. Pii Pape secundi die vero 16. mensis julii convocato et coadunato Capitulo Dominorum Canonicorum Ecclesie Racanatensis et Ecclesie S. Viti Racanatensis in loco hic infrascripto et confinato, et precedente citatione mandato et commissione nostra facta per Dominicum nostrum et nostre Episcopalis curie juratum nuntium heri sero pro hac mane de dictis Canonicis ad hunc actum et ad omnia et singula infrascripta: In quo quidem Capitulo interfuimus et convenimus Nos qui duas voces habemus, et infrascripti Domini Canonici, videlicet Decretorum Doctor Dominus Johannes Nicolai suo nomine et vocem habens Domini Antonii Petri Canonici nunc absentis a civitate Racanati, D. Franciscus Nicolai, D. Petrus

Peri, D. Marinus Augustini, D. Antonius Crutiani, D. Antonius Johannis Accursii, D. Marinus Jacobi, D. Cristopharus Antonii Philippi, cum plures Canonici ad presens residentes non sint et tractantes unanimi voluntate de eligendis duobus Canonicis supernumerariis, et considerantes vitam laudabilem et virtutum merita Venerabilium virorum Joannis Baptistae Jacobi Peri clerici Racanatensis, et D. Matthei Fabiani de Racaneto, qui cupiunt studere et virtuti largiente domino crescere. Invocata igitur Spiritus sancti gratia ad honorem omnipotentis Dei ejusque pie Matris Marie, ac Beatorum Martirum Flaviani et Viti et totius celestis Curie triumfantis elegimus pari voto et nemine discordante in Canonicos supranumerarios supradictos Joannem baptistam et Dominum Matheum absentes tanquam presentes, ita tamen quod ipse Joannes baptista debeat precedere predictum dominum Matheum omni meliori modo, via, jure, causa, forma quibus magis et melius possumus et debemus. Datum et actum Racaneti in nostris domibus episcopalibus in camera nostre solite habitationis, presentibus honestis viris D. Antonio Constantini, et D. Antonio . . . . . , . presbiteris Racanaten. testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego etc.

LXXXIX.

1461. 15. Decembr.

Post que eodem anno, indictione et pontificatu die vero XV. Decembris convenientibus in unum et in loco quo supra Nobis et supradictis Dominis Canonicis omnibus capitulariter maxime ad hunc actum, et scientibus renuntiationem factam superioribus diebus per Venerabilem virum et egregium jurisperitum virum Dominum Pinum domini Joannis de Astis de Forlivio de suo Canonicato et prebenda, que obtinebat in nostra Racanatensi ecclesia, et ecclesia Sancti Viti, cum promotus fuit et electus per nos et Canonicos predictos ad Archidiaconatum dicte nostre Racanatensis Ecclesie, et per consequens dictum Canonicatum et prebenda vacare. Inprimis dictum Joannem baptistam unanimiter et pari voto ad ipsum Canonicatum admisimus, ac ipsum in fratrem ad osculum pacis recipimus, nec non prebendam, que in presentiarum est ruralis ecclesia sancti Petri Blandonicis extra muros Racaneti dicto Joanni baptiste contulimus et de . . . . . nostro anuli immissione ipsum investivimus cum omnibus juribus, pertinentiis suis omni meliori modo, via, jure, causa, et forma, quibus magis et melius possumus et debemus. Datum et actum quo supra etc.

XC.

E libro Reformationum Anni 1461. et Archiv. secr.

1461. 30. Sept.

Nos Nicolaus Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Racanaten. et Maceraten. cupientes prout nostro pastorali officio convenit, omnem contentionem et discordiarum materiam, quae superioribus temporibus inter Ecclesiarum Rectores ac Altaristas et aliorum priorum locorum Piores et eorum sindacos persaepe fuerunt ex una parte, et operarios magnificae Communitatis Racaneti, seu superstites super nundinis parte ex altera, extirpare, et amovere occasione pensionum apothecarum et locorum prefatarum ecclesiarum et piorum locorum, de communi consensu et voluntate partium praefatarum — ad aeternam rei memoriam ordinamus ac volumus ac mandamus nostra ordinaria auctoritate; quod in omnibus ecclesiis quibuscumque per ipsam civitatem constitutis ac piis locis, quae domus Dei et orationis sunt dicto tempore nundinarum nullo pacto vendi debeant neque recludi, nec retineri aliquae res mercantiarum sub poena perditionis ipsarum de facto pro tertia parte applicanda Communitati, et reliquis duabus partibus communiter inter denuntiantem et officialem exequentem. Et Rector ecclesiae, predicta consentiens, teneatur ad indemnitatem et interesse mercatoris, seu quando praedicta ipsi mercatori non significaret.

Item quod de hostiis dictarum ecclesiarum communitas et dicti quatuor operarii non debeant se intromittere, nec aliquid petere vel habere.

Item quod omnes apothecae situatae intus portellas Barnabei Ser Nicolai, et Joannis Matthei Polini, quae essent ecclesiastice vel fraternitatum, si darentur pro tempore nundinarum, medietas pensionis sit Communis, et altera patroni.

Si vero darentur per annum, non debeant dari mercatoribus forensibus et si darentur ipsi non possint gaudere privilegio nundinarum: sed bene possint dari per annum civibus artificibus et habitatoribus dicte civitatis; et ipsi pro tempore nundinarum ultra pensionem conventam cum patrono, teneantur solvere Communi ducatum unum pro quolibet, et qualibet apotheca et non plus.

Et si dicti conductores in dictis apothecis reciperent alium mercatorem seu mercantias dicto tempore, quod de eo quod ipsi reciperent, teneantur dare dicto Communi dimidium ejus quod reciperent, prout faciunt alii cives. In quorum fidem presentes fieri fecimus et nostri parvi sigilli impressione muniri. Datum Racanati in nostro episcopali palatio die ultima Septembris 1461.

Jacobus Magistri Petrutii Cancellarius de mandato scripsi.

F. Cardinalis Senensis Marchiae etc. Legatus.

Quia nobis constitit suprascriptam reformationem et ordinationem pro bono pacis inter partes fuisse editam, et immunitatem ecclesiae ac utilitatem continere attento maxime, quia de partium consensu extitit emanata, igitur eam approbamus, validamus, et confirmamus ad perpetuam rei memoriam eidem auctoritatem nostram impartientes. Datum Maceratae sub impressione nostri soliti sigilli die VI. Octobr. M. CCCC. LXI.

L. S.

XCI.

E Protocollo Ser Jacobi Petrutii Not. Rec. f.° 917.

1463. 20. Januar.

In Dei nomine, amen. Anno ejusdem a circumcisione 1463. Indictione XI. tempore D. N. D. Pii divina providentia PP. secundi, die vero 20. Januarii. Convocato et coadunato Capitulo Venerabilium virorum Dñorum Canonicorum civitatatis Racanati de mandato Rev.^{mi} in Christo patris et D. D. Nicolai Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopi Racanat. et Maceraten. in loco hic infra posito et confinato in primis quod Dominis Canonicis citatis heri pro hodie de mandato et commissione prefati D. Episcopi ad hunc actum per Dominicum publicum et juratum nuntium prefati D. Episcopi et ejus episcopalis Curie Racanatensis, qui retulit mihi Notario infrascripto infrascriptos Dños Canonicos se heri, ut supra dicitur pro hodie mane citasse ad hunc actum. In quo quidem Capitulo interfuerunt prefatus D. Episcopus qui duas voces habet, et infrascripti Domini Canonici, videlicet *D. Franciscus Nicolai* Vicarius generalis prelibati domini suo nomine, et vocem habens *D. Marini Jacobi,* Venerabilis Decretorum Doctor *D. Joannes Nicolai,* suo nomine et vocem habens *D. Antonii Petri, D. Antonius Philippi, D. Petrus Petri, D. Marinus Augustini, D. Christophorus Antonii, D. Antonius Johannis Accursii, D. Bartholomeus Antonii, D. Joannes baptista Jacobi Peri* absentibus tamen Venerabili jurisperito viro *D. Pino de Astis de Forlivio Archidiacono,* qui Perusii studet, *D. Antonio Cruciani* etiam Canonico qui est Rome, et plures non sunt Canonici dicti Capituli et in dicto Capitulo prefatus D. Episcopus primo et ante omnia ejus auctoritate ordinaria declaravit, quod *primus Canonicus dicti Capituli in ordine qui pro tempore erit debeat precedere Priorem Ecclesiae S. Mariae de Castro novo,* et quando non esset ipse primus Canonicus, alter ejus in ordine successive debeat praecedere ipsum Priorem, ita quod semper unus è Canonicis praecedere debeat eum, et hoc ad beneplacitum Capituli, cum dictus Prior de jure non debet habere locum inter Canonicos, nisi ex gratia permitteretur.

Item praefatus D. Episcopus de presentia et voluntate et consensu praefatorum dominorum Canonicorum et praefati domini Canonici de pre-

sentia, consensu, et voluntate ac mandato prefati domini Episcopi statuerunt et ordinaverunt quod non procedatur ad electionem aliorum Canonicorum nisi prius per diem precedentem citentur et requirantur per bajulum singuli Canonici, qui aut reperiuntur in districtu Racaneti, et quod citatio fienda dicat et sonet ad electionem novi Canonici, sive dicta citatio fiat verbo aut in scriptis.

Item quod Canonici qui sunt absentes ex dicta diocesi non possint dimittere voces eorum alicui seu aliquibus ex Canonicis predictis ad eligendum novum Canonicum neque ad aliquem alium actum capitulariter volumus quod Canonici existentes et residentes in diocesi, quando essent in infirmitate gravati, adeo quod comparere non possent, quod tunc in dicto casu valeant dare voces eorum aliis Canonicis, et semper debeat esse rogatus Notarius in presentia testium de concessione vocis in dicto casu infirmitatis.

Item quod de cetero per Capitulum nullus eligatur, neque recipiatur Canonicus supernumerarius, nisi prius scilicet vacent Canonicatus et prebenda, ad hoc ut reducatur numerus Canonicorum ad *numerum duodecim*, qui est numerus prebendarum.

Item quod in Capitulo seu inter Canonicos nullus admittatur, recipiatur, seu honoretur, nisi sit de consensu majoris partis Canonicorum qui sunt in choro ne vilescat honor Capituli, et Canonicorum dignitas.

Item quod quando aliquis ex Canonicis esset studens vel Doctor, non debeat occupare locum aliorum, sed debeat stare in loco suo sive sede sua in ordine.

Item quod in futurum non procedatur ad aliquem actum capitularem tam in electionibus quam in reliquis quibuscumque nisi ad bussulum et fabas, et pro affirmativa detur faba alba, et pro negativa detur faba nigra Canonicis tempore scrutinii, et si secus fieret ipso facto, quod fit, nullius sit valoris, efficacie vel momenti.

Item ad validationem et valoris firmitatem declarationis facte per supradictum D. Episcopum super facto Prioris S. M. Castri novi statuerunt et ordinaverunt, quod primus Canonicus dictorum Canonicorum in ordine debeat praecedere Priorem S. M. Castri novi, et si non esset primus Canonicus, alter ex eis in ordine successorum debeat ipsum precedere, ita quod semper unus ex Canonicis praecedat eum, et hoc ad beneplacitum Capituli, cum dictus Prior de jure non debeat habere locum inter Canonicos, nisi ex gratia prestaretur.

Item quod predicta omnia firmentur, et confirmari debeant juramento singulorum Canonicorum praesentium et futurorum et etiam absentium, cum reversi fuerint, et non possint pretendere ingnorantiam, et non fa-

cientes ipso facto incurrant penam perjurii et privationis Canonicatus et prebende, quinimmo quod vigore presentis edicti sint et esse intelligantur ipso facto privati.

Qui vero Canonici nominati supra, volentes parere supradicto decreto juramento omnes et singuli juraverunt ad sancta Dei Evangelia manu tactis corporaliter scripturis, supradicta ordinamenta, statuta, seu constitutiones observare in omnibus et per omnia prout edita sunt.

Post quae prefatus Episcopus supradicta ordinamenta, statuta, seu constitutiones, prout facta sunt approbavit ex certa scientia et ejus ordinaria auctoritate validavit in omnibus et per omnia, et mandavit de cetero per dictos dominos Canonicos et Capitulum in futurum inviolabiliter observari debere presentibus, petentibus, et acceptantibus dictis dominis Canonicis omni meliori modo via jure, causa, et forma, quibus magis et melius fieri possit et debeat.

Acta sunt haec Racanati in domibus episcopalibus, videlicet in Cancellaria, solite residentie prefati D. Episcopi, positis in Q. S. Flaviani juxta res episcopatus undique, presentibus *Venerabilibus* viris Petro Leopardo Peri, et Branca D. Nicolai de Civitate Castelli ad presens Cancellario terre Civitatis nove et Petro de Aleis de Florentia cive et mercatore Racanaten. testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Et ego Jacobus M. Petrutii etc.

XCII.

E bastardello Ser Jacobi Jannis Not. Rec. A. 1462.

1463. 6. Februar.

Die VI. Februarii (1463.) Actum in sala magna ecclesie Sancte Marie de Castronovo juxta carbonariam communis, presentibus Jacobo Montazani, Joanne Jacobi Petrutii, Flaviano Pelletii et pluribus aliis testibus etc.

Convocata et coadunata universitate parochianorum de quarterio S. M. mandato magnificorum DD. priorum populi Ser Crutiani Crutiani, et Leonardi Joannis berti in sala supraposita, in sufficienti numero ultra duas partes et ibi per prefatos DD. Priores publice propositum fuit de quadam Constitutione facta per DD. Canonicos de voluntate R.^{mi} D. N. Episcopi Racan. contra Priorem dicte ecclesie S. M., constituentes preponere in ordine cujuscumque congregationis ipsorum dicto Priori unum ex ipsis Canonicis contra consuetum et usitatum ordinem, ubi semper tertiam sedem obtinuit dictus Prior, et sic ad injuriam et obprobrium dicti Prioratus, moti hac ratione quia Monacus non gaudet dignitate; — contra quam vero constitutionem volentes prefati domini Priores una cum dictis parochianis providere de remedio opportuno, ipsi domini Priores . . . . .

proposuerunt, quod bonum esset procurare, *ut ordo monachalis dicte ecclesie convertatur in secularem,* et circa hanc propositam habitis et recollectis consiliis parochianorum conclusum et obtentum fuit atque deliberatum, quod procuretur totis conatibus sumptibus dicte ecclesie usque ad pedes D. N. Pape, quod obtineatur ordo secularis, et ut habilius exequi hoc possit, ad hoc constituerunt sindicos eximium Legum Doctorem D. Ludovicum Ser Claudii, Ser Antonium Jacobi, Ser Vicum Venantii, Ser Antonium Politi, Ser Bonjohannem ser Claudii. . . . . dantes occasione predicta plenum arbitrium et potestatem predictis sindicis providendi, deliberandi, procurandi et omnia faciendi que necessaria fuerint et opportuna sumptibus ecclesie predicte.

Et p. 67. *t.°* — Die XV. mensis Martii actum in sala magna ecclesie S. M. de Castro novo, etc. omissis etc.

Qui sindici, ut voluntas parochianorum effectum sortiatur constitutis oratoribus legaverunt spectabilem militem *D. Alexandrum de Alexandris de Saxoferrato* tunc potestatem Racanati, et providum virum *Ser Barnabeum Antonii* de Racanato ad *R.mum D. D. B. Cardinalem Nicenum* commendatarium *Abbatie sancte Crucis Fontis Avellane*, et eidem expositis quibusdam capitulis eis constitutis a dictis sindicis, hoc maxime de commutando ordinem monachalem ecclesie predicte ad secularem, et recompensatione ipsius Abbatie dicti oratores possent expendere de bonis ipsius ecclesie usque ad centum florenos monete et augere censum a X. florenis usque ad XV., quos annuatim dicta ecclesia solvere dicte Abbatie intelligatur, quibus capitulis visis et intellectis per prefatum D. Cardinalem et Commendatarium predictum ipsa capitula acceptare decrevit. et acceptavit, et operam dedit cum Sanctissimo D. N. Pio Papa secundo facta supplicatione secundum tenorem dictorum capitulorum dispensaretur, et dispensavit, et permisit, ut petitum fuit, prout sic omnia predicta retulit dictus orator Ser Bernabeus congregatis multis parochianis in sala predicta fuisse vera. Quapropter letantes *dicti parochiani* de relatione obtente permutationis, et volentes providere super eo quod necessarium erat pro expeditione predictorum videlicet pro solvenda recompensatione jam promissa dicto domino Commendatario per oratores predictos, *decreverunt* et deliberaverunt dicti parochiani, *quod vendantur ecclesiastica inserta in alienis possessionibus pro libris aucto pretio in tertia parte pluri* cum hoc quod emptores teneantur solvere infra unum mensem dictam tertiam partem pretii predicti, alias voluerunt quod recusantes solvere elapso dicto mense in perpetuum remaneant enfiteote dicte ecclesie, subdentes dicti parochiani, quod casu quo pretia dictorum ecclesiasticorum non sufficiant

ad quantitatem centum octuaginta florenorum, qui expediebant omnibus computatis occasione predictorum, *tunc vendantur de aliis bonis* dicte ecclesie minus dampnosis usque ad quantitatem predictam, et ad predicta omnia fienda reformaverunt sindicos Ser Antonium Jacobi, Ser Antonium Politi, ed dictum Ser Bernabeum presentes et acceptantes, quibus dederunt potestatem vendendi ut supra.

Que quidem Congregatio dictorum Parochianorum fuit mandato dicti Ser Bernabei et Nicolai Venantii tunc priorum populi de dicto mense martii.[1]

XCIII.

Protoc. Ser. Jacob. M. Petrutii A. 1464 f.° 308. t.°

1464. 10. Dec.

Die X. mensis Decembris. Actum Racanati in domibus episcopalibus superius positis et confinatis, presentibus Putio Cicchi de Cannario cive Racanatensi, Venantio Gentilis de Racanato, et Francisco johannis de Arimino familiari domini Episcopi testibus etc. Convocato et choadunato Capitulo dominorum Canonicorum Ecclesie Racanatensis in camera residentie infrascripti domini Episcopi sita in domibus episcopalibus hic infra positis et confinatis de mandato Reverendissimi in Christo patris et domini domini N. dignissimi Episcopi Racanat. et Maceraten. dictisque dominis Canonicis citatis ad hanc congregationem et ad omnia et singula infrascripta mandato et commissione prefati domini Episcopi per Dominicum publicum et juratum nuntium prefati domini Episcopi et ejus episcopalis curie qui retulit se predictos citasse etc. In quo quidem Capitulo interfuerunt prefatus Dominus Episcopus et infrascripti domini Canonici videlicet dominus Franciscus Nicolai Venerabilis Decretorum Doctor, dominus Johannes Nicolai suo nomine et vocem habens donni Antonii Petri etiam Canonici Racanatensis, et de dicto Capitulo donnus Antonius Philippi, donnus Petrus Petri ser Johannis, donnus Antonius Crutiani ejus nomine et vocem habens domini Johannis baptiste Jacobi Peri etiam Canonici et de dicto Capitulo, donnus Marinus Augustini, donnus Marinus Jacobi, donnus Antonius Johannis Accursii, donnus Christophorus Antonii, et donnus Bartholomeus Antonii Tribbiani omnes de Racanato Canonici et de Capitulo predicto. Qui vero dominus Episcopus et Canonici cupientes amplitudinem dignitatis et honoris dicte ecclesie Racanatensis et divini officii

---

[1] Die 14 Junii a Parochianis in loco praedicto congregatis, ad quos juspatronatus spectabat prout semper et sic ad praesens vigore sententiae his proximis diebus latae per D. Joannem Nicolai de Racan. Commissarium Apostolicum, electus est in Praepositum Ven. vir *D. Nicolaus Todeschi de Racan.* attentis ejus virtutibus et honestate ad sedendum et levandum more solito etc.

augmentum Idcircho prefatus dominus Episcopus ejus ordinaria auctoritate et cum consensu et voluntate prefatorum dominorum Canonicorum et dicti domini Canonici cum consensu voluntate et auctoritate prefati domini Episcopi omnes pari voto et nemine discordante instituerunt, ordinaverunt, et *creaverunt dignitatem Archidiaconatus* in dicta Racanatensi ecclesia, et *quod sit secunda dignitas post episcopalem*, et quod dicte dignitati Archidiaconatus *sit cura in spiritualibus circha divina officia etc.* et qui eligetur ad dictam dignitatem, nominetur, et nominari debeat Archidiaconus, et quod sit de Capitulo, et *in eo secundam sedem* habeat ut supra exprimitur, et vocem in Capitulo habeat omni meliori modo via, jure, causa et forma, quibus magis et melius fieri possit et debeat.

Post que incontinenti prefatus Reverendissimus dominus Episcopus et supradicti domini Canonici omnes et singuli pari voto et unanimi voluntate volentes supradicta exequi et vacare circha electionem prefati Archidiaconi et considerantes vitam et mores laudabiles ac scientiam Venerabilis et eximii utriusque juris periti viri domini *Pini domini Johannis de Astis de Forlivio* etc. domini nostri Jhesu Christi ejusque pie matris gloriosissime Virginis Marie ac beatorum *Flaviani* et *Viti* nominibus benigne invocatis elegerunt, nominaverunt et deputaverunt ad dignitatem predictam in Archidiaconum prefatum dominum Pinum presentem et acceptantem quem constitutum flexis genibus coram dicto domino Episcopo, ipse dominus Episcopus ejus auctoritate confirmavit et instituit in Archidiaconum et ad dignitatem predictam in spiritualibus et temporalibus et per sui anuli immissionem ipsum investivit etc. omissis etc. et prefati dominus Episcopus et Canonici receperunt eum ad osculum pacis etc.

Item prefatus dominus Episcopus ad hoc ut in futurum fieri debeat electio Archidiaconi cum vacaret de persona idonea etc. et intendat ipsam dignitatem velle dotare ideo *jus eligendi Archidiaconum cum vacaverit in perpetuum concessit Canonicis dicte ecclesie et Altaristis majoris Altaris* dicte ecclesie episcopatus omni modo etc.

XCIV.

Ser Jacobus M. Petrutii f.° 988.

1466. 27. Aug.

Nicolaus Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Racanatensis et Maceratensis dilecto nobis in Christo donno Antonio Petri Canonico Racanatensi salutem in Domino sempiternam.

Grata tue devotionis obsequia, que nobis et nostre Ecclesie Alme Virginis de Laureto superioribus temporibus impendisti, et adhuc cura vigili impendere non desinis, nos inducunt, ut tibi ad gratiam liberales.

Sane cum olim *Magister Jacobus Nicolae Pictor* de Racanato suum ultimum condiderit testamentum scriptum et publicatum manu Ser Thomae Ser Gabrielis de Racanato Notarii publici inde rogati: In quo inter cetera per ipsum relicta et ordinata in omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus etc. Petrum Antonium ipsius testatoris filium sibi heredem instituit universalem, et si dictus Petrus Antonius decesserit in pupillari etate vel postea quandocumque sine filiis vel filiabus ante tempus 25. annorum voluerit et mandaverit idem testator quod de suis bonis faciat unum beneficium in prefata ecclesia B. Marie dandum et concedendum uni presbitero idoneo, qui teneatur et debeat officiare et missam celebrare in altari dicte ecclesie sive cappelle B. Marie pro anima dicti testatoris et suorum parentum; et ex nunc adveniente casu mortis dicti Petri Antonii ut supra, dictus testator elegerit et nominaverit te in Rectorem beneficii predicti, donec vitam traxeris in humanis, et post mortem tuam reliquerit patronam dicti beneficii Venerabilem fraternitatem S. Lucie de Racanato que teneatur et debeat eligere nominare deputare et presentare unum idoneum presbiterum de illis presbiteris qui continuo habitant et moram trahunt in domibus dicte ecclesie, seu in villa ejusdem ecclesie. Qui sic electus et presentatus teneatur et debeat officiare et missam celebrare modo predicto. Cum autem superioribus diebus proxime decursis, uti notorium est, dictus Petrus Antonius decesserit in pupillari etate, et per consequens venerit casus dicti beneficii fiendi, et erigendi, et confirmationis et institutionis fiende de persona tua ad curam et regimen ipsius beneficii et bonorum et hereditatis predicti olim testatoris juxta ipsius testatoris supra dictam piam voluntatem et dispositionem. Cumque ut predicta exequi possent, Nos jam nostra ordinaria auctoritate predictum beneficium herexerimus ordinaverimus et instituerimus in altari dicte ecclesie sive cappelle, et annuentes hujusmodi electionem de tua persona factam per dictum testatorem fuisse et esse factam de persona circumspecta et benemerita ad curam ipsius beneficii in spiritualibus et temporalibus, et nolentes confirmationem et institutionem per nos fiendam de tua persona ad curam et regimen dicti beneficii ulterius retardare, ne dictum beneficium aliquod detrimentum in spiritualibus et temporalibus patiatur juxta etiam pro tui parte petita. Quam ob causam te ad electionem predicti olim testatoris nostra ordinaria auctoritate predicta tenore presentium ad dictum beneficium instituimus et confirmamus et te in nostra presentia personaliter constitutum per nostri anuli immissionem de dicto beneficio et juribus et pertinentiis suis investimus, ac de eo gratiose providemus, curam, regimen, gubernationem et administrationem predicti beneficii et jurium et pertinentiarum ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: mandantes et committentes harum

serie Venerabili viro Dño Petro Georgii Preposito Teramano Gubernatori nomine nostro Alme Domus prefate ecclesie absenti tanquam presenti, quatenus te vel procuratorem tuum tuo nomine in tenutam et corporalem possessionem dicti beneficii ponat, inducat, et defendat inductum amoto inde quolibet illicito detentore, faciatque tibi de fructibus et obventionibus universis dicti beneficii integre responderi, contradictores autem et rebelles quoscumque auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et alia juris remedia compescendo: Dispensantesque tecum eadem auctoritate nostra quatenus altare situm in nostra episcopali ecclesia Racanaten. sub vocabulo S. Thome et Canonicatum et prebendam, quos obtines in ecclesia S. Viti Racanat. justo et rationabili titulo valeas libere et licite una cum dicto beneficio obtinere et retinere non obstantibus quibuscumque. Tu vero, Donne Antoni, coram Nobis personaliter constitutus jurasti ad S. Dei Evangelia res jura et bona quecumque dicti beneficii non vendere neque alienare, sed pro posse augere manutenere et conservare, et quod ab hac hora in antea devotus eris fidelis et obediens Nobis et nostris successoribus canonice intrantibus. In quorum omnium et singulorum robur atque fidem presentes nostras litteras exinde fieri fecimus, et per nostrum Cancellarium infrascriptum scribi et subscribi et registrari mandavimus et nostri consueti pontificalis sigilli appositione muniri. Datum Racanati in nostro episcopali palatio sub anno domini ejusdem a circumcisione 1466. Indictione XIIII. tempore D. N. D. Pauli divina providentia Pape secundi, die vero 27. mensis Augusti. Presentibus Donno Johanne Blochitti de Francia Cappellano nostro, Donno Salvatore de Monte Sancto nunc residente in supradictis domibus Alme Virginis et Michaele . . . . de Avinione familiari nostro testibus ad predicta vocatis et rogatis. — Jacobus Cancellarius.

XCV.

Ser Jacobus M. Petrutii f.° 989.

1466. 29. Aug.

Nicolaus Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Racan. et Macerat. Dilecto nobis in Christo Venerabili viro eximioque utriusque juris doctori *D. Pino D. Johannis de Astis de Forlivio* Clerico Racanatensi salutem et sinceram in domino caritatem. Grata tue devotionis obsequia que nobis et nostre ecclesie superioribus temporibus impendisti et adhuc continuo studio et diligentia impendere non desinis, ac virtutum tuarum merita quibus apud nos fide digno commendaris testimonio nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes igitur premissorum meritorum tuorum intuitu tibi gratiam facere specialem, beneficium quod ereximus et instituimus in Altari nostre ecclesie gloriosissime Virginis de Laureto

nostre Racanaten. diocesis sub vocabulo *B. Marie* ad omnipotentis Dei et prefate Virginis ejus matris laudem et anime nostre salutem, tibi cum omnibus juribus et pertinentiis suis conferimus per presentes, et te in nostra presentia personaliter flexis genibus constitutum de ipso beneficio et juribus et pertinentiis predictis per nostri anuli immissionem investimus, ac de eodem gratiose providemus, curam, regimen, gubernationem et administrationem predicti beneficii et pertinentiarum ejus in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo: mandantesque et commictentes V. viro Dño Petro Georgii Preposito Teramano Gubernatori pro Nobis et nomine nostro Alme Domus prefate Virginis absenti tanquam presenti, quatenus te vel procuratorem tuum tuo nomine in tenutam et corporalem possessionem dicti beneficii ponat, inducat, et defendat inductum, amoto etc. contradictores vero etc. Dispensantesque tecum nostra ordinaria auctoritate ut possis vivere secundum decentiam tue persone quia Doctor es, quatenus Altaria sita in nostra Racanatensi ecclesia et ad invicem unita unum sub vocabulo S. Antonii, et reliquum sub vocabulo S. Marie Magdalene necnon beneficium R.mi olim D. Cardinalis S. Marcelli in predicta ecclesia B. Marie quod eadem auctoritate quatenus opus sit, etiam per presentes predicto beneficio unimus et incorporamus, quod tu justo et canonico titulo obtinens, valeas libere et licite una cum predicto beneficio tibi per Nos collato obtinere et retinere non obstantibus quibuscumque. Tu vero, Domine Pine, coram nobis etc. — Et quia parum foret beneficia fundare et erigere, nisi eis dotis suffragio subveniatur pro victu et substentatione eorum qui ad regimen et gubernationem ipsorum beneficiorum in spirit. et temporalibus . . . . sunt et eis serviunt et famulantur. quamobrem Nos *Nicolaus* Episcopus prefatus tenore et auctoritate presentium pro dote dicti beneficii damus tradimus et concedimus tibi Domino Pino presenti et recipienti nomine dicti beneficii et tuorum in beneficio predicto successorum ad perpetuum et divinum cultum dicti beneficii et pro victu et substentatione tua et tuorum in perpetuo successorum in beneficio predicto infrascripta bona stabilia per Nos empta ut patet manu infrascripti nostri Cancellarii: inprimis unam domum positam in districtu Racanati in villa S. M. de Laureto juxta res Donni Antonii Philippi, res Donni Antonii Petri Canonicorum Racanaten. res heredum olim Christofori Amatutii de dicta villa, viam communis et alios fines. Item unam aliam domum cum domuncula positam in Civitate Racan. in quarterio S. Flaviani juxta res heredum olim Jacobi Tubecte de Racanato, res olim Johannis Cole de Racan. et nunc heredum olim M. Petri sutoris, viam et carbonariam communis et alios fines. Item unam aliam domum positam in quarterio S. Angeli juxta res Marini Nicolai de Racanato, res Dñi Johannis Nicolai Canonici Racanat. pro suo beneficio et viam communis. Item unam possessionem

cum vinea, olivis et aliis arboribus fructiferis et terrenis a grano positam in territorio Racanati in contrata *Alvaroni* juxta res Domine Tarsie uxoris olim Bartholomei Vagnotii, res Venantii alias dello rosso de Racanato, viam communis et alios fines. Item una petiam terre in contrata *Paradisi* juxta res Ecclesie S. Johannis in Pertica extra muros Racanat., res Altaris S. Luce siti in nostra Episcopali ecclesia et alios fines. Item viginti modiolos terre aratorie in predicto territorio in contrata *Joctule* juxta res Angeli Jonte, res ecclesie S. Marie de Castro novo de Racanato, viam et alios fines. Item undecim modiolos terre in contrata *Serre* juxta res Berti Superantii, res Jacobi Johannis de Montazano de Racanato et alios fines. Item sexdecim modiolos terre arative in contrata *Salecti* juxta res Clementis Sanctoni de Racanato viam et alios fines. Item duodecim florenos monete ad rationem XL. bonenorum pro ducato anno quolibet exigendos de annuis fructibus de denariis imprestitorum communis . . . . Ancone cum isto, quod tu post mortem nostram tenearis dicere seu dici facere in predicto Altari B. Mariae qualibet egdomada quatuor missas pro anima nostra et sic volumus, ordinamus, et mandamus, quod tui successores in perpetuum dicere dictas quatuor missas egdomada qualibet in dicto altari pro anima nostra teneantur et sint obligati. In quorum omnium et singulorum robur atque fidem presentes nostras litteras sive hoc presens publicum instrumentum etc.

Actum Racanati in nostris domibus Episcopalibus sub anno Dñi ejusdem a circumcisione 1466. Indictione XIIII. tempore Domini nostri D. Pauli divina providentia Pape secundi, die vero 29. mensis Augusti presentibus V. viro donno Marco Cole Canonico Racanat. et Nobili viro Michaele de Avinione familiare nostro testibus ad predicta etc.

XCVI.

Ex archivo secr. Civitatis Recanat.

1467. 18. Nov.

Jesus

In nomine Domini nostri Jesu Christi, et gloriosae Matris ejus Virginis Mariae Amen.

Anno ejusdem Domini a Circumcisione Millesimo, Quatringentesimo, sexagesimo septimo: Indictione XV. tempore SSmi in Christo patris et Domini nostri Pauli divina providentia clementia Papae Secundi: Die vero XVIII.° mensis Novembris dicti Anni. Cum verteretur aliqualis controversia inter Reverendum in Christo Patrem et Dominum, Dñum Nicolaum Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopum Racanatensem et Maceratensem parte una, et Magnificam Communitatem Racanatensem parte

altera; occasione Confinium et Terminorum inter possessiones Episcopatus Racanatensis; et Ecclesiae Sanctae Mariae de Laureto, et dicti Communis Racaneti, ac etiam occasione quarundam Terrarum, et Silvarum positarum in plano Mossionis juxta silvas Communis, quae dicuntur le Selve di Loreta venditarum per dictum Commune ingnoranter pro reficiendis muris, et scarpis dictae Civitatis, ut se in Statu Ecclesiae conservare posset tempore, quo haec Provintia quasi tota occupata erat a jugo tirannico, quas terras et silvas venditas Commune Racaneti pro suis tenebat, et tenuerat a tempore, quo memoria hominum non erat, nec est in contrarium: et praefatus Dominus Episcopus dicebat esse dicti Episcopatus vigore cujusdam Instrumenti, et contractus antiquissimi reperti in Archivo dicti Communis Racaneti post dictam venditionem: in quo continentur omnes possessiones jam concesse pro dote per dictum Commune dicto Episcopatui; et proinde praefatus Dominus Episcopus petebat a dicto Communi nomine dicti Episcopatus recompensam: Hinc est quod volentes dictae partes a dicta controversia recedere, et sumptibus ac judiciorum expensibus et erroribus parcere et indulgere, praefatus Dominus Episcopus ut verus Pastor, et Parens indulgentissimus dictam Communitatem, et populum sibi commissum paterna caritate complectens: et praefata Communitas et Populus universus praefatum Dominum Episcopum, ejusque Reverendam Paternitatem, vitamque ac mores exemplares et sanctimoniam humili devotione observantes pro seipsis, et eorum successoribus ad perpetuitatem pacem: et veram concordiam: ad hanc transactionem compositionem et pactum inter dictas partes deventum est, videlicet

Quod Venerabilis Pater Dominus Franciscus Nicolaj Canonicus Racanatensis Vicarius, Commissarius praefati Domini Episcopi de cujus commissione ad infrascripta peragenda plene patet manu Ser Jacobi Magistri Petrutii de Racanato Notarii publici inde rogati, et Cancellarii praefati Domini Episcopi pro parte praefati Domini Episcopi et spectabiles Cives Ser Antonius Politi: Ser Barnabas Antonii: Joannes Antonii Poloni: Antonius Ser Nicolaj: Bartholomeus Peri: et Jacobus Jannini de Recaneto Cives ad infrascripta deputati per Magnificos Dominos Priores, et Consilium Ducentorum dictae Civitatis: cum plena libera, et ampla potestate omnia et singula infrascripta facienda, gerenda, et exercenda: ac si praefati Domini Priores, et Consilium personaliter interessent: Ut de eorum potestate et arbitrio plene patet in libris reformationum dicti Communis manu mei Vannis Notarii et Cancellarii infrascripti pro parte dicti Communis unanimiter. et concorditer ad loca controversiae praedictae, et ad possessiones praedictas: et ipsas secundum eorum veram conscientiam: quam praefati Dominus Episcopus, et Communitas onerarunt: terminent: confinent: et decidant: dictas pos-

sessiones Episcopatus: a possessione Communis: in locis infrascriptis: cum terminis muratis ad futuram perpetuamque rei memoriam, ac de terris et silvis predictis venditis ut supra per dictum Commune non fraudolenter, recompensam dicto Episcopatui concedant de bonis Communis in his locis in quibus cognoscent magis conducere dicto Episcopatui alte, et basse pro ut eorum bonae conscientiae et discretioni videbitur, et placebit.

Qui quidem praefati Dominus Vicarius, et Commissarius, ac Cives praenominati die XVIIJ.° dicti mensis praedicti: confisi in gratia Dei omnipotentis, et suae gloriosae Virginis Mariae de Laureto: euntes ad Ecclesiam praefatae Virginis de Laureto: et ibi primo factis debitis orationibus et demum mature se consulentes cum infrascriptis Catastris, et juribus partium: ac cum informatione: attestationeque antiquorum et aliorum hominum in dictis Locis praticorum; et cum gratia demum Spiritus Sancti Paracliti: Cambium: recompensam: et terminationem predictas pacifice, et quiete fecerunt in Locis infrascriptis, ut omnes terras, silvas: prata, et moleas, quae inter Episcopatum, et Commune praefatos essent conjunctae: incipiendo a flumine Mossionis veteris usque ad Castellare Gardeti in hunc modum ut

Apud Ecclesiam *Sanctae Mariae de Laureto a parte posteriori Domorum dictae Ecclesiae.*

Quod omnes terrae et silvae retro Ecclesiam, et Domos Almae Virginis Mariae de Laureto: incipiendo ab uno latere juxta res Ser Antonii Jacobi, et res Communis Racaneti pro Ecclesia Sancti Joannis, ubi positus est unus terminus juxta unam quercum, qui respondet ad alium terminum positum in medio Costae inter res Ecclesiae Sanctae Mariae et res Costantini Joannis, qui respondit ad alium terminum, qui jacet in pede Silvae dicti Costantini, et dictae Ecclesiae prope Mossionem veterem: qui respondet ad alium terminum per pedem omnium Costarum et silvarum dictae Ecclesiae affissum in capite silvarum Communis de Laureto. Ut in angulo Silvae praedictae Communis juxta res Domini Joannis Nicolaj: qui respondet recta linea ad terminum affissum in media Costa in pede possessionis haeredum Laurentii Petrutii: et demum procedit juxta dictas possessiones dictorum haeredum et dictae Ecclesiae usque ad stratam Communis: qua itur a Sancta Maria ad Portum prope dictam Ecclesiam Sanctae Mariae: et . . . . . terrae et silvae situatae intus dictos terminos sint dictae Ecclesiae Sanctae Mariae de Laureto, et Episcopatus praedicti.

Die vero XVIIIJ.° dicti mensis apud Castrum Maris prope Portum.

Item terminarunt praefati Vicarius, et Cives ponendo unum terminum in capite Vallis Cupae sub Castellari Gardeti juxta unam petiam terrae dicti Episcopatus mensurae XI. Modiolorum, vel circa: qui respondet ad

alium terminum per medium dictae vallis in fine quercum et arborum magnarum, et dictus secundus terminus respondet ad alium terminum affissum in limite Cavate Communis, et procedit semper per limitem dictae Cavatae versus Castrum maris usque ad pontem Cavatae prope dictum Castrum, et transeundo dictum pontem per limitem dictae Cavatae: et per pedem paludum ad terminum qui positus est ad caput fenarolae in via quae venit a Sancta Maria de Laureto per planam Sancti Martini, et pontiscelli, et itur ad Portum; qui respondet ad alium terminum affissum in pede viae de la piana, et in pede silvae costarum Archiani juxta dictam viam: qui respondet ad pedem dictae Silvae et per pedem silvae Mompoleti, et respondet ad terminum affissum in via Communis per quam itur a Civitate ad Portum, hoc est per la via de socto, quae via est terminus inter Commune et Episcopatum praedictum. Declarantes quod Castellare Castri Maris cum ripis et foveis mensurae medii modioli, vel circa sit reservatum pro Communi: et omnes terrae. prata. silvae. et stagneta posita intus dictos terminos versus Civitatem incipiendo a dicto primo termino Vallis Cupae usque ad hunc ultimum affissum in dicta strata, et usque ad possessiones Civium Recanatensium sint dicti Episcopatus: et extra dictos terminos versus mare, incipiendo a dicto primo termino Vallis Cupae usque ad ultimum Coglioni sint dicti Communis: tam terrae: quam silvae, prata et stagneta.

Die vero XX.° Novembris apud Morlongum, et Costas Archiarii.

Postremo vero terminarunt praefati Domini Vicarius et Cives praefati: Morlongum cum pertinentiis suis, et Costas Archiani in hunc modum videlicet. Posuerunt primum terminum in strata Communis, quae est in pede Campi Morlonghi qua itur a Civitate ad silvas Communis planae Sancti Martini: juxta dictam silvam, et in capite dictae silvae, et procedendo juxta dictam silvam Communis recta linea, et campum Morlonghi procedit ad secundum terminum affissum circa medium Campum Morlonghi juxta dictam silvam, in pede Campi Sancti Martini: qui respondet ad terminum positum in capite unius fovei, qui est subtus Ecclesia diruta Sancti Martini: et procedit per dictum foveum ad terminum positum juxta stratam: qua itur per dictam silvam ad ponticellum, et procedit ad alium terminum: qui affissus est in strata Communis prope ponticellum: qua itur a Sancta Maria ad Portum per la via de socto: qui respondet ad ultimum terminum dividendo costas Archiani affissum in culmine collinae costarum Archiani in la via, quae dicitur la via delle Coste di Archiano: et hoc modo omnes terrae, prata, et silvae positae infra dictos terminos versus mare: incipiendo in capite silvae Sancti Martini: a primo termino usque ad ultimum praedictum, et usque ad viam Coglioni, qua itur a Sancta Maria ad Portum sint

Communis Racanati: a parte inferiori. A parte vero superiori versus Civitatem sint Episcopatus predicti.

Et quoniam in dicto primo et antiquo termino terrarum praedictarum jam datarum per dictum Commune Racanatense pro dote Ecclesiae Episcopatus praedicti apparent quaedam terrae, et silvae positae in plano Mussionis: quas Commune jam alienavit ut supra ignoranter, et de pretio ipsarum fortificavit Civitatem dicto nostro Episcopo vidente pro se servando in fide Ecclesiae tempore praedicto ut supra quo haec Provintia premebatur fere tota a jugo tyrannidis Comitis Francisci Sfortiae, et etiam apparent quaedam silvae positae in fundo de Loreto numero Modiolorum XL. et similiter in fundo Meleti numero Modiolorum XIV. et in fundo Archiarij silvarum numero Modiolorum CLXXXX. et in dicto fundo Archiarij silvae numero Modiolorum XXVI. venditi dicto Domino Episcopo superioribus proximis temporibus per Jacobum Francisci Cisci de Racanato: eam ob rem praefatus Dominus Vicarius, et Commissarius dicto nomine quietavit, liberavit, et plenarie absolvit supradictos omnes Cives deputatos, et me Vannem Notarium infrascriptum ut publicam personam stipulantem, et recipientem nomine, et vice dicti Communis, et quorum omnium interest, aut interesse poterit in futurum de supradictis rebus venditis ignoranter per dictam Communitatem quae erant silvae, et nemora, et hoc fecit praefatus Dominus Vicarius, quia supradicti Deputati in recompensam, et nomine recompensae dederunt, tradiderunt, et assignaverunt dicto Domino Vicario dicto nomine recipienti et mihi Notario infrascripto ut publicae personae recipienti nomine, et vice praefati Domini Episcopi, et suorum successorum: omnes, et singulas terras, et silvas dicti Communis, quae non erant nec sunt in dicto primo Inventario, et Instrumento antiquo positas intus dictos terminos supra confinatos et assignatos. — videlicet: terras a parte posteriori domorum Ecclesiae Sanctae Mariae de Laureto usque ad planum Mossionis: et terras, et silvas prope Castrum Maris: et silvas Communis de Puzo sub Morlongo ad boream insertas intus dictos terminos, quae multo magis conducunt dicto Episcopatui: quam conducebant dictae terrae et silvae alienatae ut supra, et si forsan non sufficerent pro dicta recompensa Ecclesiae praefatae: voluit praefatus Dominus Episcopus, quod possessiones, quas nuper praefatus Dominus Episcopus pro dicta Ecclesia emit a Marino Nicolaj, et Jacobo Francisci Cisci de Racanato nomine Communitatis suppleant et adimpleant usque ad integram satisfactionem dandam per dictum Commune dictae Ecclesiae Episcopatus: omni meliori modo, quo de jure fieri potest, et debet.

Actum in supradictis locis singula singulis referendo presentibus Ser Nicolao Vannis, Bartholomeo Antonii, Dominico Antonij Tartari de Racaneto, et Moricono Petri habitatore Villae Sanctae Mariae de Laureto testibus ad praedicta vocatis, habitis, et rogatis.

Dictis Anno, Indictione, et Pontificatu: et die vero XXI. supradicti mensis Novembris: supradictus Dominus Episcopus sciens et cognoscens per lecturam factam singulariter de omnibus praedictis terminis, et recompensa ex serie scripturae supradictae, et etiam per relationem supradicti Domini Francisci ejus Vicarii, et Commissarii: omnia supradicta prout gesta, facta, terminata, et in recompensam data sunt sponte et ex certa scientia omnia praedicta ratificavit. emologavit. et approbavit, et de his se contentum vocavit. fecit et dixit in omnibus, et per omnia. omni meliori modo etc. — Actum in camera residentiae praefati Domini Episcopi sita in domibus Episcopalibus Racaneti juxta suos confines positas, presentibus spectabilibus Viris: Jacobo Peri: Ser Jacobo Mastri Petrutii: et Ser Nicolao Vannis Racanatensibus Civibus: testibus ad praedicta habitis, vocatis, et rogatis.

Anno, Indictione, et Pontificatu predictis die vero XXII.° mensis Novembris. Consilio M. D. Priorum Antianorum XXIIII. et ducentorum de Populo Communis, et hominum Civitatis Racaneti more solito congregato in quo interfuerunt duae partes, et ultra dictorum Consiliariorum: in Sala nova Palatii dicti Communis residentiae praefatorum Dominorum Priorum: posita in Quarterio Sancti Angeli juxta res dicti Communis undique. In quo primo et ante omnia per me Vannem Notarium et Cancellarium infrascriptum fuerunt lecta et vulgari sermone diligenter exposita: omnia et singula supradicta: et in singulis partibus totius scripturae supradictae pro ut convenit ad ipsorum Dominorum Priorum et Consiliariorum plenam et claram intelligentiam: predicta omnia et singula pro ut gesta et facta sunt emologarunt approbarunt et ratificarunt et se contentos vocarunt. et dixerunt: omni meliori modo etc. . . . . spectatis viris Gaspare Jacobi, Ser Antonio Jacobi: Raynaldo Pauli: Petro Hieronymi: et Jampero Jannini Testibus ad predicta habitis rogatis et vocatis. Rogantes et mandantes dicte Partes mihi Vanni Notario et Cancellario infrascripto ut de predictis unum duo et plura ejusdem tamen tenoris conficere debeam Instrumentum et Instrumenta.

Et Ego Vannes Simonis de Sancto Angelo in Pontano: Publicus Imperiali auctoritate Notarius et in presentiarum Notarius reformationum et Cancellarius Communis, et Hominum Civitatis Racaneti: predictis omnibus et singulis dum sic agerentur presens fui et ea scribere rogatus scripsi, et publicavi: et ad fidem et robur omnium premissorum presentes meo solito signo munivi: ac sigillum mediocre prefate Communitatis apposui — Loco ✠ Signi dicti Notarij. —

— Loco ✠ Sigilli Civitatis Racaneti —

Ego N. Episcopus Racaneti et Maceratensis omnia suprascripta aprobo et confirmo quoniam omnia suprascripta facta sunt de consensu, et volun-

tate mea: et in fidem predictorum hanc litteram scripsi Manu propria, et Sigillo meo muniri feci. — Loco ✠ Sigilli dicti Domini Episcopi.

Predictis anno, Indictione et Pontificatu: die vero octavo mensis Decembris: qui fuit dies Conceptionis Virginis Mariae. Prefati Domini Vicarius, et Commissarius pro parte prefati Reverendissimi Domini Episcopi; ac Cives prenominati Deputati pro parte dicti Communis Racaneti: volentes finire terminationem predictam de dictis Terris Episcopatus mediante Territorio olim Montis Ursi, et nunc dicti Episcopatus Racaneti non finitam ob temporum incommoditatem ex pluvia: et prosequentes dictam terminationem: posuerunt unum terminum in capite vie Cogloni que venit a Portu respondentem ad terminum supra ultimo positum in collina, et via Costarum Archiani: qui terminus respondit ad terminum affissum; prope unam quercum existentem in pede Campi Cogloni laborati juxta paludem Cogloni: qui respondet ad terminum affissum recta linea in pede paludis praedictae et unius fovei venientis a summitate colline: ubi est fovea calcinaris et respondet recta linea per dictum foveum ad terminum qui positus est in via veteri in capite dicti fovei, et in summitate dicte colline calcinaris predicti: qui respondet ad alium terminum in summitate dicte Colline affissum, qui respondet ad alium terminum affissum in foveo Mossionis existentem in pede costarum calcinaris juxta dictas Costas: qui terminus respondet procedendo per dictum foveum ad alium terminum jacentem in limite dicti fovei in via qua itur ad Campum Soglarami: qui respondet procedendo semper per dictum foveum ad Catastam Molendinorum dirutorum in dicto foveo jam factorum, et transeundo dictam catastam: respondet per dictum foveum ad terminum jacentem juxta unam quercum existentem juxta ripam Mussionis veteris: qui respondet ad ultimum terminum jacentem prope unam quercum in pede Cupe della via de sanguineto. Volentes dicte partes dictis nominibus: quod dicti termini a primo ad ultimum positi: incipiendo a Castellari Cardeti usque ad flumen Mossionis veteris: sint illi qui dividant dictas terras Episcopatus et Montis Ursi olim, a terris Communis Racaneti omnibus aliis rejectis, et in contrarium facientibus non obstantibus: quibus ex certa eorum scientia penitus derogarunt omni meliori modo etc.

Actum in supradictis locis singula singulis referendo: presentibus Venerabili Viro Domino Antonio de Teramo Beneficiato in dicta Ecclesia Sanctae Mariae de Laureto: Johanne Mag. . . . . Marini de Racaneto: Lodovico Johannis et Moricono Petri de Villa Sanctae Mariae testibus ad predicta habitis, vocatis, et rogatis.

Et ego Vannes Simonis de S. Angelo in Pontano publicus Imperiali auctoritate Notarius et in presentiarum Notarius reformationum, et Can-

cellarius Communis et hominum Civitatis Racanati predictis omnibus et singulis dum sic agerentur presens fui et ea scribere rogatus scripsi et publicavi, et ad fidem signum meum consuetum apposui. — Et de voluntate M. D. P. dicte Civitatis presentes mediocri Sigillo dicti Communis roboravi. — Loco ✠ Signi dicti Notarii — Loco ✠ supradicti Sigilli Civitatis in medio. —

Ego N. Episcopus Racaneti et Maceratensis omnia suprascripta aprobo et confirmo sicut feci in Instrumento superiori: et in fidem predictam hoc Instrumentum ultimum subscripsi Manu propria, et sigillo meo muniri feci.—

Signum sigilli consumptum est: remanet macula rotunda relicta a cera, et impressione Sigilli.

XCVII.

E tabulario secr. Civit. Recanat.

1469. 5. Octobr.

In Dei nomine. Amen. Anno ejusdem a circumcisione Mill.° quatringentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda tempore Domini nostri Domini Pauli divina providentia Pape secundi die quinto Octobris. Inventarium jocalium Alme Virginis Marie de Laureto inceptum et completum dicta die de mandato Domini Episcopi Racanaten assistentibus et presentibus Dño F. Vicario prefati Episcopi Ser Antonio Jacobi et Marino Perjacobi de Rac. civibus deputatis per prefatum Dñum Episcopum, et Dños Priores prefate Civit. et scriptum per nos Ser Jacobum M.i Petrutij de Rac. Cancellarium prefati Episcopi et me Vannem Simonis de Sancto Angelo de Firmo Cancellarium prefati Communis Rac. presentibus Ser Claudio Ser Bonjoannis. Piernicolao Ser Jacobi — Pierlodovico Francisci de Rac. et pluribus aliis testibus ad predicta vocatis et rogatis et ipsa Jocalia — et paramenta — et res omnes infrascripte consignate Venerabili Patri Domino Petro Preposito Teramano — Gubernatori Alme Domus dicte Ecclesie — et presentibus et assistentibus venerabilibus viris domino Antonio Preposito Racan. — et dopno Antonio Petri Spene Canonico dicte Ecclesie — et Cappellanis residentibus in dictis domibus etc. unacum supradictis testibus.

Inprimis Calices de argento centumsex cum patenis de argento centumquatuor ponderis in summa librarum centumquinquaginta quinque cum dimidia.
Item duo tabernacula deaurata-et unum album.
Duo turibula unum deauratum-et aliud album.
Una cuppa cum pede alba cum armis Perusij.
Una spera deaurata.
Una imago mediocris Virginis Marie cum filio in brachio, et corona cum uno agno Dei ad collum cum bocton. de perlis et cordone de auro.
Item septem alie imagines Virginis Marie parve.

Item una figura Laurentii Petri Francisci de Medicis.

Item quindecim corone Virginis inter magnas - et parvas omnes de argento ponderis in totum librarum septuaginta duarum cum dimidia.

Item corona una de argento clausa et bipartita cum imaginibus Virginis Marie et Crucifixi cum armis Philippi Borromei de Mediolano cum diversis lapidibus pretiosis.

Item una tabulecta de argento cum imagine Virginis Marie cum reliquiis Sanctorum cum aliquibus perlis grossis.

Item una pax de argento cum imagine Sancti Jo. Baptiste cum aliquibus lapidibus pretiosis et perlis grossis.

Item una imago Virginis parvuncula tota de auro.

Item una crux de argento cum imagine Crucifixi — et quatuor Evangelistarum ab uno ab alio Virginis Marie.

Planete et Paramenta.

Inprimis unum paramentum ab altari brochatum de auro coloris viridis cum franciolis de sirico diversi coloris cum frontali insignito armis illustris dudum Blanche Marie Ducisse Mediolani.

Item unum piviale brochatum de auro coloris predicti cum frisiis de auro racamato cum armis predictis.

Item una planeta de dicto brochato cum frisiis de auro - et armis predictis.

Item una dalmatica cum tunicella de dicto brochato cum armis predictis

Item amictum - stole, cingula pro predictis paramentis cum duobus cuginellis et bursia pro corporalibus de dicto drappo.

Item unum pieviale damaschini albi figurati cum frigiis et figuris de auro circumcirca donatum per R. D. Card. de Ursinis.

Item una planeta brochata de auro coloris pavonatij cum frigiis figuratis a parte anteriori, et posteriori donata per Ill. D. Marchisianam Mantue.

Item una planeta quam olim donavit dominus Lodovicus de Melioratis velluti cremusini cum pomis de auro cum frisio a parte anteriori et posteriori.

Item alia planeta brochata de auro cum frisio a parte posteriori cum laboreriis cum perlis.

Item una planeta de damaschino albo figurato cum frisio coloris pavonatii brochati cum armis olim D. Blanche prefate.

Item una dalmatica cum tunicella de dicto damaschino - cum amicto - camisiis, et cingulis cum armis prefate Domine.

Item una planeta de damaschino rubeo figurato cum frigiis ant. et post.

Item alia planeta de velluto cremusino plano cum frigiis ant. et post.

Item alia planeta de velluto cremusino plano cum frigiis ant. et post.

Item alia planeta de dicto cremusino plano cum frigiis ant. et post.

Item alia planeta de drappo usitata.

Item alia planeta de crimusino raso cum armis illust. Ducis Mediolani.

Item alia planeta usitata de cremusino cum frigiis ant. et post.

Item alia planeta cremusina cum armis de Ursinis.

Item alia planeta de sirico rubeo cum frisiis viridibus brochatis.

Item alia planeta de arminis grigiata cum armis olim dicti Ducis.

Item alia planeta de sirico figurato cum frigiis diversorum colorum.

Item alia planeta de velluto nigro figurato cum frigiis a parte posteriori.

Item alia planeta de sirico rubeo figurato coloris crocei.

Item alia planeta usitata de velluto albo cum frigiis.

Item alia planeta de damaschino alba figurata cum frigiis.

Item alia planeta de drappo lucensi cum frigiis usitata.

Item alia planeta de damaschino albo cum frigiis.
Item alia planeta de velluto figurato albo et rubeo cum frisiis.
Item alia planeta usitata et riticellata de sirico albo cum campo nigro.
Item una umbrella de cremusino figurata que defertur super Corpus Christi cum armis PP. Pii et Communis Racan.
Item duo cusinelli de brochato violato usitati.
Item unum piviale album de damaschino figurato cum frisiis usitatum.

In Cappella et Sacello Alme Virginis. L.

Inprimis una corona in capite Virginis et una collana de argento.
Item Civitas Cremone - Ferrarie - et Firmi de argento posite in tabulis ante figuram Virginis Marie.
Item novem corone de argento posite ad ornatum et ante figuram prefate Virginis.
Item novem figure de argento sive imagines parve.
Item tres figure sive imagines parve Virginis Marie de argento.
Item tria crura de argento usque ad genu.
Item quatuor capita de argento mediocria.
Item tria corda de argento.
Item duo paria ferrorum de argento parva.
Item unum pectus argenteum parvum.
Item unum brachium usque ad humeros.
Item unam vessicham.
Item una spera posita per R. D. Vice Cancellarium.
Item una bombarda. — Item unus pes de argento.
Item certe manus et coularia - et alia offertoria parva de argento ad ornatum et ante imaginem prefate Virginis.

Inventarium librorum.

Inprimis Messales quatuor. — Item gradualia tria. — Item libri duo in cantibus figuratis. — Item unum Antifonarium in quinque voluminibus nocturnis - et diurnis. — Item dua psalteria in psalmis - et canticis.

Et ego Vannes Simonis de Sancto Angelo in Pontano de Firmo publicus imperiali auctoritate Notarius et Inpresentiarum Notarius reformationum et Cancellarius Communis et populi Civitatis Racan: predictis omnibus et singulis dum sic agerentur presens fui et unacum Ser Jacobo Notario supra descripto rogatus fui et aliis negotiis hujus Reipublice detentus predicta propria manu scribere non valens per alium mihi fidum scribere feci, et ad fidem me subscripsi, et signum meum apposui consuetum. — Loco ✠ Signi.

XCVIII.

Ex libro Instrumentorum Ven. Fraternitatis
S. Luciae de Racan. f.° LXXXXV.
1469. 6. Octob.

In Dei nomine Amen. Hec est quedam particula testamenti bone memorie olim infrascripti Reverendissimi Domini Episcopi Racanatensis etc. spectans ad Venerabilem Fraternitatem Sancte Lucie de Racanato, cum

prohemio dicti et reliquis necessariis, uti latius infra sequitur, videlicet:

In Dei nomine Amen. Anno ejusdem a circumcisione millesimo CCCC.° LXVIIII.° Indictione secunda; tempore Domini nostri, Domini Pauli divina providentia Pape secundi, die vero sexto mensis octobris. — Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus *Nicolaus quondam Cecchi de Astis* de Forlivio Dei et Apostolice Sedis gratia dignissimus Episcopus Racanatensis et Maceratensis sanus per gratiam Jesu Christi mente et sensu, licet corpore languens, timens divinum judicium et periculum mortis, et nolens decedere intestatus, ne de suis bonis aliqua discordia oriatur, de dictis suis bonis dispositionem per presens nuncupativum testamentum sine scriptis in hunc modum facere procuravit et fecit, videlicet:

Inprimis namque ejus animam commendavit Deo omnipotenti et beatissime ac gloriosissime Virgini Marie ejus pie Matri, beatoque Johanni baptiste, ac beato et glorioso Hieronimo, et omnibus Sanctis Dei: corpus autem ejus sepeliri jussit in Episcopali ecclesia sancti Flaviani de dicta Civitate Racanati, videlicet in ejus sepulcro novo sub altari, quod fieri fecit in Confessione dicte ecclesie. —

Obmissis plurimis legatis factis per dictum testatorem in dicto testamento sic sequitur, videlicet:

Item quia prefatus Dominus Episcopus testator habet quos emit in excelsa civitate Janue centum et decem et septem loca in monte sancti Georgii dicte civitatis, ideo de omnibus supradictis locis sibi heredem instituit et fecit Venerabilem fraternitatem Sancte Lucie de Racanato: de fructu quorum quidem locorum voluit dictam fraternitatem subvenire fabrice hospitalium dicte fraternitatis, et pro lectis pauperum Jesu Christi in ipsis hospitalibus degentium, et subventione et manutentione pauperum predictorum: et in maritagiis Orphanarum et in elimosinis miserabilium personarum, ac aliis piis operibus, prout et sicut ipsi fraternitati videbitur et placebit juxta laudabiles piosque mores dicte fraternitatis sine contradictione alicujus persone.

Item voluit et mandavit prefatus testator, quod nullus ejus heres ab eo institutus, vel non institutus debeat per aliquem modum uti falcidia, seu falcidiam detrahere de legatis per eum factis in presenti testamento, seu de institutione aut institutionibus per eum factis vel quomodocunque relictis in presenti testamento, in quibus omnibus seu de quibus expresse prohibuit falcidiam detrahi aut deduci aut aliquam aliam portionem seu detractionem.

Item jussit et voluit, quod supradicta relicta pecuniaria solvantur et satisfiant per infrascriptos suos fideicommissarios et executores de pecuniis, quas ipsi percipient de grano, vino, oleo et vestimentis, ac suppellectilibus

et aliis animalibus suis, nec non de argento, et anulis de auro, et pecuniis, et pannis lini, et libris ac aliis bonis et rebus, que reperientur tempore mortis dicti testatoris, de quibus omnibus potest testari vigore bullarum Apostolicarum sibi concessarum per olim sancte memorie dominum Nicolaum Papam quintum, uti latius patet per bullam olim prefati domini nostri Pape.

Obmissis quibusdam aliis et plurimis legatis in dicto testamento contentis sic sequitur, videlicet:

Insuper, quoniam, uti notorium est, prefatus Dominus Episcopus testator edificari et construi fecit locum beate Marie de Varano prope muros Racanatenses pro fratribus Observantie Sancti Francisci ad honorem Dei et ipsius Beati Francisci, pro salute et animarum consolatione totius populi prefate civitatis: et in eodem loco semper vigent boni religiosi et in bono numero, nil proprii possidentes, sed solum habent, quod a Christifidelibus pie eis erogatur, et ipse testator velit eorum indigentiis providere; idcircho prefatus Dominus Episcopus testator reliquit, jussit, et voluit, quod supradicta fraternitas Sancte Lucie omni anno teneatur dare ipsis fratribus in perpetuum tempore nundinarum duos pannos de gaptinello amore Dei pro indigentiis ipsorum fratrum, et unam vegetem a vino, maxime quia tempore festivitatis Alme Virginis de Laureto copiosa fratrum multitudo dicti ordinis ad dictum locum adveniunt, et pro toto anno duos florenos pro caseo, et duos alios florenos pro carnibus, prout dicta fraternitas hactenus facere consuevit: et ultra predicta omni mense teneatur eis dare quinquaginta bonenos in vim elimosine pro indigentiis dictorum fratrum residentium in loco predicto.

Et obmissis plurimis et quamplurimis aliis legatis in dicto testamento descriptis sic sequitur, videlicet:

Ad que omnia et singula supradicta solvenda et exequenda, et hujus testamenti executores et fideicommissarios esse voluit, deputavit, reliquit, et fecit spectabiles viros Ser Antonium Jacobi Mencioni, Ser Thomam Ser Gabrielis, et Marinum Perjacobi de Racanato, quibus prefatus Dominus Episcopus dedit plenam et liberam licentiam potestatem et facultatem tantum vendendi et alienandi, in solutumque concedendi, et tradendi de fructibus, animalibus, suppellectilibus, vestibus, ac de singulis aliis bonis et rebus omnibus usque ad integram satisfationem omnium supradictorum relictorum, et aliorum relictorum, si qua plura faciet, sine licentia et contradictione alicujus persone, Et quibus etiam suis executoribus et fideicommissariis et cuilibet ipsorum reliquit pro eorum labore quinque florenos monete, et unam vestem funeralem pro quolibet ipsorum.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, juribus, et actionibus, presentibus et futuris, ubicumque sunt et inveniri possunt,

Venerabiles Fraternitates Mercatorum et Sancte Lucie de Racanato sibi heredes universales instituit et fecit equis portionibus inter eas, ut valeant et possint subvenire, et elimosinas dare Christi pauperibus pro anima ipsius domini, voluit insuper et mandavit, quod quelibet ipsarum omni anno facere seu fieri facere teneantur in perpetuum unum officium seu anniversarium defunctorum pro ejus anima post ejus obitum in supradicta Ecclesia Episcopali, prout eis videbitur.

Et hanc suam ultimam voluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit jure testamenti; quod si jure testamenti non valeret vel non valebit, saltim valere voluit jure codicillorum vel alterius cujuscumque ultime voluntatis melius valere poterit: cassans, irritans, et annullans omne aliud ejus testamentum, codicillum, vel aliam quamcumque ejus voluntatem per ipsum dominum Episcopum factam vel factum, quibus omnibus voluit presens testamentum prevalere, et plenam tenere roboris firmitatem.

Actum Racaneti in domibus Episcopalibus positis in Quarterio Sancti Flaviani juxta res Episcopatus undique, presentibus Venerabili patre Domino fratre Andrea de Collina Ordinis Minorum: spectabili et facundo viro Ser Vanne Simonis de Sancto Angelo in Pontano Cancellario Communis Racaneti, Magistro Dominico Juliani aromatario, Baptista Ser Andree de Racanato, Constantino meo filio, et religiosis viris fratre Christophoro Johannis de Caldarola, fratre Stefano Bassiani de Laude, fratre Francisco Petri de Ancona, fratre Berardino domini Veneture de Civitate Castelli omnibus Ordinis Minorum, et pluribus aliis testibus ad predicta vocatis, et a dicto testatore rogatis.

Et ego Jacobus Magistri Petrutii de Racaneto, publicus apostolica et Imperiali auctoritatibus Notarius et judex ordinarius predictis interfui, et ea a dicto testatore rogatus scribere scripsi, et publicavi, signumque meum apposui consuetum.

S. N.

XCIX.

Archiv. DD. Altaristarum Ecclesiae Cathedralis N.° 76.

Item quia dictus testator habuit et habet, quos emit in excelsa et Illustrissima civitate Venetiarum pecunias in imprestitis prefate civitatis Venetiarum *octo milia ducatorum*, et etiam utilitates illis correspondentes que ibi vulgariter dicuntur *Prode*, de omnibus predictis pecuniis tam in imprestitis quam de omni utilitate seu prode, et de omni jure, quod habet vel habere potest seu in futurum habebit dictus testator, instituit sibi heredem, et fecit Collegium Altaristarum et ipsos *Altaristas majoris altaris supradicte ecclesie sancti Flaviani* Episcopatus Racaneti ad finem, quod utilitas et prode dictarum pecuniarum debeat distribui inter

predictos Altaristas, pro celebrando et dicendo horas canonicas et divinum officium in dicta ecclesia in singulis horis diurnis pariter et nocturnis secundum ordinem et formam per prefatum dominum Episcopum traditam ipsis Altaristis, et per ipsos Altaristas observari coeptam, et in dies continuatam jam annis plurimis, volens et mandans dictus dominus Episcopus testator, quod dicta distributio fieri debeat illis dumtaxat Altaristis, divinis officiis predictis et horis interessentibus et non aliter nec alio modo, et quod predicta pecunia et ejus utilitas sive prode ex illis, ut predicitur, proveniens ullo unquam tempore non debeat ad alium usum converti quam ad supra specificatum pro dicto divino officio et quotidianis distributionibus ut supra expressum est, et voluit et observari mandavit in perpetuum ad hoc ut divinus cultus non deficiat in dicta ecclesia, ymo de bono in melius augeatur et conservetur.

Item quoniam prefatus testator emit in monte magnifice civitatis Ancone *aliqua millia fllorenorum* scriptorum, pro quibus exposuit aliqua millia florenorum, de quibus habuit ottingentos florenos monete a spectabili viro Ser Antonio Jacobi de Racanato de domibus, stabulo, et orto et vineola, quas res dictus Ser Antonius emit a sindico supradictorum Altaristarum prout late constat manu mei Notarii infrascripti, ideo dictus Dominus Episcopus instituit sibi heredes supradictos Altaristas in predictis millibus florenorum scriptis, ex quibus omni anno solvuntur certe quantitates florenorum, de quibus idem testator voluit esse pro cotidianis distributionibus supradictorum Altaristarum pro divino officio, et decem floreni pro Cantoria dicte ecclesie, et duodecim floreni pro domino Pino de Astis nepote dicti domini Episcopi quousque retineat beneficium, quod idem dominus Episcopus testator instituit et fecit in ecclesia sancte Marie de Laureto, et postea dicti duodecim floreni incorporentur dictis distributionibus; et quindecim floreni pro domino Francisco Nicolai ejus Vicario omni anno dum visserit, et post ejus obitum etiam dicti quindecim floreni incorporentur in dictis distributionibus, et etiam ultra reliquit dicto domino Francisco ejus Vicario donec visserit, pensionem et usumfructum domus empte per dictum dominum Episcopum a Jacobino Aromatario habitatore in villa Sancte Marie de qua emptione patet manu mei Notarii infrascripti, et post ejus mortem similiter dicta domus deveniat in dictis distributionibus.

C.

E bastardello Ser Jacobi M. Petrutii 1469. *f.°* 98.

Dicta die VI.° (Octobr. 1469.) et post conditum testamentum per prefatum dominum Episcopum de quo plene patet manu mei Notarii infrascripti licentiatis per supradictum dominum Episcopum omnibus existen-

tibus in supradicta camera, et remanentibus de ejus mandato in loco predicto solum spectabilibus et circumspectis viris *Bernabeo Ser Nicolai,* et *Jacobo Jannini* officialibus montis pietatis communis Racanati, et *Johannino de Aleis* eorum collega, et ser *Antonio Jacobi, ser Thoma ser Gabrielis* et *Marino Perjacobi* omnibus de Racanato, et spectabili et facundo viro *Ser Vanne Simonis* de Sancto Angelo de Firmo Cancellario communis et me *Jacobo* Notario et Cancellario sue Reverendissime Paternitatis et dominationis, et omnibus nobis dedit sacramentum ut hec retinere deberemus in secretum donec sua dominatio viveret, et de omnibus infrascriptis rogavit prefatum Cancellarium et me, et in testes vocavit et rogavit supradictos Ser Antonium, Ser Thomam, et Marinum, et dixit et exposuit qualiter sua Dominatio habuerat a certis Reverendissimis dominis Cardinalibus et Prelatis ecclesie et ab aliis diversis devotis ecclesie gloriosissime Virginis Marie de Laureto plurimas ducatorum quantitates et cum videat se infirmum, et dubitet de morte, et per consequens vult providere, ne dicte denariorum quantitates ad alium usum quam pro continuanda fabrica gloriosissime ecclesie predicte, ideo de illis et suis dixit operam effectualem dare, ut predicta exequantur, et duxit nos omnes ad quandam cassettam de ligno, que est in studio camere sue solite residentie, quam aperire fecit, et ex ea manibus propriis extraxit duas sacchettas, que erant quasi plene, et erant ligate, et petiit a me ceram rubeam et accipiens ejus anulum de auro cum armis prefati domini Episcopi, quem habebat in scarsella, quam habebat in centura, sigillavit dictas sacculas in nodo clausure cujuslibet earum, et dedit dictis officialibus montis, dicens: accedite omnes, et ponatis in cassa montis predicte, et dispensetis eos solum in continuatione dicte fabrice, etc. et dixit, quod quantitates recluse in predictis sacculis erant duo millia ducatorum de auro etc., et cum benedictione licentiavit nos omnes, et predicti officiales promiserunt exponere fideliter in fabrica predicta, et statim accessimus ad dictum montem communis, et predicte saccule fuerunt posite in cassa montis et recluse in quodam ciliarolo casse predicte etc. Post que die VIIII. ejusdem congregato magnifico Concilio Communis prefate Civitatis, in quo interfuerunt Magnifici domini Priores populi dicte Civitatis, et ultra duas partes Consiliariorum prefate Civitatis, et presente et assistente Venerabili et eximio utriusque juris Doctore domino *Nicolao Trivisano* de Venetiis honorabili Spirituali provincie et etiam presente Ser Vanne Cancellario supradicti Communis unamecum rogato etc. fuerunt portate supradicte sacchette dicti olim domini Episcopi per supradictos officiales de monte, et ante omnia fuit revisum sigillum supradicti domini Episcopi in eis impressum et recognitum et affiguratum per ostensionem anuli prefati olim domini Episcopi, quem portavit supradictus dominus Spiritualis una cum execu-

toribus supradictis, et demum dissigillate supradicte sachette, et palam numeratis ducatis in eis existentibus per supradictum Cancellarium Communis et in effectu omnibus discussis in evidenti fuerunt et reperti ducati duo millia et duodecim de auro in diversis cugnis, etc. et dicti domini officiales in eisdem saccolis reportaverunt in dictam cassam etc. et sub custodia eorum etc.

CI.

Ex Protocollo E. Ser Jacobi M. Petrutii Racanat. f.° 139.

1469. 10. Octob.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione 1469. Indictione secunda, tempore D. N. D. Pauli divina providentia Pape secundi, die vero X. mensis Octubris. Cum defuncto bonae memoriae olim Reverendissimo in Christo Patre et D., D. N. dignissimo quondam Episcopo Racanatensi et Maceratensi, et ejus corpore ecclesiasticae tradito sepulturae, infrascripti Venerabiles et circumspecti viri, Dominus *Petrus de Aleis* Praepositus Ecclesiae Sancti Viti de dicta civitate Racaneti, et Vicarius Capituli Racanatensis, et venerabilis Decretorum Doctor Dñus *Johannes Nicolai de Racanato,* Dñus *Franciscus Nicolai* olim de Fano et nunc de Racanato, Dñus *Antonius Crutiani,* Dñus *Marinus Augustini,* Dñus *Bartholomaeus Antonii* omnes de Racanato, et dominus *Jacobus Vici* de Montegranario olim, et nunc de Racanato, omnes Canonici dictae Ecclesiae Racanatensis convenientes in unum sicuti oves errantes, quae pastoris optimi sunt solatio destitutae, volentes, ut tenentur, ad *electionem novi Antistitis* et Pastoris praefatae Racanatensis Ecclesiae *procedere,* ne predicta Ecclesia aliquod detrimentum in spiritualibus et temporalibus patiatur: et omnes unanimi voluntate et pari voto tractantes de dicto novo pastore et Antistite eligendo, pie ac devote invocata spiritus sancti gratia, ut illum in animo eorum poneret, qui ecclesiam ipsam et commissum sibi populum salubriter regeret et gubernaret in omnibus et per omnia, prout convenit optimo praesuli et pastori saltem prout gessit et fecit praefatus olim pius pater supradictus olim Episcopus; et considerantes vitam et mores laudabiles integritatem scientiam et bonitatem Venerabilis et Reverendi Patris ac praestantissimi utriusque Juris Doctoris Domini *Nicolai Trivixano* spectabilis et generosi quondam viri domini *Benedicti Trivixano de Venetiis* in praesentiarum honorabilis *judicis super spiritualibus provincie Marchiae* pro supradicto Domino nostro Papa cujus providentia et innata bonitate praefata Ecclesia et supradictus populus salubriter regeretur et gubernaretur. Praefatum itaque Dominum *Nicolaum Trivixano* elegerint et nominaverint. Idcirco praesenti die, quo finitae sunt exequiae dicti olim

domini Episcopi, supradicti omnes et singuli non recedendo a dicta electione, sed potius confirmando eam et approbando, iterum et denuo invocata Spiritus sancti gratia, praefatum Dominum Nicolaum tanquam idoneum, sufficientem et benemeritum in Episcopum et pastorem praefatae Ecclesiae Racanatensis et pertinentiarum et jurium ejusdem unanimi voluntate et pari voto et nemine discordante elegerunt, nominaverunt et deputaverunt: ad Omnipotentis et immortalis Dei, et ejus piae Matris Virginis Mariae et Beati Flaviani, sub cujus vocabulo dicta Ecclesia est fundata et totius coelestis curiae triumphantis laudem et honorem hoc modo et omni alio meliori modo, jure, causa, et forma, quibus haec praesens electio melius valere et tenere valeat pleno jure rogantes et mandantes omnes praedicti, quatenus de praemissis unum et plura conficere debeam instrumentum et instrumenta.

Actum Racanati in supradicta Ecclesia Racanatensi praesentibus honestis viris dompno Antonio Constantini presbytero et Mateo Thomae Clerico Racanatens. testibus ad praedicta vocatis et rogatis.

CII.

Ex libro Instrument. Ven. Fraternit. S. Luciae de Racan. f.° 97.

1470. 17. Januar.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione 1470. indictione tertia, tempore Dñi nostri Domini Pauli divina providentia Pape secundi die vero decimo septimo mensis januarii. Cum prefatus Dominus Noster Papa deputaverit constituerit et ordinaverit Reverendum in Christo patrem et dominum dominum F. Dei gratia Episcopum Parentinum gubernatorem et administratorem Ecclesiarum Racanatensis et Maceratensis in spiritualibus et temporalibus: et inter cetera sue Paternitati et Dominationi facultatem ac potestatem plenarie concesserit tam vigore bullarum suae gubernationis et administrationis: quam etiam specifica commissione et concessione sibi facta per eundem dominum nostrum Papam ejus vive vocis oraculo in presentia Reverendissimi in Christo patris et domini domini Marci tituli Sancti Marci sancte Romane Ecclesie dignissimi Cardinalis Vicentini vulgariter nuncupati et Reverendi patris domini Petri Luxiardi prefati domini nostri Pape Cubicularii et Commissarii super confirmatione vel infirmatione testamenti bone memorie olim Reverendissimi in Christo patris et domini domini N. de Astis eadem gratia Episcopi Racanaten. et Maceraten. et dispensatione bonorum ejusdem olim domini Episcopi facienda et augendis legatis familie sue factis per ipsum quondam Dominum Episcopum, prout ipsi domino Administratori equum et honestum fieri videbitur. Quapropter prefatus Dominus Administrator volens supradicta sibi commissa debite executioni mandare prout tenetur, auctoritate igitur apostolica sue domi-

nationi concessa, inprimis intellectis et cognitis fidelibus et diuturnis servitiis diu exhibitis prefato olim Dño Episcopo per familiares suos cum presentia et consensu supradicti Domini Petri fecit et auxit dicta legata, prout et sicut inferius continetur. Et insuper concessit Venerabilibus Fraternitatibus Mercatorum et *Sancte Lucie* de Racanato relictis heredibus residuariis per prefatum dominum Episcopum in suo ultimo testamento ut dicitur minus valide condito loco dicte hereditatis eis relicte de residuo hereditatis aliorum bonorum a legatis et aliis specificis et expressis institutionibus in ipso testamento per ipsum olim dominum Episcopum factis omnes et quoscumque pannos laneos et medietatem pannorum lineorum prefati olim domini Episcopi contentos et descriptos in inventario de bonis prefati olim Episcopi, ut non frustrarentur, et prejudicetur elimosinis fiendis secundum dispositionem testamenti ipsius olim domini Episcopi. Et amplius auctoritate apostolica predicta ratificavit, emologavit, autenticavit, corroboravit, validavit et approbavit omnia relicta facta Collegio Altaristarum majoris altaris prefate Ecclesie Racanatensis ad augumentum divini cultus de omnibus denariorum summis, quos prefatus olim dominus Episcopus habebat in imprestitis excelse et illustrissime civitatis Venetiarum et de utilitatibus illis correspondentibus, et etiam de omnibus denariorum quantitatibus quos prefatus olim dominus Episcopus habebat in monte civitatis Ancon. et de fructu seu utilitatibus illis correspondentibus, pro cotidianis distributionibus et aliis prout et sicut in dicto testamento continetur in omnibus et per omnia: et similiter concessit predicte Ecclesie Racanatensi eadem auctoritate apostolica libros prefati olim domini Episcopi ad construendam unam librariam ad usum Clericorum ecclesie predicte: necnon concessit sacristie prefate ecclesie Racanatensis omnia tabernacula de argento, pivialia, planetas, et omnia bancalia spallerias, et dappeta et tres pannos de Razza prefati quondam domini Episcopi ad perpetuum ornatum et decorem dicte ecclesie. *Insuper prelibatus dominus Administrator* eadem *auctoritate apostolica* et ex commissione et concessione ut supra dicitur sibi facta per prefatum dominum nostrum Papam *ratificavit,* emologavit, autenticavit, validavit, et *approbavit relictum seu institutionem factum* et factam supradicte *Venerabili Fraternitati Sancte Lucie* de Racanato *de centum et decem et septem locis,* que supradictus olim dominus Episcopus in *monte sancti Georgii excelse et illustris civitatis Janue* et de fructu ipsorum locorum juxta et secundum tenorem testamenti prefati olim domini Episcopi in omnibus et per omnia. Necnon prefatus Dominus Administrator ratificavit, emologavit, et approbavit relicta facta per eundem olim dominum Episcopum Fraternitatibus Judicum et Notariorum et Calzolariorum et Sancte Marie de Castronovo et sancti Jacobi de Racanato de viginti quinque flo-

renis monete pro qualibet ipsarum Fraternitatum pro fabrica hospitalium ipsarum Fraternitatum: et nonnullas alias elimosinas prefatus dominus Administrator amore Dei et pro anima prefati olim domini Episcopi miserabilibus personis pie elargitus est, uti per ordinem plene patet manu mei Notarii infrascripti.

Actum Racanati in domibus episcopalibus Racanaten. presentibus spectabili Comite Petro de Aleis de Florentia cive Racanaten., et spectabilibus viris Marino Pierjacobi, Baptista Jacobi Senza sangue, Dominico Juliani Aromatario, Ser Antonio Ser Christophori omnibus de Racanato et multis aliis venerabilibus personis testibus ad hec habitis, vocatis, et rogatis.

Et ego Jacobus Magistri Petrutii de Racanato publicus Apostolica et Imperiali auctoritatibus Notarius et judex ordinarius predictis interfui, et ea rogatus scribere scripsi et publicavi signumque meum apposui consuetum.

S. N.

CIII.

Ex Archivo secreto civitatis Racanat.

1470. 12. Febr.

Paulus Episcopus servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem. Super ethereas sublimata virtutes et celestium spirituum choros incomparabilis Virginum exaltata inclita Regina celorum, Dei genitrix gloriosa, cujus humilitatem summi Patris providentia ab eterno respiciens pro reconcilianda suo auctori generis humani natura lapsu primi hominis eterne morti obnoxia eam sui Unigeniti habitaculum sancti Spiritus preparatione constituit, ex qua carnem nostre mortalitatis in redemptionem populi sui assumeret, et immaculata Virgo post partum nihilominus permaneret: tanto quidem super omnes creaturas majori veneratione a cunctis debet fidelibus honorari, et sacra Dei templa in ipsius honorem dedicata indulgentiarum decorari muneribus, quanto ipsa misericordie mater, Angelorum Domina, militantis Ecclesie et totius seculi advocata veluti terrene potentie gubernatrix, et cunctorum in quacumque pressura refugium, inter omnes benedicta mulieres, majoribus meritis, et benedictionis gratia insignita existit, et per eam humano generi eterna salus apparuit. Cupientes itaque Ecclesiam B. Marie de Laureto in honorem ejusdem Sacratissime Virginis extra muros Racanat. *miraculose* fundatam, in qua sicud fide dignorum habet assertio, et universis potest constare fidelibus, ipsius Virginis gloriose *ymago angelico comitante cetu mira Dei clementia collocata est*, et ad quam propter innumera et stupenda miracula que ejusdem meritis et intercessione singulis ad eam devote recurrentibus et ipsius patrocinium

cum humilitate poscentibus Altissimus operatus est hactenus, et operatur in dies ex diversis mundi partibus *etiam remotissimis* ejusdem sacratissime Virginis liberati presidiis populorum confluit multitudo, cuique nos ob preclara ipsius Matris Dei merita ab ineunte etate ultra communem mortalium modum semper devotissimi ac affectissimi fuimus, quemadmodum par est, congruis honoribus frequentari, et ut fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et pro conservatione ipsius Ecclesie ac illius ornamentis manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem celestis dono gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui singulis dominicis proxime future quadragesime ac majoris ebdomade, que sancta appellatur etiam singulis diebus eandem ecclesiam devote visitaverint, et pro ipsius fabrica, conservatione vel ornamentis hujusmodi sive alias, manus porrexerint adjutrices, omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, plenam absolutionem, remissionem et indulgentiam concedimus et pariter elargimur, presentibus exacta quadragesima supradicta minime valituris, a quibus Bullam sive plumbum completa dicta quadragesima penitus mandamus abscindi. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarn. dominice millesimo etc. 1469. pridie idus februarii Pontificatus nostri anno sexto.

F. de Placentinis.

CIV.

Ex Arch. secreto civitatis Recanati N.° 223.

1470. 19. Febr.

Universis et singulis Reverendissimis in Christo Patribus et Dominis Dominis Archiepiscopis, Episcopis necnon Illustribus et excelsis Dominis: Dominis quarumqumque Civitatum et Terrarum quibus he fuerint presentate: — Priores populi et comune civitatis Racaneti. Cum Reverentia et commendatione Salutem et Animum semper ad grata paratum: — Cum Sanctitati D. N. Pauli ab ineunte etate et hoc maxime tempore: quo in terris Jesuchristi redentoris nostri Vices non immerito tenet nota fuerint et sint innumerabilia et stupenda miracula que idem redemptor noster precibus et meritis sue intemerate matris Virginis Marie ad augmentum et confirmationem Fidei nostre catholice: In ALMA ECCLESIA GLORIOSE VIRGINIS MARIE DE LAURETO sita in territorio nostro in omnes christifideles terra — marique ostendit et quotidie cum frequentia tanta — et veneratione demostrat. Et prefate Sanctitatis (ut optimi Pastoris est) Officium et partes sunt Christifideles in devotione christiane religionis et fidei —

animarumque salute accendere: et vocare — gregemque Sue Sanctitati commissum a tramite Veritatis errantem: in viam et portum salutis pro viribus reducere: ne fidelium anime: quas Jesus Christus Dominus noster in crucis patibulo suo pretiosissimo sanguine redemit ad inferni eternos cruciatus deducantur: Proinde divina gratia et misericordia inspiratus: ad salutem dictarum animarum — et excellentiam visionemque TOT STUPENDORUM SIGNORUM: QUIBUS SACELLUS MEMORATUS tanta copia refertus est: Omnibus vere penitentibus et confessis: qui limina prefate Ecclesie visitaverint per totam futuram Quatragesimam (ut ex indulto apostolico dilucide apparet ad quod nos referimus) remissionem plenariam omnium suorum peccatorum auctoritate et gratia Dei omnipotentis et principum Apostolorum petri et pauli — ac etiam de plenitudine potestatis Sue Sanctitati divinitus attribute misericorditer concessit — et pariter condonavit. Nos vero volentes hanc salutis portam omnibus fidelibus innotescere: te ipsorum animas ad eterna gaudia convocare: Omnes et singulos Dominos prefatos: quibus he nostre fuerint presentate cum reverentia: et humilitate rogamus respectibus antedictis: et ob gloriam: et reverentiam prefate Virginis: ut dictum JUBILEUM et indulgentiam in locis vestris preconizare et annuntiare faciatis. Que res et si Deo accepta erit et gloriose virgini Marie: que omnium peccatorum advocata est: nobis tamen cedet ad gloriam plusquam singularem: In quorum fidem: et probatissimum testimonium presentes fieri — et nostro quo utimur majoris sigilli impressione Jussimus roborari: copiamque dicte Bulle publicam et autenticam D. V. cum presentibus presentari. Datum Rachaneti in palatio nostre solite residentie die XVIIIJ. Mensis Februarii M. CCCCLXX.

Loco ✠ Sigilli

Vannes Angelita de Firmo
Canc. Racan. subscripsi.

CV.

E protocollo E. Ser Jacobi M. Petrutii Not. Racanat. f.° 185.

1471. 22.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione 1471. Indictione quarta, tempore D. N. D. Pauli divina providentia Pape secundi, die vero 22. mensis. Convocato et coadunato *capitulo Venerabilium Altaristarum majoris altaris Episcopalis ecclesie Racanatensis* de mandato Reverendissimi in Christo patris et domini domini F. Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopi Parentini, et pro supradicto S.^{mo} D. N. D. Paulo supradicto supradicte Ecclesie Racanatensis et Maceratensis ad invicem unitarum in spiritualibus et temporalibus Administratoris et gubernatoris in domibus

Episcopalibus: In quo quidem Capitulo interfuit praefatus Reverendissimus Dominus administrator, et infrascriptus *Dñus Praepositus dictae Ecclesiae videlicet Dñus Antonius Pauli de Tholomeis* de Teramo civis Racanatensis, et infrascripti Domini Altaristae, videlicet Venerabilis Decretorum Doctor Dominus *Johannes Nicolai,* Donnus *Antonius Philippi,* D. *Franciscus Nicolai,* Donnus *Marinus Augustini,* Donnus *Bartholomaeus Antonii,* Donnus *Jacobus Vici,* Donnus *Leonardus Antonii,* Donnus *Ludovicus Christophori,* Donnus *Johannes Braccii,* et Donnus *Johannes Bartholomaei de Callio,* et absentibus solum de residentibus in praesentiarum in dicta civitate Racanat. *D. Antonio Crutiani,* et Donno *Francisco Ciaptoni* etiam Altaristis dictae Ecclesiae tamen vocatis: in quo quidem Capitulo praefatus dominus Administrator sciens, uti sua Dominatio dixit, bonae memoriae quondam Reverendum in Christo patrem et dominum Dominum N. olim Episcopum Racanatensem et Maceratensem amovisse Donnum *Antonium Johannis Accursii* de Racanato etiam Altaristam dicti altaris de quotidianis distributionibus dictae Ecclesiae, et quod propter ejus absentiam divinus cultus patitur detrimentum etc. demum in continenti supradictus Dominus Administrator cum consensu et unanimi voluntate supradictorum Dominorum Praepositi et Altaristarum et nemine eorum contradicente, fecit, edidit, et ordinavit infrascriptam *constitutionem, super dictis cotidianis distributionibus* tenoris et continentiae hujusmodi, ut infra apparet, videlicet:

Cum fragilitas humanae conditionis adeo sit avida, ut habenis juris et honestatis facile non patiatur regi et gubernari, quin continuo fraudibus subdolis et variis non laboret, et conetur adversus constitutiones majorum maxime, quae ad honorem et augumentum divini cultus sunt institutae. Ideo nos *Franciscus Mauriceno* Dei et Apostolicae Sedis gratia *Episcopus Parentinus* pro Sanctissimo D. N. Domino Paulo divina providentia Papa secundo Ecclesiarum Racanatensis et Maceratensis in spiritualibus et temporalibus Administrator et gubernator, intelligentes hactenus per recolendae memoriae Reverendum in Christo patrem et dominum dominum Nicolaum quondam Episcopum Racanatensem et Maceratensem fuisse ordinatas certas distributiones cotidianas, animo et intentione ut ex decem et octo Altaristis ipsius Ecclesiae Racanatensis saltim duodecim praesentes, qui continue in divinis officiis interessent, participarent de eisdem distributionibus ordinatis, quo melius dictae Ecclesiae Racanatensi in horis divinis nocturnis pariter et diurnis copiosius officiaretur; et jam experientia ipsa comperimus ex dictis duodecim Altaristis solum quatuor aut sex, ad dicta divina officia convenire horis praedictis cum magno detrimento dicti cultus divini. Volentes igitur, ut tenemur ex debito nostri officii, hujusmodi defectui

remedium adhibere opportunum, praesenti constitutione statuimus et ordinamus, quod per ipsos Altaristas non possit aliquis describi, qui non sit praesens et aptus dictis divinis officiis interesse posse: et quod absentibus aliquibus ex dictis duodecim Altaristis ordinatis antiquioribus, alii supernumerarii antiquiores succedant dictis absentibus, quousque redierint ad ipsam residentiam continuam, vel saltim ad longum tempus faciendum, quod intelligatur secundum intentionem sive interpretationem praelati praedictae ecclesiae: et supervenientibus aliquibus de XII. absentibus ad dictam residentiam continuam vel saltim ad dictum longum tempus ut supra dicitur, alii supernumerarii loco ipsorum cedant.

Qua quidem constitutione lecta per me Jacobum Notarium et Cancellarium infrascriptum de mandato praefati Dñi Administratoris, supradicti Domini Praepositus et Altaristae dictam constitutionem omnes et singuli acceptaverunt nemine discordante.

Acta sunt haec in supradictis domibus Episcopalibus, praesentibus Persimone Stefani clerico Racanatensi, et Claudio Imberti de Francia familiari praefati Dñi Administratoris testibus etc.

CVI.

Ser Jacob. M. Petrutii

1471. 3. Octob.

In Dei nomine amen. Anno ejusdem a circumcisione 1471. indictione quarta, tempore S. D. N. Sixti divina providentia Pape quarti, die vero tertia mensis Octobris. Infrascripta sunt pacta et conventiones habita et facta inter spectabilem et praeclarissimum Legum Doctorem *D. Angelum de Sutri* Commissarium praefati D. N. Papae et nomine et vice Reverendissimi in Christo patris et D. D. A. dignissimi Episcopi Racanaten. et Maceraten. ex una parte, et magistrum *Marinum Marci de Venetiis* muratorem et fabricatorem in fabrica Ecclesiae gloriosissimae Virginis Mariae de Laureto ex parte altera, presentibus Ven. et circumspecto viro D. Francisco Nicolai Canonico Racanaten. et praefati Reverendissimi D. Episcopi in spiritualibus et temporalibus in Episcopatu Racanatensi Vicario, et D. Antonio Praeposito Racanaten. Et scribuntur hic infra sermone vulgari, quia ipsae partes voluerunt hujusmodi, sub tenore videlicet:

In prima promecte el prefato Maestro Marino di Marco de Jadrino da Vinezia fabricatore della fabrica della detta Chiesa de fare e fabbricare, e fare fare, e fabricare le mura della detta Chiesa da sole verso Montesanto per ducato uno d'oro per canna, como è stato usato per lo passato.

item s'è da mesurare lo dicto muro vacuo, cioè fenestre e porte, como è usanza et altri vacui como fosse necessarii per pieno del dicto lavoriero.

item se obliga de darli le colonne e facte e pulite per lo dicto laùro da doverse mensurare le dicte colonne ad canne, como l'altro decto muro da non doverse mensurare el vacuo che intra infra l'una colonna et l'altra per insino alle poste delle volte, et dalle poste in su quello vacuo che centro fino alle cime delle volte per pieno.

item se obliga fare cavare l'acqua delle cisterne fino che ce ne sarà per bagnare la calcina e prete e le mure, e mancanno l'acqua de le cisterne, glie se de' far portare l'acqua necessaria alle spese della Chiesa.

item che la casa le de' dare tutte le cose necessarie allo fornimento de lo dicto lavoro como se costuma.

item durante lo detto lavorero la casa è tenuta dare le spese al dicto mastro Marino e lo suo cavallo, e darli la camora per suo uso, e cinque letti per li sui lavorenti.

item che la casa è obligata dare al predetto maestro Marino finito lo dicto lavoro della dicta tribuna, overo in capo dell' anno tanto pagonazo de grana li basti per un buono mantello.

item se obliga lo dicto maestro Marino per tutti suoi lavorenti pigliare della casa grano o farina, vino, et olio, quanto glie bisognerà ad quel prezzo, che corre in la villa, lo quale prezzo se deve scontare in lo dicto lavoro.

item che lo sopradicto maestro Marino promette et obliga se fare el dicto lavoro della tribuna e mura, et commettere le dicte colonne bene e politamente ad judicio de sapienti e buoni maestri.

Promittente le dicte parti le sopradecte cose l' un e l'altra attendere et observare et non venire contra socto la pena et ad la pena de doicento ducati d'oro da applicarse alle parte observante, costituendose lo dicto Maestro Marino ubique locorum le predicte cose observare, et pro observatione praedictorum idem magister Marinus obligavit omnia sua bona et praesentia et futura. etc.

CVII.

Archiv. secret. civitatis Recanat.

1476. 26. Nov.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam: Licet ex debito summi Pontificatus, cui disponente Domino praesidemus, circa ecclesiarum quarumlibet statum salubrius et prospere dirigendum nos deceat esse intentos, ad *ecclesiam tamen Beate Marie* de Laureto Racanaten. dioc. tanto libentius nostros oculos convertimus, *quo inter alias orbis ecclesias singulari devotione assiduisque miraculis et amplissimis hedificiis splendet,* dignum quin potius debitum reputamus, ut ipsam ec-

clesiam gratiosis prosequamur impendiis, ac indulgentiarum muneribus et specialibus privilegiis decoremus. Hinc est, quod Nos volentes ecclesiam prefatam et illius pro tempore ministros seu personas spiritualibus et temporalibus ei diservientes et inhibi residentes favore prosequi gratioso, motu proprio ac ex certa scientia et de nostrae plenitudine potestatis ecclesiam praefatam una cum Ministris seu personis suis praedictis, necnon illius membris, rebus, ac juribus quibusqumque praesentibus et futuris perpetuo ab omni jurisdictione, superioritate, dominio, potestate, correctione et visitatione Venerabilis fratris nostri Episcopi Racanatensis et aliorum quorumcumque ordinariorum judicum auctoritate apostolica tenore presentium penitus et omnino eximimus et totaliter liberamus, Ecclesiamque hujusmodi in jus et proprietatem Beati Petri et ejusdem Sedis, et sub eorum speciali protectione atque nostra suscipimus, decernentes eam ac illius ministros seu personas, atque membra, bona, res, et jura predicta fore eidem Sedi immediate subjecta, ipsaque ad dictam ecclesiam B. Mariae una cum illorum fructibus, redditibus, proventibus, et obventionibus universis, nec non oblationibus, et legatis quibuscumque sibi quomodocunque et quandocumque factis et faciendis seu alias ad eam provenientibus plenarie et integre, et absque ulla prorsus deductione quartae seu decimae aut cujusvis legitimae legatorum seu oblationum hujusmodi spectare et pertinere, ac nullatenus ad Episcopum et ecclesiam Racanatensem, quodque Episcopus et alii judices ordinarii predicti ratione delicti vel quasi, aut rei de qua agetur, ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in Ecclesiam, ministros, seu personas, membra, bona, res, jura et alia predicta possint jurisdictionem, potestatem seu dominium quomodolibet exercere, cassantes et irritantes omnes et singulos processus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in ecclesiam, ministros, seu personas, membra, bona et jura, ac alia hujusmodi haberi seu promulgari contigerit, et omnes facultates, seu privilegia et litteras apostolicas etiam motu et scientia similibus per nos aut Predecessores nostros Romanos Pontifices et presertim per felicis recordationis Nicolaum PP. V etiam predecessorem nostrum tam dilectis filiis populo et Communitati civitatis nostrae Racanatensis, quam eidem Episcopo et quibusvis aliis personis super rebus, bonis, et oblationibus hujusmodi ac ejusdem ecclesiae jocalibus, illorumque custodia seu conservatione aut administratione habenda concessa; quas quidem litteras et privilegia ad conservationem seu custodiam ac curam et administrationem hujusmodi de cetero se extendere nolumus, nec in eis aliquod robur et firmitatem obtinere. Preterea de ministris ad curam et regimen in spiritualibus et temporalibus predicte Ecclesie B. Marie providere volentes eadem auctoritate statuimus et ordinamus, ut inibi per dictam Sedem et ad ipsius nutum preficiantur

duo circumspecti viri, unus videlicet sub titulo Vicarii ad spiritualia, alius vero Gubernatoris ad temporalia ad fabricam ipsam cum octo Cappellanis bonae et laudabilis vitae per dictum Vicarium eligendis et pro ipsius nutu amovendis cum emolumentis per eos percipi solitis, qui in dicta ecclesia beate Marie actu residere et singulis diebus missas et alia officia devote celebrare, et unam ad minus sollempniter decantare teneantur. Cupientes autem, ut ecclesia predicta a Christi fidelibus magis frequentetur, et in suis hedifitiis perfici, ac in illius ornamentis augeri possit. Et ut fideles ipsi eo libentius manus porrigant adjutrices, quo ad hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, motu et scientia ac potestate predictis confirmamus omnes et singulas indulgentias eidem ecclesie per Romanos Pontifices predecessores nostros concessas, et nihilominus volentes uberioribus decorare indulgentiis de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis qui eandem Ecclesiam B. Marie a primis Vesperis Vigilie Nativitatis ejusdem usque et per totam festivitatem ipsius devote visitaverint annuatim, et ad illius hedificiorum fabricas, perfectionem, conservationem, restaurationem, et ornamentum manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam auctoritate apostolica tenore presentium elargimur: et insuper ipsi fideles ad dictam ecclesiam B. M. confluentes conscientie pacem et animarum salutem Deo propitio consequantur, necnon indulgentie hujusmodi facilius participes esse valeant, benignius agere volentes dilectis filiis Vicario et Cappellanis pro tempore existentibus et aliis, quos idem Vicarius inibi in casu necessitatis ultra predictos deputabit, ut eorundem fidelium ecclesiam ipsam B. M. causa indulgentiae hujusmodi consequendae visitantium confessiones audire, eisque diligenter auditis, ipsis et eorum cuilibet pro commissis per eos criminibus et delictis ac peccatis omnibus, etiam in singulis casibus sedi seu sedem apostolicam predictam invasionis, depredationis vel occupationis aut devastationis terrarum Romane Ecclesie mediate vel immediate subjectarum, parricidii, offensae personalis in Episcopum vel alium Prelatum, ac etiam invasionis Romipetarum seu quorumcumque aliorum ad Romanam Curiam venientium, prohibitionis devolutionis causarum ad dictam curiam, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impositionis novorum onerum realium vel personalium ecclesiis vel ecclesiasticis personis, simonie super ordinibus vel beneficiis assequendis in eadem curia vel extra eam contracte, et generaliter in casibus contentis in bulla, quae consuevit in die Cene Domini per nos et predecessores nostros Romanos Pontifices publicari, debitam absolutionem auctoritate nostra in forma ec-

clesie consueta impendere, et penitentiam salutarem injungere, nec non vota quecunque, ultramarino ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum de urbe, Sancti Jacobi in Compostella ac Religiosis votis dumtaxat exceptis in fabricam, perfectionem et restaurationem ipsius ecclesie et ornamentorum conservationem hujusmodi commutare, eosque ab illis penitus absolvere libere et licite possint et valeant plenam et liberam auctoritate prefata concedimus facultatem. Ceterum ordinem, atque modum circa custodiam, oblationum hujusmodi prebere volentes, statuimus pariter et ordinamus, ut oblationes ipsae poni et recondi debeant in suis cassis solitis sub tribus et diversis clavibus, quarum una erit sub custodia duorum ex Canonicis ecclesie Racanatensis per Sedem Apostolicam ad ipsius nutum eligendos et amovendos, alia Guardiani cum uno socio per eum eligendo Monasterii B. M. de Varano extra muros Recanaten. Ordinis S. Francisci de Observantia, et reliqua predicti Vicarii, qui omnes singulis duobus mensibus, et sequenti die predicte festivitatis et alias, prout eis melius expedire videbitur, et presertim ubi abundantia oblationum aderit, simul in predicta ecclesia convenient ad aperiendas dictas cassas: et oblationes in eis repertas in alia cassa custodienda in sacristia prefate ecclesie B. M. sub totidem et variis clavibus a predictis aliis etiam diversis per eos ut premittitur, tenendis preponent fideliter ad usum tamen et utilitatem ecclesie prefate ac fabrice hujusmodi, prout Vicarius, Canonici, Guardianus, et Gubernator predicti melius et utilius expedire cognoverint, vocato tamen et assistente etiam omnibus aliis singulis predictis ipso Gubernatore, quem ex nunc *Albertum de Pilis de Fano*, et pro Vicario *Marcum Cole* Canonicum Maceraten. qui etiam unus ex octo Cappellanis hujusmodi esse possit, et pro duobus Canonicis predictis *Bartholomeum tribbiani*, et *Marinum Augustini* predicte Ecclesie Racanatensis Canonicos dilectos filios ex nunc harum serie, ut prefertur, constituimus et ordinamus, cum salario his ipsis singulis predictis per nos et successores nostros deputando, ita quod singuli predicti habere debeant unum librum, in quo rationem introitus et exitus dictarum cassarum, et Vicarius ac Gubernator prefati unum alium seorsum super aliis fructibus, redditibus et proventibus ad ipsam ecclesiam B. M. quovis modo spectantibus et provenientibus fideliter scribant reddendam Episcopo Racanatensi pro tempore vel ejus in spiritualibus Vicario generali quolibet semestri aut saltem singulis annis seu alia prout necessitas persuaserit, qui ipsam nomine predicte Sedis dumtaxat recipiet, eamque simul cum aliis predictis nobis immediate et Successoribus nostris fideliter significare curabunt. Porro attendentes quod ipsa *B. M. Virgo est regina celorum, militantis ecclesie et totius seculi advocata apud eum, quem genuit Salvatorem nostrum pro universis Christi fidelibus intercedit, et*

majori benedictione incorporali inter cunctas mulieres insignita existit, propterea debemus ejus Venerabiles ecclesias et alia pia loca sub ipsius vocabulo dedicata tota mente singularique fide et precipua devotione prosequi, et presertim ubi Virgo ipsa sanctissima miraculorum claritate coruscat; ideo ministros et alias personas hujusmodi paterne in domino monemus, ut pro reverentia ipsius advocate nostre . . . . velint curam, regimen, et administrationem hujusmodi cum omni morigeritate et munditie gerere, ac statuta, decreta, et ordinationes nostras hujusmodi fideliter et diligenter observare, ad hoc ut etiam valeant fidelitatis gaudia apud eundem Salvatorem nostrum et ipsius gloriosissimam matrem in hoc et alio seculo consequi, contrafacientes vero sciant sententiam excommunicationis et eternam maledictionem incurrisse, a qua ab alio quam a nobis vel successoribus nostris nequeant absolvi, preterquam in mortis articulo constituti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis, liberationis, susceptionis, constitutionis, cassationis, annullationis, statuti, ordinationis, confirmationis, concessionis, decreti, et monitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice M.CCCC.LXXVI.quarto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

P. de Monte.

CVIII.

Archiv. Lauretan.

1477. 8. Febr.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex cum naturam sortiatur humanam et ad eum ex diversis mundi partibus negotia confluant nonnunquam bonis respectibus aliqua concedit, statuit, et ordinat, que postea evidentibus rationibus cassat et immutat, prout locorum et temporum qualitatibus pensatis id in Domino conspicit salubriter expedire. Sane licet nos post obitum nuper bone memorie Andree quondam Episcopi Rachanatensis, qui in Romana Curia diem clausit extremum quibusdam bonis respectibus motu proprio et ex certa scientia ac de plenitudine potestatis nostram Ecclesiam beate Marie de Laureto Rachanatensis diocesis cum illius ministris seu personis membris rebus et juribus quibuscunque presentibus et futuris ab omni jurisdictione superioritate et dominio potestate et correctione ac visitatione Episcopi Rachanatensis et aliorum quorumcunque ordinariorum Judicum penitus et omnino auctoritate apostolica perpetuo exemerimus ac totaliter liberaverimus, ipsamque Ecclesiam beate Marie in jus et proprietatem beati Petri ac sancte Sedis Apostolice et sub eorum speciali protectione atque nostra susceperimus,

decreverimus quoque eam ac illius ministros seu personas atque membra bona res et jura predicta fore eidem Sedi immediate subjecta, ipsaque ad dictam ecclesiam beate Marie una cum illorum fructibus redditibus proventibus et obventionibus universis nec non oblationibus et legatis quibuscumque sibi quomodocunque et qualitercunque factis et faciendis seu alias ad eam provenientibus plenarie et integre et absque ulla prorsus deductione quarte seu decime aut cujusvis legitime legatorum seu oblatorum hujusmodi spectare ac nullatenus ad Episcopum et Ecclesiam Rachanatensem pertinere, quodque Episcopus et alii Judices ordinarii predicti ratione delicti vel quasi aut rei de qua ageretur ubicunque committeretur delictum iniretur contractus aut res ipsa consisteret, nullam in Ecclesiam ministros seu personas membra bona res jura et alia predicta possent jurisdictionem potestatem seu dominium quomodolibet exercere, cassantes tunc et irritantes omnes et singulos processus excommunicationis suspensionis et interdicti sententias, si quas in Ecclesiam ministros seu personas membra bona et jura ac alia hujusmodi haberi seu promulgari contingeret ac omnes facultates seu privilegia et litteras apostolicas etiam motu et scientia similibus per nos aut predecessores nostros Romanos Pontifices et presertim per felicis recordationis Nicolaum PP. V etiam predecessorem nostrum tam dilectis filiis populo et Communitati civitatis nostre Rachanatensis, quam eidem Episcopo et quibusvis aliis personis super rebus bonis et oblationibus hujusmodi ac ejusdem Ecclesie beate Marie jocalibus illorumque custodia conservatione aut administratione habenda concessas, quas quidem litteras aut privilegia ad conservationem seu custodiam ac curam et administrationem hujusmodi de cetero se extendere noluimus, nec in eis aliquod robur et firmitatem obtinere. Preterea de ministris ad curam et regimen in spiritualibus et temporalibus predicte ecclesie beate Marie tunc providere volentes, eadem auctoritate statuimus et ordinavimus, ut inibi per dictam Sedem et ad ipsius nutum preficerentur duo circumspecti viri, unus videlicet sub titulo Vicarii ad spiritualia, alter vero Gubernatoris ad temporalia ad fabricam ipsius Ecclesie cum octo Cappellanis bone et laudabilis vite per dictum Vicarium eligendis ac pro ipsius nutu amovendis cum emolumentis per eos percipi solitis, qui in dicta ecclesia beate Marie actu residere et singulis diebus missas ac alia officia devote celebrare ac unam ad minus missam solemniter decantare tenerentur. Confirmavimus quoque motu scientia et potestate supradictis omnes et singulas indulgentias eidem Ecclesie beate Marie per Romanos Pontifices predecessores nostros concessas et nichilominus omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere penitentibus et confessis qui eandem Ecclesiam beate Marie a primis Vesperis vigilie Nativi-

tatis ejusdem usque et per totam festivitatem ipsius devote visitarent annuatim ac ad illius fabricam edificiorum perfectionem conservationem restaurationem ac ornamentum manus porrigerent adjutrices plenariam omnium peccatorum suorum remissionem ac indulgentiam elargiti fuimus certis ad effectum indulgentiarum hujusmodi facilius consequendum confessoribus deputatis qui Christi fidelium ad dictam ecclesiam beate Marie confluentium devote confessiones audire eisque diligenter auditis ipsis et eorum cuilibet pro commissis per eos criminibus et delictis ac peccatis omnibus etiam in singulis casibus Sedi seu ad Sedem predictam specialiter reservatis invasionis depredationis vel occupationis aut devastationis terrarum Romane Ecclesie mediate vel immediate subjectarum patricidii offense personalis in Episcopum vel alium Prelatum ac etiam invasionis Romipetarum seu quorumcunque aliorum ad Romanam curiam venientium, prohibitionis devolutionis causarum ad dictam curiam, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impositionis novorum onerum realium vel personalium ecclesiis vel ecclesiasticis personis simonie super ordinibus vel beneficiis assequendis in eadem curia vel extra eam contracte et generaliter in casibus contentis in bulla que consuevit in die cene domini per nos et predecessores nostros Romanos Pontifices publicari debitam absolutionem auctoritate nostra in forma ecclesie consueta impendere et penitentiam salutarem injungere, nec non vota ultra marina et beatorum Petri et Pauli Apostolorum sancti Jacobi in Compostella ac Religionis votis dumtaxat exceptis in fabricam perfectionem restaurationem ipsius ecclesie et ornamentorum conservationem hujusmodi commutare, eosque ab illis penitus absolvere libere et licite possent et valerent plenam et liberam auctoritate prefata concessimus facultatem ac providimus statuimus et ordinavimus super custodia et conservatione jocalium ornamentorum oblationum et aliorum bonorum dicte ecclesie beate Marie prout in nostris desuper confectis litteris predictis quarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti fuissent, presentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. — Cum autem successive postmodum per Oratores dilectorum filiorum Cleri et populi Rachanatensis ad nos specialiter destinatos ac quorundam relatione fide dignorum evidentissimis rationibus informati fuerimus premissa a nobis concessa statuta et ordinata non solum in enormem lesionem Rachanatensis Ecclesie cedere sed etiam prosperi regiminis fructum dicte Ecclesie beate Marie non eo quo putabamus modo succedere, Nos igitur indemnitati ac prosperis successibus utriusque ecclesiarum predictarum consulere volentes motu simili, non ad Venerabilis fratris nostri Jeronimi Episcopi Rachanatensis vel alterius pro eo aut alicujus nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera

voluntate ac plena deliberatione necnon scientia auctoritate ac potestate predictis exemptionem, liberationem, susceptionem et decretum ac omnia et singula alia in dictis nostris litteris contenta (exceptis dumtaxat indulgentiis et facultate absolvendi predictis, quas in suo volumus robore firmas persistere) auctoritate apostolica presentium tenore revocamus cassamus irritamus, et annullamus, ac pro nullis et infectis haberi volumus atque mandamus necnon adversus illa Rachanatensem et beate Marie ecclesias predictas Episcopum quoque et populum ac communitatem prefatos in pristinum et eum statum in quo videlicet erant, antequam littere nostre predicte emanarent, in omnibus et per omnia reponimus restituimus et plenarie reintegramus, ita quod ex nunc deinceps liceat moderno et pro tempore existenti Rachanatensi Episcopo per se vel alios quos ad id duxerit deputandos ordinaria jurisdictione sua ac superioritate et dominio potestate correctione et visitatione uti in ipsa ecclesia beate Marie et ejus dependentiis ac illius ministris seu personis necnon membris rebus et juribus, similiter etiam populo et communitati predictis jocalium et ornamentorum custodiam habere et tenere prout consuetum fuit, antequam hujusmodi nostre littere emanarent. — Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod circa consequendas hujusmodi per nos et alios Romanos Pontifices concessas indulgentias supradicta absolvendi facultas illis dumtaxat attributa sit et per nos concessa intelligatur, super premissis eis qui ab ipso nunc et pro tempore, vel cui idem Episcopus facultatem hujusmodi duxerit committendam, super hoc statutis temporibus deputabuntur. Et si qui ex confessoribus vel ministris in dicta ecclesia beate Marie deputandis contra facere vel venire quovis quesito colore directe vel indirecte presumpserit seu per se vel alios tenptaverit aut dolo fraude vel negligentia aliquid circa premissa commiserit, eo ipso excommunicationis sententiam et privationis penam noscantur incurrisse, a quibus absolutionis et restitutionis beneficium obtinere nequeant ab alio quam a Romano Pontifice aut ab illo cui idem Pontifex hoc duxerit specialiter concedendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre revocationis cassationis irritationis, annullationis mandati repositionis reintegrationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. — Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadrigentesimo septuagesimo sexto, sexto Idus februarii Pontificatus nostri anno sexto.

L. Grifus

CIX.

Ex annali anni 1476.

1477. 11. Febr.

a tergo: Dilectis filiis Prioribus et communi civitatis nostre Racanat.

intus vero: SIXTUS PAPA IV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Venerunt ad nos Oratores vestri, qui nonnullis rationibus probabilibus allegatis personaliter supplicarunt, dignaremur Oratorium S. Marie de Laureto Racanatensi Ecclesie reunire et in potestatem Episcopi vestri prout ante disjunctionem per nos factam reponere. Nos rationibus ipsis consideratis supplicationibus Vestris paterne duximus annuendum. Itaque Oratorium predictum ipsum dictae ecclesiae eo modo, quo prius erat, tenore praesentium reunimus, atque vos custodiam jocalium ejusdem Oratorii juxta ordinationes fel. rec. Nicolai Papae V nostri praedecessoris habere possitis et debeatis, concedimus et decernimus, quibuscumque litteris nostris in contrarium editis non obstantibus. Dat. Romae apud S. Petrum sub anulo piscatoris. die XI. februarii 1477. Pontificatus nostri anno VI.

L. Grifus

CX.

1479. 28. Maji.

XXVIIJ. Maji 1479.

Inventarium cujusdam partis Jocalium seu argentarie Beate Marie Virginis de Loreto: Tempore suspitionis Turcarum de Loco Templi ipsius Virginis In Civitate Rachaneti Conducte: et Reposite In Turrj Magna Palatij Communis: In stantia ubi servantur Pecunie et Res Montis Pietatis: De presentia — consensu — et voluntate R.di D. Francisci de Rubeis de Cassia Vicarij R.mi D. Car.i Rachanaten. et Episcopi: Intervenientibus etiam Mag.i d.i prior. nomine Communis pred.i In quantum ipsis et Communitati spectat — Vigore Decreti Ap.ci super cura dictor.m Jocalium etc. Et presentibus venerabilibus viris D.o Angelo Perleonis — D.o Christophoro Hieronimi D. Jo. Braccij: atque imprimis *D. Cristoforo Custode — et habente claves pro parte Communitatis pred.a consignate.* Ac etiam presentibus Offitialibus Civibus d.i Montis: et quamplurimis aliis. Et Me Jo. Francis. Canc.o d.i Communis pred. et Infrascripta fideliter scribente: unacum ser Nicolao Vannis Notario publico ad Id etiam pro majori Cautela habito et Vocato: aliud simile Inventarium Conscribente — et Adnotante.

In una cassa magna.

In primis Calices inter magnos et parvos numero centum sexdecim.
It. patenas inter magnas et parvas numero centum undecim.
It. una confecteria magna in pede argenteo.
It. unum tabernaculum de argento in albo.
It. unum tabernaculum doratum de argento cum Coppula Virginis Marie.
It. una Imago Virginis magna: cum Filio in brachiis Cum Agnodei et catena seu treccia ad Collum cum perlis et bottone.
It. unum turibulum magnum doratum.
It. una Imago de argento Laurentii Cosme.
It. una Spera cum catenis magnis dorata.
It. unum par controfellorum de argento.
It. una Imago Virginis majuscula de argento cum diadamat. et filio.
It. una alia Imago Virginis similis cum corona et filio.
It. una parva dorata cum filio et corona.
It. una alia parva cum corona dorata et filio.
It. una Massiccia alba sine diademate et corona.
It. una alia cum uno scabello et corona dorata cum turco ad scabellum.
It. una alia Alba largha.
It. due alie parve Albe cum scabellis.
It. una Tabula cum Ascentione Virginis — cum Sancto Hieronymo, et Sancta Lucia — Tinta in nigro de foris.
It. una alia cum Virgine et Crucifixo cum lapidibus et perlis — cum christallo — coperta de cremosino.
It. una pax cum perlis et reliquiis interclusis — cum Virgine involuta in fazolo sirici.
It. una pax minor cum Sancto Jo. bapt.ª — cum perlis — et lapidibus in Domo Curaminers.
It. una Imaginecta trium digitorum longitudinis: tota de Auro cum multis pezis Coronarum et lapidum legat. in fazolo.
It. corone tresdecim inter magnas et parvas.
It. una altera cum punctellis incatenata de pezis que se non substinent.
It. una altera parva schiavata.

In una alia casseta parva.

In primis Calices octo de argento inter magnos et parvos.
It. patene quinque.
It. Arx fani cum Armis pp. Pauli.
It. una Rochecta de argento.
It. una Scarpa de argento.
It. due Corone.
It. due Imagines Virginis de argento una magna cum corona indorata et parva con filiis.
It. una girlanda viridis.

Quarum quidem capsarum reclusarum: claves pro parte: habuit supradictus R. D. Franciscus Vicarius: et pro parte Dictus D. Christoforus Custos jam deputatus pro Commune.

Paramenta vero — et Alia Jocalia: maxime de extimatione et pretio et que Abiliter potuerunt Conduci. Dixerunt prefatus R. D. Franciscus Vicarius:

et D. Christoforus: Illa videlicet que per Inventarium Integrum jam fuerant ei. D. Christoforo consignata: Reposita esse In Sacristia Episcopatus: et sic sub onere et obligatione ut per antea se Custoditurum — et servaturum et Omni tempore Reassignaturum Communitati etc.

Jo. F. Canc.

XVIIIJ. Febr. 1485.

Tempore R. D. Sanctorj de Amelia Vicarij. Supradicta fuerunt revisa. Et in una cassa ibidem magna remissa: et omnia inventa fuerunt ut supra Presentibus Canonicis plurimis: et M. D. Prioribus etc. Clavem unam habuit Vicarius — alteram D. Priores.

Jo. F. Canc.

XVIIJ. Augusti 1488.

Supradicta Jocalia per Inventarium: fuerunt Revisa per R. D. Card. In persona: In sala magna Palatij: presentibus omnibus de sua Familia: et M. D. Prioribus et Consuribus multis. et inventa omnia et reperta sine diminutione: fuerunt remissa In Dicta Cassa Una et reposita In Monte Pietatis. et Una Clavis habuit Dominus Marinus Prepositus: et altera remansit Communitati.

Jo. F. Canc.

CXI.

Ex Archiv. R.mi Capituli Recanatensis.

1481. 7. Octobr.

Ad laudem gloriam et honorem omnipotentis Dei domini nostri jesu Christi ac beatissime semper virginis Marie et beatorum Apostolorum petri et pauli ac omnium Sanctorum Dei et precipue Sancti Flaviani in cujus honore ista Ecclesia est hedificata. Inferius sunt statuta et ordinationes que et quas volumus Nos franciscus de Rubeis de cassia decretorum Doctor Rm̃i in Christo patris dñi dñi Hieronimi titulo sancti Chrisogoni sacrosancte Romane ecclesie presbiteri Cardinalis ac dignissimi Episcopi Racanatensis et Maceratensis in spiritualibus et temporalibus Vicarius generalis de consilio et consensu Venerabilis Capituli nostri Altaristarum ecclesie Episcopatus Racanatensis semper futuris temporibus observari in ecclesia nostra Episcopali Sancti flaviani Racanatensis in hiis que spectant ad divinum offitium dicendum et fiendum in diebus dominicis totius anni pro anima Venerabilis dñe dñe Coradoze pro suorum et omnium defunctorum ab Altaristis ecclesie Episcopalis Sancti flaviani participantibus servari in dicendo et celebrando dicta offitia in diebus dominicis totius anni in hunc modum videlicet:

Inprimis statuimus et ordinamus quod omnes Altariste presentes participantes prout dictat ordo Venerabilis dñe dñe Coraduzze debeant esse

presentes et facere quadraginta octo offitia et quod teneantur venire ad vigiliam fiendam in die sabbati totius anni ac etiam in omni dominica de mane per totum annum teneantur et obligati sint dicere sive per substitutum dici facere eorum missa et stare et permanere ad missam cantandam divini offitii et ad obsequium cum lumine in mane ut moris est et ista offitia sint dicta et facta in omni dominica totius anni.

Item statuimus et ordinamus quod quilibet Altarista qui non intererit vigilie misse cantande et funeri et non dicet aut dici non fecerit suam missam amittat in qualibet dictarum horarum id totum quod lucraretur stando et observando et id deveniat et devenire debeat illis qui intererint Et dictam penam debeant et teneantur delinquentes solvere de mense in mensem et ii non solventes in fine mensis incidant in quarto pluri: de qua pena ad requisitionem querentium dñus Vicarius presens et pro tempore existens debeat summarie et extrajuditialiter jus facere.

Item statuimus et ordinamus quod casu aliquis predictorum Altaristarum participantium egrotaret per modum ut ad ecclesiam pervenire non posset excusetur et ad dicta offitia recipiatur que egrotatio intelligatur permanendo in domo per tres dies.

Item statuimus et ordinamus quod casu quo alicui Altaristarum accideret ire pro eorum negotiis extra civitatem per mensem fatiendo dicere per suum substitutum suam missam sit scriptus dicto lucro quod lucraretur stando et non in aliis horis et etiam casu quo ultra mensem ipsi accideret extra civitatem permanere quomodolibet alicui offitio non sit admissus nec scriptus usquequo in posterum reverteret personaliter.

Item statuimus et ordinamus quod numerus predictorum Altaristarum participantium sit et esse debeat sexdecim et non plus. Et casu quo benefitia multiplicarentur in dicta ecclesia illi Altariste qui post venient teneantur et debeant donec aliquis dictorum sexdecim participantium moriatur observare modum et statutum datum in distributione quam fecit Reverendus in Christo pater dñus Nicolaus de Astis de forlivio Dei gratia Episcopus Racanatensis et Maceratensis quod factum fuit sive constitutio apparet in sacristia.

Item statuimus et ordinamus quod de introitibus diei mortuorum observetur modus supradictus videlicet tres partes matutino dicere missam suam et stare misse cantande obsequie in quibus excusentur egrotantes, et infirmi ut supra.

Item statuimus et ordinamus quod in omni die dominico quando cantatur missa mortuorum sint et esse debeant presentes diaconi et subdiaconi qui diaconus pro omni evangelio recipiat et habere debeat bolendenum unum et subdiaconus pro qualibet epistola recipiat et habere debeat duos tertios bolendini.

Item statuimus et ordinamus quod quilibet dictorum participantium obligantur manutenere domos et possessiones in illo statu in quo ipsis sint assignate et casu quo propter negligentiam alicujus ipsorum domus ruinarent sint obligati et teneantur ipsas domos sumptibus ipsornm reficere. Et similiter aliquis ipsorum defectu suo siccaret vineas obligantur eorum sumptibus ipsas reficere sive refici facere.

Item statuimus et ordinamus quod quando moriatur aliquis vel plures dictorum sexdecim participantium pars sive partes illorum possint optari sed in ordinem prebende canonicorum.

Item statuimus et ordinamus quod omnes illi Altariste qui intrabunt dictis benefitiis teneantur et obligati sint personaliter servire per semetipsos ante participationem ut apparet in testamento prefate domine Coraduzze.

Item statuimus et ordinamus quod qui scribit quotidianas distributiones obligatur fideliter punctare non observantes modum superius declaratum alias de suo proprio teneatur solvere et satisfacere.

Item statuimus et ordinamus quod casu quo unus istorum Altaristarum venire predicti sint obligati satisfacere pro rata stando offitiis.

Item statuimus et ordinamus quod casu quo domus dictorum Altaristarum ceciderent casu fortuito et sine culpa ipsorum vel alicujus teneantur refici de communi introitu.

In Dei nomine amen. Hec sunt decreta et ordinationes divisionis bonorum immobilium Altaristarum Altaris majoris ecclesie Episcopatus Racanatensis que et quas volumus Nos franciscus de Rubeis de Cassia decretorum doctor Rm̃i in Christo patris dñi dñi hieronimi titulo sancti Chrisogoni Sacrosancte Romane Ecclesie presbiteri Cardinalis ac dignissimi episcopi Racanatensis et Maceratensis in spiritualibus et temporalibus Vicarius generalis de consilio et consensu venerabilis capituli nostri Altaristarum ecclesie episcopatus racanatensis observari debere.

In primis et prima et secunda parte dñi Marini et dñi Leonardi hec sunt videlicet una domus posita in civitate racanati et Q. S. A. juxta bona benefitii sancti Martini bona magistri Antonii fabri de racaneto et plateam comunis. Item una domus posita in civitate racaneti Q. S. F. juxta bona dictorum Altaristarum et bona magistri Marci Antonii Johannis de racaneto viam communis et alia latera pro florenis quatuordecim.

Item unum petium terre positum in territorio racaneti in contrata ultimi *(ulmi)* gualdi sive Sancti Silvestri juxta bona ecclesie Sancte Marie de Castronovo bona dñi Jacobi stocheti de racaneto viam comunis et alia latera pro salmis quinque grani.

Tertia pars Antonii Accursi hec est videlicet una domus posita in contrata racaneti Q. S. f. in qua habitat nardutius juxta bona thome Alamani carbonariam et viam comunis racaneti et alia latera pro florenis duobus cum dimidio.

Item una domus posita in civitate racaneti et Q. S. f. que fuit Alegretti juxta bona dictorum Altaristarum data in parte dño Marino preposito et dño Leonardo pro florenis duobus. Item floreni vigintiquinque perventi ad manus ipsius promisit allocare in una fenaria pro dictis Altaristis pro florenis duobus. Item unum petium terre in territorio Racanati in contrata Monocule juxta bona episcopatus racanatensis bona fraternitatis Sancte Lucie viam comunis a capite pro salmis tribus.

Quarta pars dñi bartholomei trebiani hec est videlicet una vinea cum campestra et olivis et canneto posita in territorio racanati in contrata fontis Monacchiani juxta dictum fontem et viam comunis et alia latera pro florenis quinque. Item una domus posita in civitate racanati Q. S. f. juxta bona benefitii Sancti Luce bona manuelis salomonis judei de racaneto viam comunis et alia latera pro florenis duobus. Item una fenaria posita in territorio racaneti in contrata pontis breccie juxta bona Lodovici checchi bona campi fornacium viam comunis et alia latera pro floreno uno. Item unum petium terre in campo retento per Lodovicum Johannis in territorio racaneti in contrata plani musionis veteris juxta bona Lodovici Chelli flumen muscioni veteris viam comunis et alia latera pro una salma grani.

Quinta pars dñi cristoferi Johannis thome hec est videlicet una domus . . . . posita in civitate Racaneti Q. S. f. juxta bona dictorum Altaristarum: bona magistri rigetti viam comunis et carbonariam et alia latera pro florenis duobus monete. Item una fenaria que olim fuit jacobi goggi posita in territorio racaneti in contrata via Auximi juxta bona petri masini: bona bartholomei trombettini viam et alia latera pro floreno uno. Item floreni viginti quinque monete pervente ad manus ipsius et ipsos promisit obligare super bonis ipsius pro dictis Altaristis pro florenis duobus. Item una fenaria que olim fuit Johannis Sanctis pro floreno uno monete posita in territorio racanati in contrata. Item unum petium terre posita in territorio racanati et in contrata fontis breccie juxta bona Laurentii cipriani viam comunis a duobus et alia latera pro salmis tribus grani.

Sexta pars dñi johannis brachii hec est videlicet due domus posite in civitate racaneti Q. S. f. juxta bona Ser gratiani johannis res heredum dñi marci de macerata viam et carbonariam comunis et alia latera pro florenis sex monete. Item una alia domus posita in civitate racanati Q. S. f. juxta bona benefitii sancti blasii. bona francisci marcii. videlicet stabulum

viam et alia latera pro floreno uno monete. Item unum petium terre positum in territorio racanati in contrata pontis breccie: juxta bona sancti johannis de portu bona lodovici chechi da racaneto viam comunis et alia latera pro salmis tribus grani.

Septima pars dñi Angeli perleonis hec est videlicet una vinea cum campestra et olivis que olim fuit Antonii Borri posita in territorio racaneti in contrata qua itur ad fontem Monacciani juxta bona heredum magistri dominici juliani aromatarii viam comunis et alia latera pro florenis septem monete. Item unum petium terre in campo retempto per lodovicum johannis positum in territorio racaneti in contrata plani moscioni juxta bona lodovici chelli flumen moscioni veteris viam comunis et alia latera pro una salma grani.

Octava nona decima et undecima partes dñi Antonii philippette. dñi cristofori constantini. dñi Johannis baptiste tribiani et dñi mathie parentini hee sunt videlicet tres domus in villa Sancte Marie de Laureto juxta bona fraternitatis sancte Lucie. bona benefitii Sancte lucie pro donno juliano: et bona francisci ser johannis videlicet splatium viam et alia latera pro florenis viginti. Item unum petium terre positum in territorio racaneti in contrata . . . . juxta bona lupidiani dñi Girardi bona honofrii bartolomei: bona nicoline jacobi vignati flumen potentie et alia latera pro salmis quinque grani. Item unum petium terre positum in territorio racanati in contrata constarum inpacci juxta bona . . . . viam comunis et alia latera pro salmis una grani. Item unum petium terre positum in territorio racanati in contrata aque vive juxta bòna . . . . viam comunis et alia latera pro una salma grani.

Duodecima et tertiadecima partes dñi Berardini et domini crutiani hee sunt videlicet una domus in qua habitat martinus hospes posita in civitate recanati Q. S. f. juxta bona Gabrielis perlaurentii: bona magistri Guilelmi sutoris viam comunis et alia latera pro florenis decem monete. Item una domus posita in civitate recaneti posita ante hospitale Q. S. f. juxta bona . . . . viam comunis et alia latera pro floreno uno cum dimidio monete Itemque una fenaria de quatuor falcis que fuit olim Ser Gasparis posita in territorio racaneti in contrata ricciole juxta bona benefitii donni baldi a duobus bona dñe Laurentie uxoris olim magistri Angeli de Leonessa viam comunis et alia latera pro florenis tribus monete. Item unum petium terre positum in territorio racanati in contrata ulmi gualdi Baldi a duobus bona gualdi juxta bona johannis sanctis barletarii bona ecclesie sancte Marie de Castronovo viam et alia latera pro salmis quatuor.

Quartadecima pars domini Antonii Constantini hec est videlicet una vinea magna posita in territorio racaneti in contrata monticillorum juxta

bona thome lamanni bona nicolai magistri dominici pelliparii de recaneto viam comunis et alia latera.

Quintadecima pars dñi Marci de Macerata hec est videlicet una domus que fuit olim johannis Sanctis posita in civitate recaneti Q. S. V. juxta bona et carbonariam comunis et alia latera pro florenis duobus. Item una domus in qua habitat Antonia doradei posita in civitate racaneti in Q. S. f. juxta bona benefitii sancti thome viam comunis a duobus pro florenis tribus. Item unum petium terre positum in territorio racaneti in contrata ulmi gualdi juxta bona partis dñi Marini prepositi et domini Leonardi et alia latera pro salmis quinque grani. Item unum petium terre quod fuit thome barberii pro una salma grani positum in territorio racanati in contrata.

Sextadecima pars que fuit deputata cantori hec est videlicet unam domunculam sitam juxta clibanum Altaristarum qui jampridem corruit et in opposito olim donni Venantii quam nunc possidet D. bernardinus baptiste canonicus pro pretio florenum unum. Item unam aliam domum que fuit Lucie uxoris Johannis de mille volte juncta ab uno latere cum domo Catherine *butche* .... pretii florenos II. — Item unam aliam domum que fuit domni Sanctes de Tamburino conjunctam ab uno latere cum domo quam petri tamburini reliquit sancte Marie de Laureto et ab alio latere cum rebus Jacobi matani pro florenis II. — Item unam stabulam conjunctam domi Cappelle sancti Thome, ex altero vero latere domi Thome Porcari pro florenum unum cum dimidio. Item unum petium terre situm in Monochia que olim fuit Nicoline berbechoni pro unam salmam grani.

Lecta publicata et ordinata et approbata fuerunt omnia supradicta decreta et ordinationes in venerabili Capitulo Altaristarum ecclesie episcopalis Racaneti ad hoc vocato et congregato de mandato supradicti domini Vicarii in camera solite sue residentie posita in domibus episcopalibus juxta res episcopatus undique, in quo interfuerunt prefatus dominus Vicarius statuens, et Venerabilis donnus Marinus Augustini, Donnus Antonius de Accursis, Dominus bartolomeus antonii, dominus cristoforus johannis Thome, Dominus Leonardus Antonii, dominus Angelus Perleonis, Dominus johannes brachii Canonici et Altariste, Dompnus Antonius jacobi Philippecte, Donnus Cristoforus Constantini, Domnus Antonius Constantini, Domnus Crutianus francisci, Donnus berardinus baptiste, Donnus Johannis baptiste Johannis et donnus Mathias Parantenus Altariste predicti in absentia domini Pini de Astis de forlivio, Donni Mathei de Veneriis, Donni Marci de Macerata et donni mathei thome etiam Altaristarum in dicta ecclesia, tamen ex consensu et mandato prefati domini Vicarii per Cortonam publicum bajulum

curie episcopatus Racan. ad hunc actum legitime citatorum et relatorum. Qui omnes presentes consenserunt sub anno domini ejusdem a circumcisione M. CCCC. octuagesimo primo, indictione quartadecima, tempore Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Sixti divina providentia Pape quarti, die vero septima mensis octobris, presentibus Antonio Simone masini, et alexandro stefani aromatario de Racan. testibus ad predicta habitis vocatis et rogatis.

Hec sunt bona stabilia que pii Christicole animarum suarum saluti providentes Altaristis hujus alme Cathedralis ecclesie, quatenus eorum orationibus tam in missis quam in ceteris suffragiis participes efficerentur, reliquerunt. Que quidem bona sagaci providentia hujusmodi ut supra positum est, multiplici partitione partita sunt, ut qui fatigatur offitio, recreetur emolumento, et quilibet suam sollicito et opportuno studio gubernet ratam sive *partem*.

CXII.

E tabulario Almae Domus Lauretanae.

1507. 21. Octobr.

Julius Episcopus servus servorum Dei — Ad perpetuam rei memoriam.

In sublimia comitantibus Angelis Assumptae Beatae, et gloriose semper Virginis Dei Genetricis merita praeconiis frequentanda promerentur, ut singulas Ecclesias sub ejus invocatione dedicatas, quantum Nobis ex alto conceditur, talibus Apostolicae Sedis suffragiis, et muneribus spiritualibus et temporalibus prosequamur et decoremus, ut ipsae Ecclesiae in sui devotione, et honore non solum serventur, sed etiam auctore Domino ad Dei laudem, ipsiusque Virginis Mariae venerationem, et devotionem, ac Christifidelium animarum salutem salubribus continuis proficiatur incrementis. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Paulus Papa II Praedecessor noster sub datum videlicet VIII. Kalendas Februarii Pontificatus sui anno VII. omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, qui Ecclesiam Beatae Mariae de Laureto, dudum in honorem Virginis gloriosae extra muros Recanatenses miraculose fundatam, in qua, sicut fide dignorum habetur assertio, ipsius Virginis gloriosae Imago, Angelico comitata coetu mira Dei clementia collocata existebat, et ad quam propter crebra, et stupenda miracula, quae ejusdem gloriosae Virginis meritis, et intercessione pro singulis ad eam recurrentibus, et ejus auxilium implorantibus cum humilitate Altissimus operabatur in dies, ex diversis mundi partibus, etiam remotissimis, ejusdem Virginis gloriosae liberati praesidiis populi confluebat multitudo, in singulis diebus dominicis, incipiendo a

prima tunc proximae Quadragesimae, usque ad Solemnitatem Sacratissimi Corporis D. N. J. Christi, singulis diebus Majoris Hebdomadae, quae Sancta appellabatur, et similiter in Festivitate Resurrectionis Dominicae cum duobus sequentibus, Ascensionis quoque, et Pentecostes cum duobus sequentibus, et Solemnitate ejusdem Corporis D. N. J. Christi, et per totam ejus Octavam, in aliqua Festivitatum Dominicarum seu dierum praedictarum devote visitarent, et pro ipsius fabricae conservatione, ac ornamentis, sive alias manus porrigerent adjutrices, omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti, et ore confessi forent, plenam absolutionem, remissionem et indulgentiam concesserat piae memoriae Sixtus Pontifex IV et Praedecessor noster ejusdem Pauli Praedecessoris vestigiis inhaerens ac cupiens, ut ipsa Ecclesia, ad quam specialem gerebat devotionis affectum, congruis frequentaretur honoribus, et quod fideles praefati eo libentius devotionis caussa confluerent ad eamdem, et ad hujusmodi aedificiorum fabricam et perfectionem manus promptius porrigerent adjutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspicerent se refectos, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ex tunc, et in futurum Ecclesiam praedictam praescriptis Quadragesimae, et aliis sequentibus Dominicis usque ad Solemnitatem praedictam Sacratissimi Corporis D. N. J. Christi ac singulis diebus Majoris Hebdomadae, nec non Resurrectionis cum duobus sequentibus, et Ascensionis Dominicae, ac Pentecostes etiam cum duobus sequentibus, et in Solemnitate praemissa ejusdem Corporis D. N. J. Christi, et per totam ejus Octavam, aut in aliqua Festivitate Dominicarum seu dierum hujusmodi devote visitarent annuatim, et ad structurarum praedictarum perfectionem, ipsius que Ecclesiae ornamentum, aut alias in ipsius Ecclesiae utilitatem manus porrigerent adjutrices, omnium peccatorum de quibus corde contriti, et ore confessi forent, plenam absolutionem, remissionem, et indulgentiam per quasdam concessit. Et deinde idem Sixtus Praedecessor volens praefatam Ecclesiam, et illius pro tempore Ministros, seu personas in spiritualibus, et temporalibus deservientes, et inibi residentes favore prosequi gratioso, motu proprio ac ex certa scientia, et de suae plenitudine potestatis Ecclesiam praedictam una cum Ministris, seu personis suis praedictis necnon illius membris, rebus, et juribus quibuscumque praesentibus et futuris perpetuo ab omni jurisdictione, superioritate, dominio, potestate, correctione, et visitatione Episcopi Racanatensis et aliorum quorumcumque Ordinariorum Judicum auctoritate Apostolica per alias penitus et omnino exemit, et totaliter liberavit, Ecclesiamque hujusmodi in jus et proprietatem Beati Petri, et Sedis Apostolicae, et sub eorum speciali protectione atque sua suscepit; decernens eam, ac illius Ministros, seu personas, ac membra, bona, res, ac jura praedicta fore eidem Sedi

immediate subjecta, ipsaque ad dictam Ecclesiam una cum illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus universis, necnon oblationibus et legatis quibuscumque sibi quomodocumque factis, vel faciendis seu alias ad eam provenientibus plenarie, et absque ulla prorsus deductione quartae seu decimae, aut cujusvis ligamine legatorum seu oblationum hujusmodi spectare et pertinere, et nullatenus ad Episcopum et Ecclesiam Racanatensem, quodque Episcopus, et alii Judices ordinarii praedicti ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua ageretur, ibique iniretur contractus, aut res ipsa consisteret; nullam in Ecclesiam, Ministros, seu personas, membra, bona, res, jura, et alia praedicta possint jurisdictionem, potestatem, seu dominium quomodolibet exercere, cassans, et irritans omnes, et singulos processus excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in Ecclesiam, Ministros, seu personas, membra, bona, jura, res, ac alia hujusmodi haberi, seu promulgari contingeret, et omnes facultates, seu privilegia, et Litteras Apostolicas, et motu et scientia similibus per ipsum Sixtum Praedecessorem, vel Praedecessores suos Romanos Pontifices, et praesertim per piae memoriae Nicolaum Pontificem V Praedecessorem Nostrum, tunc suum, tam dilectis filiis Populo, et Communi Civitatis nostrae, tunc suae, Recanatensis, quam eidem Episcopo, et quibusvis aliis personis super rebus, bonis, oblationibus hujusmodi, et ejusdem Ecclesiae jocalibus illorumque custodia, seu conservatione aut administratione habenda concessa, quas quidem litteras, et privilegia ad conservationem seu custodiam, ac curam et administrationem hujusmodi ex tunc de cetero se extendere noluit, nec in eis aliquod robur, et firmitatem obtinere; propterea de Ministris ad curam, et regimen in spiritualibus et temporalibus praedictae Ecclesiae providere volens, eadem auctoritate statuit, et ordinavit, ut inibi per dictam Sedem, et ad ipsius nutum praeficerentur duo circumspecti Viri, unus ut sub titulo Vicarii ad spiritualia, alius vero Gubernatoris ad temporalia, et fabricam ipsam cum octo Cappellanis bonae et laudabilis vitae per dictum Vicarium eligendis, et ipsius nutu amovendis, cum emolumentis per eos percipi solitis, qui in dicta Ecclesia Beatae Mariae actu residere, et singulis diebus Missas, et alia Officia devote celebrare, et unam ad minus solemniter decantare tenerentur, et ut Ecclesia praedicta a Christifidelibus magis frequentaretur, et in suis aedificiis profici, ac in illius ornamentis augeri posset, et ut fideles eo libentius manus adjutrices porrigerent, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspicerent se refectos, motu, scientia, ac potestate praedicta confirmavit omnes et singulas indulgentias eidem Ecclesiae per Romanos Pontifices Praedecessores suos concessas; Et nihilominus volens eam uberius decorare indulgentiis, de Omnipotentis Dei misericordia,

ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui eamdem Ecclesiam Beatae Mariae a primis Vesperis Vigiliae Nativitatis ejusdem usque per totam Festivitatem ipsius devote visitarent annuatim, et ad illius aedificiorum fabricae perfectionem, restaurationem, et ornamentum manus porrigerent adjutrices, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, et indulgentiam Auctoritate Apostolica per easdem posteriores Litteras elargitus est; Et insuper, ut ipsi fideles ad ipsam Ecclesiam Beatae Mariae confluentes conscientiae pacem, et animarum salutem, Deo propitio, consequerentur, nec non indulgentiae hujusmodi facilius participes esse valerent, benignius agere volens, Vicario et Cappellanis praedictis pro tempore existentibus et aliis, quod idem Vicarius inibi in casu necessitatis ultra praedictos deputaret, et eorumdem fidelium Ecclesiam ipsam Beatae Mariae causa indulgentiae hujusmodi consequendae visitantium, confessiones audire, eisque diligenter auditis, ipsis et eorum cuilibet pro commissis per eos criminibus, delictis, ac peccatis omnibus, etiam in singulis casibus Sedi praefatae, aliis vero diebus pro ibidem residentibus Episcopo reservatis, praeterquam offensae Ecclesiae libertatis innodationis, interdicti ab eadem Sede impositi, criminum haeresis, offensae, inobedientiae, seu rebellionis, aut conspirationis in Personam, vel Statum Romani Pontificis, seu Sedem Apostolicam praedictam invasionis, depraedationis, vel occupationis, aut devastationis Terrarum Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectarum, Parricidii, offensae personalis in Episcopum, vel alium Praelatum, et etiam invasionis Romipetarum, seu aliorum quorumcumque ad Romanam Curiam venientium prohibitionis ad dictam Curiam, delationis armorum, et aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, novorum onerum realium, vel personalium Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis; Simoniae super Ordinibus vel Beneficiis assequendis in eadem Curia, vel extra eam contractae, et generaliter in casibus contentis in Bulla, quae consueverat in die Caenae Domini per eumdem Sixtum, et Praedecessores suos Romanos Pontifices publicari, debitam absolutionem Auctoritate Apostolica in forma Ecclesiae consueta impendere, et poenitentiam salutarem injungere; nec non vota quaecumque ultramarino, ac Beatorum Petri et Apostolorum de Urbe, Sancti Jacobi in Compostella, ac Religionis votis dumtaxat exemptis, in fabricae perfectionem, et refectionem ipsius Ecclesiae, et ornamentum, conservationem hujusmodi commutare, eosque ab eis penitus absolvere libere, et licite possent, et valerent, plenam et liberam Auctoritate praefata concessit facultatem. Ceterum ordinem atque modum circa custodiam oblationum hujusmodi praebere volens, statuit pariter et ordinavit, ut oblationes ipsae

poni, et recondi deberent fideliter in suis Cassis solitis sub tribus clavibus et diversis, quarum una esset sub custodia duorum ex Canonicis Ecclesiae Recanatensis per Sedem praedictam et ad ipsius nutum eligendorum, et amovendorum, alia Guardiani cum uno Socio, per eum eligendo, Domus Monasterii nuncupati Beatae Mariae de Varano extra muros Recanatenses Ordinis Fratrum Minorum de observantia, et reliqua praedicti Vicarii, qui omnes in singulis duobus mensibus, et sequenti die praedictae Festivitatis, et alias, prout eis melius expedire videretur, et praesertim ubi abundantia oblationum daretur simul in praedicta Ecclesia convenirent ad aperiendas dictas Cassas, et oblationes in eis repertas in alia Cassa custodienda in Sacristia praefatae Ecclesiae Beatae Mariae sub totidem et variis clavibus, a praedictis aliis etiam diversis, per eos, ut praemittitur, tenendis, reponerent fideliter, ad usum tamen et utilitatem Ecclesiae Beatae Mariae et fabricae hujusmodi, prout Vicarius, Canonici, Guardianus, et Gubernator praedicti melius et utilius expedire cognoscerent, vocatis tamen et assistentibus etiam tribus aliis et singulis praedictis, ita ut singuli praefati habere deberent unum librum, in quo rationes introitus, et exitus dictarum Cassarum, et Vicarius et Gubernator praefati unum alium seorsim super aliis fructibus, redditibus, et proventibus ad ipsam Ecclesiam Beatae Mariae quovis modo spectantibus et pertinentibus fideliter scriberent, reddendum Episcopo Recanatensi pro tempore, vel ejus in spiritualibus Vicario Generali quolibet semextri, aut saltem singulis annis, seu alias, pro ut necessitas persuaderet, qui ipsam nomine praedictae Sedis dumtaxat reciperet, eamque simul cum aliis praedictis eidem Sixto Praedecessori immediate, et Successoribus suis fideliter significare curarent. Et deinde idem Sixtus Praedecessor cum Ecclesiae Recanatensi tunc certo modo vacanti de persona bonae memoriae Hieronymi Episcopi Sabinensis tunc etiam Sanctae Balbinae Presbyteri Cardinalis providisset, ipsumque illi in Episcopum, seu Administratorem perpetuum in spiritualibus et temporalibus praefecisset, curam, et administrationem ipsius Ecclesiae Recanatensis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, eamdem Ecclesiam Beatae Mariae praefatae Recanatensi perpetuo univit, annexuit, et incorporavit, curam, et veram administrationem etiam oblationum, et votorum, nec non bonorum quorumcumque mobilium, et immobilium, spiritualium et temporalium ipsius Ecclesiae Beatae Mariae praefato Hieronymo, et pro tempore existenti Episcopo Recanatensi plenarie committendo, ut in ipsius Sixti Praedecessoris desuper confectis Litteris, quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur haberi volumus praesentibus pro expressis, plenius continetur. Cum autem nuper praefatus Hieronymus Episcopus debitum naturae persolverit, Nos attendentes, quod non solum in praedicta

Ecclesia de Laureto Imago ipsius Beatae Mariae Virginis, sed etiam, ut pie creditur, et fama est, Camera sive Thalamus, ubi ipsa Beatissima Virgo concepta, ubi edita, ubi ab Angelo salutata Salvatorem saeulorum verbo concepit, ubi ipsum suum Primogenitum suis castissimis uberibus lacte de coelo plenis lactavit, et educavit, ubi quando de hoc saeculo nequam ad sublimia assumpta extitit orando quiescebat, quamque Apostoli sancti primam Ecclesiam in honorem Dei, et ejusdem Beatae Virginis consecrarunt, ubi prima Missa celebrata extitit, ex Bethleem Angelicis manibus ad partes Sclavoniae, et locum Flumen nuncupatum primo portata, et deinde per eosdem Angelos ad nemus Lauretae mulieris ipsius Beatae Mariae Virginis devotissimae, et successive ex dicto nemore propter homicidia, et alia facinora, que inibi perpetrabantur in Collem duorum Fratrum, et postremo ob rixas, et contentiones inter eos exortas in Vicum publicum Territorii Recanatensis translata extitit, cupientesque ipsam Ecclesiam, ad quam non minorem devotionis affectum gerimus, quam Paulus, et, qui secundum carnem Avunculus noster erat, Sixtus Praedecessores praefati gesserunt tam in spiritualibus et temporalibus, quam circa illius Ministros, res, et bona, necnon ad illam devotionis causa accedentes salubriter regi, dirigi, et gubernari, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine unionem, annexionem, et incorporationem dissolventes, ipsas Litteras praefati Sixti Praedecessoris quoad exemptionem ipsius Ecclesiae de Laureto, et illius Ministrorum, oblationum, bonorum, et rerum omnium mobilium, et immobilium ab Ecclesia et Episcopo Recanatensi nunc et pro tempore existenti, illius Officialibus quibuscumque praesentibus et futuris, eorumque visitatione, correctione, superioritate, dominio, potestate; quoad indulgentiam eidem Ecclesiae, et illam in praedictis, seu etiam forsan aliis diebus visitantibus tam per dictum Sixtum, quam per quoscumque alios Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet concessas, nec non quoad facultatem absolvendi, modo tamen infrascripto Apostolica Auctoritate tenore praesentium approbamus, et perpetuae firmitatis robur obtinere debere decernimus, ac de novo concedimus; ac hujusmodi indulgentias, et remissiones ad visitantes praefatam Ecclesiam de Laureto a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas Festi Annuntiationis ejusdem Beatae Mariae Virginis extendimus, et ampliamus, ipsamque Ecclesiam de Laureto, et illius bona mobilia, et immobilia, praesentia, et futura, ac possessiones, praedia, campos, vineas, oliveta, silvas, nemora, ac alia quaecumque sub nomine et proprietate dictae Ecclesiae de Laureto per praefatum Hieronymum Episcopum, et quosvis alios usque in presentem diem empta, seu ipsi

Ecclesiae relicta, vel donata, nec non ejus Ministros tam circa divina Officia, quam res, bona, et negotia, Ecclesiam praedictam, ac bonorum ejus regimen, et gubernationem, bonorumque praedictorum dispensationem de novo ab omni visitatione, correctione, jurisdictione, dominio, superioritate et potestate eorumque Episcoporum Recanatensium, ejusque Officialium praesentium, et futurorum perpetuo penitus et omnino eximimus, et liberamus, et sub Nostra, et Beati Petri, ac Sedis praedictorum proprietatem perpetuo suscipimus, Nobisque et Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, et Sedi praefatae, Gubernatorique per Nos, seu Sedem praedictam deputando subjicimus, et subesse volumus; Ipsamque Ecclesiam Beatae Mariae in nostram et Sedis praedictae Cappellam, perpetuo recipimus. Et ut ipsa Ecclesia bene, et laudabiliter, ac fideliter gubernetur, et illius fabrica in dies augeatur et conservetur, eisdem Motu, scientia, potestate, et auctoritate tenore praesentium perpetuo statuimus, et ordinamus, quod Ecclesia ipsa non per Vicarium et Gubernatorem simul, prout in ipsis Sixti Litteris exprimitur, sed per unum Gubernatorem dumtaxat per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes canonice intrantes, ad nutum amovibilem deputandum, regatur, et gubernetur, ipsaque Ecclesia de Laureto, et omnes et singuli Vicum, seu Burgum, ubi ipsa Ecclesia de Laureto nunc consistit, et in eodem Vico tam ratione rerum dumtaxat ad dictam Ecclesiam pertinentium, quam pro hospitandis ad dictam Ecclesiam declinantibus, et victualibus, seu etiam eidem Ecclesiae offerendis, vendendis, et exhibendis dumtaxat inhabitantes, possessionesque domos, tenutas, et alia bona immobilia ad dictam Ecclesiam de Laureto, et illius fabricam pertinentia, colentes, et laborantes sub ejusdem Gubernatoris pro tempore deputati mero, ac mixto imperio, ac omnimoda jurisdictione in spiritualibus et temporalibus perpetuo subjiciantur; Et nullum alium Superiorem nisi Nos et Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et ipsum Gubernatorem pro tempore deputatum dumtaxat recognoscant. Et quod ipse Gubernator pro tempore deputatus facultatem habeat omnes et singulas causas tam civiles, quam criminales, seu mixtas per se, vel per alium, seu alios per eum deputandos, et cum sibi videbitur amovendos, tam inter, et contra Peregrinos et Advenas, quam pro eis contra quosvis alios, etiam summarie simpliciter et de plano, etiam sola veritate facti inspecta, audiendi, cognoscendi, terminandi, et decidendi, et quod decreverit Auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, et alia juris opportuna remedia observari faciendi, et executioni etiam per se, vel alium, seu alios, demandandi, et demandari faciendi, ac culpabiles incarcerandi, et prout juris fuerit castigandi, et puniendi mandantes dilectis Filiis Legato, Vicelegato, Thesaurario, Maresciallo,

et ceteris Officialibus tam in spiritualibus, quam in temporalibus Provinciae nostrae Marchiae Anconitanae, et aliarum Civitatum, Terrarum, Locorum Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectorum nunc, et pro tempore existentibus, ut eidem Gubernatori Ecclesiae de Laureto in praemissis faveant, et assistant; Prioribus vero, Communitati, et Hominibus Civitatis nostrae Recanatensis hujusmodi, ut illi in eisdem et aliis circa praemissa ad ejus jurisdictionem pertinentia per ipsum facienda, et statuenda tamquam Nobis pareant, et intendant, nec ullo modo audeant in aliquo contra facere vel venire, alioquin poenis per ipsum Gubernatorem infligendis subjaceant, et quod omnes et singuli eidem Ecclesiae de Laureto inservientes pro tempore Nostri, et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium veri, et indubitati Familiares continui Commensales existant, et esse censeantur; privilegiisque et immunitatibus, et libertatibus ac antelatione praerogativis gaudeant, et potiantur, quibus alii Familiares Nostri et Successores continui Commensales de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, et gaudebunt, seu uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum; Et quod quicumque ad dictam Ecclesiam, seu Vicum undecumque Victualia, seu etiam alia bona quaecumque cujusvis quantitatis, et qualitatis seu generis fuerint, detulerint voti causa, seu pro substentatione eorum, qui ad praefatam Ecclesiam confluunt, inibi vendiderint, ab omni gabella, seu portu, telono, aut cujusvis alterius oneris, seu fundenavis, vel portus quavis auctoritate ex quibusvis causis impositi, vel imponendi solutione bonorum hujusmodi sic deferendorum, extrahendorum, et vendendorum liberi, et exempti existant; nec praetextu quorumcumque privilegiorum, seu statutorum, aut consuetudinum, aut etiam represaliarum, tam per dictam Curiam Generalem Provincialem Marchiae Anconitanae, quam alias Civitates, Terras, et Loca Nobis, et Romanae Ecclesiae mediate, aut immediate subjecta, seu illarum Officiales, aut gabellarios, etiam Apostolica Auctoritate impositam, ipsi bona hjusmodi deferentes, aut ipsa bona occasione gabellae, teloni, seu fundenaris, vel alterius oneris, arrestari, detineri, vel alias quovis modo impediri nequeant. Et similiter bona ad ipsam Ecclesiam, et illius loca adduci, et trasportari possint libera, et exempta ab omni datio, et gabella, vel cujuscumque alterius oneris solutione, vel exactione. Et quia nonnumquam hospites, et alii candelas, et alia mercimonia in dicto Vico, seu Burgo tam pro victualibus, quam votis, et candelis, et aliis ipsi Ecclesiae offerendis fraudes, et deceptiones committere possint, volentes, ut in praemissis omnis fraus cesset, ac Peregrini, et alii ad eamdem Ecclesiam devotionis causa confluentes benigne prae ceteris tractari possint, et debeant, eidem Gubernatori per se, vel ab eo deputandos idoneos Commissarios facultatem inquirendi super hujusmodi victualibus, et

aliis rebus praedictis vendendis, et ne circa illas, vel illa fraudes, vel deceptiones fiant eisdem rebus vendendis etiam per dictos hospites praetium conveniens imponendi eisdem hospitibus, ut bona praedicta pro victualibus venientium ad eamdem Ecclesiam, et illius Burgum, seu Vicum praedictum absque alicujus gabellae solutione vendere possint concedendi, et illa ab hujusmodi gabellis libera, et exempta existere decernendi licentiam et facultatem concedimus per praesentes. Et insuper decernimus, quod Confessarii praedicti ad audiendas confessiones ad praefatam Ecclesiam Beatae Mariae devotionis causa, et has accedentium pro tempore deputati, per ipsum Gubernatorem pro tempore existentem et non alium deputentur, et per ipsum Gubernatorem, si rationabilis causa fuerit amoveantur, et alii idonei loco amotorum substituantur modo prout sibi videbitur necessario, seu congruo et opportuno. Praeterea quia intentionis nostrae est, ut juxta praesentium tenorem, et nonnulla alia Statuta, et ordinationes per Nos, seu de mandato nostro edita, et per Secretarium nostrum subscripta, ac annulo Piscatoris munita, quibus per praesentes derogare non intendimus, bona dictae Ecclesiae tam temporalia, quam spiritualia, et praesertim oblationes quae in eadem Ecclesia devotionis causa fient, fideliter colligantur, et in opus et utilitatem Ecclesiae de Laureto, et illius fabricae praedictae dispensentur, eisdem motu, scientia, et auctoritate districte inhibemus, ne aliquis Presbyterorum, seu Clericorum dictae Ecclesiae sine scitu, et praesentia dicti Gubernatoris audeat tractare, seu accipere pecunias, tam cerae, quam eleemosinarum, et oblationum ejusdem Ecclesiae sub poena excommunicationis latae sententiae, et privationis Beneficiorum suorum, et salarii ratione servitii Ecclesiae praedictae sibi debiti, cujus absolutionem, quatenus tamen hujusmodi pecuniarum tractactio, seu receptio fraudolenta non fuerit, eidem Gubernatori pro tempore existenti concedimus, et non alias. Rursus quia contigere posset, quod pro evidenti utilitate, seu necessitate dictae Ecclesiae, et illius Fabricae expedierit aliqua ex bonis mobilibus, vel immobilibus ad praefatam Ecclesiam de Laureto, seu illius fabricam pro tempore pertinentibus vendere, seu permutare, aut in emphiteusim perpetuam, vel ad tempus concedere, eisdem motu, auctoritate, et potestate etiam statuimus, et ordinamus praefato Gubernatori, et pro tempore existenti facultatem concedimus, quod habita desuper matura deliberatione, et consultatione, ac debitis tractatibus cum Praesbyteris, et Clericis dictae Ecclesiae de Laureto habitis praecedentibus bona quaecumque valorem tamen 50. Ducatorum auri non excedentia mobilia, et immobilia ad Ecclesiam de Laureto, et fabricam hujusmodi pertinentia pro tempore imminente necessitate, vel utilitate evidenti, quibusvis personis tam ecclesiasticis, quam Laicis, cum quibus Ecclesiae, et fabricae praedictorum conditionem

efficere poterit meliorem, in Emphiteusim perpetuam, vel ad tempus, seu illa pro aliis utilitatibus bonis mobilibus, vel immobilibus respective, permutare mobilia, velut cum mobilibus, et immobilia cum immobilibus permutando, seu vendere, et pretium inde proveniens in emptionem aliorum bonorum immobilium, seu mobilium pro eadem Ecclesia, seu fabrica, aut alias in utilitatem Ecclesiae et fabricae praedictarum, prout necessitas et utilitas imminens suadebit, et non aliter convertere possit. Ac etiam quod ipse Gubernator possit pro usu ipsius Ecclesiae de Laureto, et fabricae praedictae etiam ubique locorum, et in quarumcumque Civitatum, Castrorum, et Locorum territorio, silvis, et nemoribus incidere, sive incidi facere ligna, et lapides, et ad ipsam Ecclesiam de Laureto similiter adduci facere absque solutione alicujus gabellae, et pedagii, non obstantibus piae memoriae Innocentii IV Praedecessoris Nostri circa exemptos edita, quae incipit — Volentes — et aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non praemissis, ac quibusvis aliis Litteris, et Privilegiis etiam Apostolicis, etiam Ecclesiae Recanatensi, ac Communitati, et aliis praedictis sub quibuscumque tenoribus concessis, ac suspensionibus quarumcumque Indulgentiarum plenariarum, et utilitatem Basilicae Principis Apostolorum de Urbe etiam per Nos factis, et faciendis, quas et quae ad ipsam Ecclesiam de Laureto et contenta in praesentibus Litteris, et nullatenus extendere, et ipsarum praesentium effectum quoquo modo impedire non posse, motu, scientia, auctoritate, et potestate praedictis decernimus, et declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum quia forsan difficile foret praesentes Litteras ad singula loca, ubi opus fuerit deferri, volumus, et eadem Apostolica Auctoritate decernimus, quod Transumptis praesentium Litterarum manu alicujus Notarii, seu Gubernatoris publici subscriptis, et sigillo Beatae Mariae de Laureto munitis eadem fides in judicio, et extra ubilibet, ubi fuerint exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dissolutionis, approbationis, decreti, concessionis, extentionis, ampliationis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subjectionis, voluntatis, receptionis, statuti, ordinationis, mandati, intentionis, inhibitionis, et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1507. XII. Kal. Novembris Pontificatus Nostri Anno IV. —

CXIII.

E Protocollo Ser Antonii Angelelli. A. 1507.

1507. 12. Octobr.

Dicta die, videlicet duodecima mensis optobris.

Congregati, convocati et cohadunati collegialiter more solito et ad sonum campanellae, infrascripti *Venerabiles Patres Canonici Majoris* Ecclesie Racanat. de mandato ut asseruerunt Reverendi Patris D. Dominici de Sabastolis de Anguillaria Prepositi ecclesie S. Viti de Racanato et vocati ex commissione predicta per Berardinum . . . . . in dicta ecclesia episcopali commorantem una cum aliis ut dictus Berardinus retulit etc. ad hanc diem et horam ut moris est vocati etc. Qui quidem Canonici prelibati vacantes ob mortem Reverendi Patris D. Marini Augustini *Canonici* quondam dicte ecclesie et *Prepositi* alium eligere et deputare loco dicti defuncti Canonicum in dicta ecclesia ne ea patiatur, posuere tandem ad partitam inter eos ad fabas Dompnum *Laurentium de Sebastolis de Anguillaria,* Et sic posito inter eos et misso partito obtinuit dictus dompnus Laurentius, ut per recensionem fabarum inveni, quia omnes fabe reperte fuerunt albe, nigra vero nulla penitus inventa fuit.

Canonici qui in dicta Congregatione interfuerunt, fuere hi videlicet: D. Dominicus Prepositus antedictus, D. Joannes Brachii, D. Thomas Ser Antonii, D. Christoforus Joannis Thome, D. Christoferus Constantini, D. Berardinus Baptiste, D. Joannes baptista Johannis, D. Perfranciscus Rossietti, D. Franciscus Ser Benedicti, D. Perpaulus ser Gasparis.

Acta fuit Congregatio predicta in civitate Racanati in Ecclesia Episcopali dicte civitatis videlicet in Sacristia ejusdem Ecclesie etc. predictis Canonicis ut supra astantibus discutientibus, proponentibus, providentibus et eligentibus ut supra, dictisque fabis in eorum presentia datis et recollectis ac visis et numeratis omni meliori modo etc. rogantes me Notarium etc.

Dicta die et loco, dictis Canonicis presentibus, etc. supradictus etc. omissis etc.

Insuper prefati Canonici ut supra coadunati in dicta Sacristia sedentesque et providere volentes quo ordine et modo alii Canonici in futurum eligendi progredi et procedere inter se debeant etc. Posuerunt inter ipsos ad partitum infrascriptam constitutionem videlicet:

Quod in futurum Presbiteri Canonici precedent Dyaconis, et Diaconi subdiaconis et sic gradatim non obstante quacumque consuetudine contraria hactenus observata, juxta C. cum inferior de maj. et obedientia.

Et sic misso dicto partito et recollectis dictis fabis et numeratis coram dictis D. Canonicis reperte fuerunt omnes albae.

Qui D. Canonici ut supra coadunati cum dicto D. Praeposito declararunt et ordinarunt prefatum D. Laurentium quoad ordinem procedendi intelligi debere de futuris Canonicis et sic sub dicta constitutione comprehendi, non obstantibus quibuscumque.

Actum ubi supra presentibus D. Antoniofrancisco Ant. et Don Jacobo del bona testibus etc.

CXIV.

Apud DD. de Carradoris Rec.

1508. 20. Nov.

Sia noto et manifesto ad qualuncha persona legera questa presente scripta, como io *Theseo de Cuppis* da Montefalcho Vescovo de Rachanati et de Macerata ho recevoto da Messer Don Thomasso Preposito de Rachanati ducato d'oro larghi cento cinquanta, cioè 150, quali denari hò ut supra recevoti *per lo affitto delle terre et silve del detto* Vescovato *allochate ad Sancta Maria de Loreto*, como appare per li capitoli facti per la Santità de N. S. Papa Julio, et sonno pro anno 1508. — In fè de ciò ho scripto questo de mia propria mano a dì 20. Novembre 1508., presentibus Donno Antonio francisco Antonii, et Jacobo Amoroso, et Francisco de Abbatibus de Montefalcho, et sigillo meo parvulo munivi.

L. S. Ego idem Theseus scripsi et subscripsi manu propria.

CXV.

Ex Bullario MS. Ecclesiae Lauretanae.

1514. 8. Decemb.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ex supernae providentia majestatis in Apostolicae dignitatis specula constituti circa universarum, quarum desuper commissa est cura, Ecclesiarum profectus et commoda, ut earum status, prout locorum et temporum circumstantiis et qualitatibus diligenter consideratis in Domino salubriter expedire conspicimus, in melius dirigatur, sicut ex debito pastoralis officii nobis incumbit, operosis studiis efficaciter intendimus, ac eas potioris honoris titulis extollere studemus cuncta propensius cogitantes, per quae in illis frequentioris devotionis ardore potioribusque laudum praeconiis veneretur Altissimus, ac pro animarum salutis propagatione divinus cultus ubique continuum suscipiat incrementum. Sane cum Ecclesia nostra Beatae Mariae de Laureto nullius dioecesis inter alias orbis Eccle-

sias singulari devotione, assiduis miraculis, et amplissimis aedificiis splendeat, et in ea certus numerus Presbyterorum, quibus ex eleemosynis in ipsa Ecclesia pro tempore erogatis necessaria congrua ministrantibus singulis diebus congruis horis et temporibus Horas Canonicas et Missas et alia divina officia celebrentur: Nos, qui Ecclesiarum omnium decorem, et in melius directionem sinceris desideramus affectibus, eandem Ecclesiam ad divini nominis laudem et gloriam, ac ipsius Genetricis ejusdem gloriosae Virginis Mariae honorem et reverentiam condignis honoribus attollere, ac in ea divinum cultum, nec non Ministrorum numerum cum illius decore et venustate, ac fidelium devotione, et augere peroptantes, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione *Ecclesiam ipsam in Collegiatam cum sigillo et arca communibus, ac aliis collegialibus insigniis, ac in ea duodecim Canonicatus, et totidem praebendas pro duodecim Canonicis, qui Capitulum ipsius Ecclesiae faciant et constituant, ac etiam duodecim perpetuas Cappellanias, Mansionarias nuncupatas pro duodecim perpetuis Cappellanis, Mansionariis nuncupandis, nec non sex loca, seu perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, Clericatus nuncupanda, pro totidem Clericis,* qui omnes in ipsa Ecclesia divina officia juxta ordinationem dilecti filii nostri Bernardi S. Mariae in Porticu Diaconi Cardinalis *ejusdem Ecclesiae Protectoris* desuper faciendam celebrare teneantur, auctoritate apostolica tenore praesentium *erigimus et constituimus;* Ac mensae Capitulari ipsius Ecclesiae omnia et singula ejusdem Ecclesiae fructus, jura, obventiones, oblationes, et emolumenta, ex quibus loco distributionum *singuli Canonici quinquaginta, cappellani* vero seu Mansionarii *vigintiquinque, Clerici* autem *duodecim* ducatos auri, inclusis seu computatis salariis, quae Cappellani, Clerici, et Officiales ecclesiastici ejusdem Ecclesiae praeter illius Gubernatorem ex fructibus et oblationibus hujusmodi pro eorum mercede hactenus percipere consueverunt; Ac ultra eorum portiones hujusmodi pro eorum expensis ex fructibus praedictis, singuli *Canonici sex, Cappellani* vero seu Mansionarii *quatuor,* et *Clerici tres grani;* ac *Canonici decem, Cappellani* autem seu Mansionarii *octo,* et *Clerici sex vini puri, nec non quilibet ipsorum* Canonicorum, Cappellanorum et Clericorum *alias sex vini aquaticci* nuncupati *salmas,* et *Canonici unum,* et *Cappellani* seu Mansionarii, et *Clerici* praefati *dimidium cadum seu metrum olei* habeant et percipiant annuatim, autoritate et tenore praedictis, perpetuo applicamus et appropriamus. Et insuper eisdem auctoritate et tenore statuimus, ordinamus, et decernimus, quod collatio et provisio singulorum Canonicorum et praebendarum, ac Cappellaniarum et beneficiorum praedictorum hac prima vice ab eorum prima erectione hujusmodi vacantium ad praefatum Bernardum Cardinalem, et *deinde,*

occurrente illorum pro tempore vacatione electio illorum ad Gubernatorem ipsius Ecclesiae pro tempore existentem, et Capitulum seu Canonicos praefatos conjunctim, Confirmatio vero ad Protectorem ejusmodi Ecclesiae pro tempore existentem pertineat: Ac quod ex dictis Canonicis eligatur unus vita, scientia, et moribus ad hoc idoneus in *Archipresbyterum*, qui inibi praeminentem habeat dignitatem, et aliis praesit: *Nec aliquis in Canonicum nisi ex Clericis praefatis in Praesbyteratus tamen ordine seu tali aetate* constitutus, quod saltem dispensative ad Presbyteratus ordinem promoveri possit. Quod si secus factum, Protector de alio idoneo, super quo ejus conscientiam oneramus, valeat providere: quodque singuli Canonici, Mansionarii, et Clerici praefati in dicta Ecclesia continue, personaliter residere, et illi in divinis et aliis per se ipsos et *non per substitutos* deservire teneantur, et in horis diei, ac Missis tam capitularibus quam votivis in dicta Ecclesia pro tempore, ut moris est, celebrandis, praesententur, et portiones eleemosynarum pro distributionibus applicatae hujusmodi inter praesentes et punctatos pro quantitate punctorum et punctatorum integre distribuantur: ac praesentes et punctati totum, absentes vero et non punctati nihil percipiant. Liceat tamen singulis ipsorum Canonicorum, Cappellanorum, et Clericorum ob insalubritatem aeris dicti loci absque aliqua distributionum praedictarum subtractione anno quolibet *per mensem unum*, quo punctetur et annotetur ac si praesens foret, abesse, prout inter seipsos convenerint seu forte contraxerint, sic semper non minus quam duae eorum partes in Ecclesia ipsa resideant, et illi in divinis et aliis deserviant. Si vero ultra dictum mensem abfuerit, distributiones omnes et fructus quoslibet amittat: *et si ultra duos menses aliquem eorum abesse contigerit, lapso primo mense* Canonicatu et praebenda seu Cappellania aut beneficio seu officio vel dignitate per eum in ipsa Ecclesia obtento *ipso jure privatus existat*, et ad electionem alterius eo loco, modo, et forma praedictis libere procedi valeat; et si intra mensem Gubernator et Capitulum in electione negligentes extiterint quod Protector sine alia electione in locum ipsius alium aeque idoneum, super quo etiam ipsius conscientiam oneramus, substituat: Ac quod ex dicto Canonicorum et Cappellanorum numero eligantur per Gubernatorem dictae Ecclesiae pro tempore existentem illius officiales consueti, hoc modo, videlicet *ex Canonicis Depositarius, ac duo saltem ex* sex vel octo *poenitentiariis;* et *unus ex tribus custodibus Cappellae* ipsius Beatissimae Mariae Virginis: nec non *duo ex Cappellanis et beneficiatis praedictis, quorum unus Organista, et unus Sacrista esse debeat: Cancellarius autem et reliqui quatuor vel sex poenitentiarii*, nec non *alii duo Custodes* dictae Cappellae, et *unus saltem* apothecae cerae cum duobus fidelibus laicis ad

nutum Gubernatoris *ex Canonicis seu Cappellanis praefatis, et si qui alii forsan officiales necessarii forent eligantur, et eligi debeant,* et electi hujusmodi dicta officia sibi committenda absque aliquo augumento mercedis laudabiliter omni cum diligentia exercere teneantur, et *cum dictis officiis praepediti erunt* non teneantur divinis seu aliis, quibus alias obligati essent, interesse, Nec ipsis ex dictis distributionibus valeat aliquid dominui, sed punctentur, ac si illis semper interfuissent, et nihilominus ut Canonici, Cappellani, Beneficiati eo magis divinis officiis et aliis sibi commissis sint intenti, quo magis noverint se apostolicis favoribus juvari fel. recor. Julii Papae II Praedecessoris nostri vestigiis inhaerendo *eisdem Canonicis, Cappellanis, et Beneficiatis ipsius Ecclesiae pro tempore existentibus ut ipsi, et eorum singuli nostri et aliorum Rom. Pontificum Successorum nostrorum veri familiares, et continui commensales existant:* Nec non eidem erectae Ecclesiae et illius Canonicis et personis pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, indulgentiis, et indultis aliis Collegiatis Ecclesiis et illarum personis in genere concessis et concedendis uti, potiri, et gaudere perpetuo valeant cum effectu: ac praefato *Bernardo Cardinali, ut statuta laudabilia,* rationabilia, et honesta ac sacris canonibus non contraria *pro salubri statu et directione ipsius Ecclesiae facere,* et edere *illasque pro varietate temporum mutare,* limitare, et tollere, ac alia de novo facere *possit,* quoties sibi pro utilitate dictae Ecclesiae visum fuerit, quae postquam edita et mutata ac limitata seu de novo facta fuerint, eo ipso dicta apostolica auctoritate confirmata esse censeantur, auctoritate praedicta earundem tenore praesentium indulgemus, ac eidem Bernardo Cardinali super hoc facultatem concedimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, statuti, ordinationis, decreti, indulti et concessionis infringere, vel ei ausu contrario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo decimo quarto, sexto idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CXVI.

Ex Protocollo majori Ser Joa. Francisci Tarantelli in Archiv. publ. Recanat.

1519. 18. Januarii.

Deest principium.

... vel horarum, et ad Missam cantandam habeatur pro pr . . . . cum cotta et amutio ut supra. Ante finem gloria in excelsis . . . . . Missa. Et si in Missa non cantatur gloria, tunc sit . . . . . num: quae cantantur in principio Missae, ita tamen quod stet us . . . . . Missae: alias nullo modo volumus ut admittatur ad luc . . . . . vet antiquis constitutionibus Rm̃i Nicolai.

Item statuimus et ordinamus quod nullus Canonicus, vel Mansionarius electus . . . . possit partecipare de dictis distributionibus, nisi sit presens in il . . . . . Ecclesia, vel in Choro ut supra, unde si sit absens propter infirmitatem . . . . servitio D. Episcopi, vel Capituli, aut propter quamcumque aliam causam volumus, quod . . . . modo possit participare de dictis distributionibus nisi sit presens ut supra n . . . . . causa dicto Capitulo, et Collegio opportuna, et necessaria: quam causam ha . . . . care major pars participantium presentium.

Item statuimus et ordinamus prout per Rm̃um D. Al. statutum fuit, quod in quolibet . . . . de mense Augusti in fine dicti mensis in quo mense recolecti . . . . fructus totius anni, debeant creari scindici Capituli, Collegiique nostre . . . . . Flaviani, videlicet unus de Canonicis et alter de Mansionariis: et in dicta . . . . et creatione interveniant pariter Canonici et Mansionarii . . . . scindici teneantur diligenter administrare res, et bona Capituli, et Collegii praestito prius ut juris est per Reverendum D. Vicarium juramento de fideliter dictas res, et bona administrando: teneantur etiam no . . . . quisiti, ut magis suspitio fraudis aboleatur, reddere rationem administrationis eorum coram uno Canonico, et uno Mansionario per Reverendum Capitulum, Collegiumque eligendis: et quatenus contrafecerint, et donec administrationem antedictam non reddiderint, non scribantur ad librum distributionum . . . . ens puniatur ad arbitrium Vicarii pro tempore existentis.

. . . . . et declaramus, quatenus eligatur per Capitulum unus idoneus, et sufficiens. . . . . Canonicus vel Mansionarius, qui vocatur defensor Capituli: sine quo . . . . . nulli debeant solvere aliquam pecuniarum quantitatem nisi habita . . . . bullecta dicti defensoris: et constito de bono credito petentis tam. . . . . .scindicis, quam dicto defensori: scindici solvant, alias non: et quatenus . . . . . fati scindici solverent sine confectione dictae

bullectae manu dicti defensoris .... incurrant ipso facto poenam duorum ducatorum auri Camerae Episcopali applicandorum .... solutum non computetur in rebus, et pecuniis Capituli: cum legem debuissent servare.

..... mus, et declaramus, quod quilibet Canonicus, et Mansionarius debeant in diebus Dominicis celebrare unam Missam, vel celebrari facere: alias solvat bolonenos duos.

Item quod praefati Canonici, et Mansionarii debeant cantare Missam mortuorum in quolibet die Dominico in summo mane: et illi tam Canonici, qnam Mansionarii, qui non .... stabunt, solvant bolonenum unum.

Item, quod supradicti debeant facere vigiliam mortuorum post Completorium: et tam Canonici, quam Mansionarii, qui non astabunt dictae vigiliae, similiter solvant bolonenum unum: et dictae poenae cedant in utilitatem celebrantium Missam: et Missae pariter, et Vigiliae assistentium: et scribens distributionarios, debeat etiam in alio libello separato scribere assistentes, et non assistentes dictae Missae mortuorum, et vigiliae, et celebrantium, et non celebrantium missam debitam in die Dominico, et eos tradere Vicario in quolibet capite mensis: qui habeat facere solvere dictas poenas, quae postea dividantur inter praesentes partecipantes, ut supra.

Item statuimus, quod quilibet Canonicus, seu Mansionarius, qui de suo loco discedet, non scribatur ad librum, nisi discedat causa necessitatis. Et similiter qui vadit discurrendo per Chorum, et qui in Coro non manet per spatium unius psalmi, nisi esset Sacrista, quem volumus de dictae Sacristiae impedimento excusare: et nisi ut supra ex causa necessitatis.

Item statuimus, quod in futurum semper sit unus Archidiaconus in Ecclesia nostra praedicta S. Flaviani, cujus officium sit ordinare Ecclesiam in spiritualibus, et .... divinum, cui omnes ministri dictae Ecclesiae debeant obedire in his, quae .... de jure spectat, et ille Archidiaconus sit Dignitas secunda post Pontificalem; quia cum Praepositura S. Viti sit prima post Pontificalem, ita debeat praecedere, et Archidiaconus in Ecclesia S. Flaviani sit Dignitas secunda post Pontificalem, ita debeat sequi Praepositum S. Viti: et volumus, quod D. Episcopus Racanatensis convocatis omnibus Canonicis, et Altaristis praesentibus simul habeant eligere dictum Archidiaconum, ut antiqua Constitutio Rm̃i D. Episcopi Nicolai dictabat, quo electo confirmatio spectet ad D. Episcopum pro tempore existentem: verumtamen volumus, quod non eligatur aliquis in Archidiaconum, nisi sit Canonicus, vel Mansionarius, vel Altarista et Praesbyter in dicta Ecclesia S. Flaviani, ut per Rm̃um Episcopum Nicolaum statutum erat, volumus tamen, quod Archidiaconus habeat tantum de distributionibus, quantum unus Canonicus vel Mansionarius: et eo absente nihil habeat de distributionibus praedictis: Volumus tamen, quod absente Archidiacono

teneatur deputare unum de praestantioribus Canonicis loco ejus, qui habeat ordinare dictam Ecclesiam in spiritualibus. Tamen ille Vicearchidiaconus quoad locum et honorem non se habeat alium, quam si non esset Vicearchidiaconus. Et quilibet deputatus in Vicearchidiaconum teneatur subire illud onus, et si ob aliquam causam Archidiaconus non disponat de aliquo Vicearchidiacono, tunc Dominus Episcopus habeat illum deputare, ne Ecclesia interim aliquod detrimentum in spiritualibus et officio divino patiatur: et statim deputato Vicearchidiacono per Reverendissimum D. Episcopum vel ejus Vicarium approbetur: alias illa deputatio sit irrita, vana, nulliusque valoris.

Item statuimus et ordinamus, quod quandocumque fiunt Processiones ordinariae, videlicet: Corporis Christi, S. Flaviani, S. Viti, S. Macarii, S. Rochi, S. Margaritae, Letaniae majores sive triduanae: S. Marci Evangelistae, in ingressu Legati vel Vicelegati, vel Episcopi nostrae civitatis, omnes in sacris ordinibus constituti et Clerici teneantur venire ad dictas processiones: et Sacerdotes et in sacris ordinibus constituti non venientes solvant pro quolibet ipsorum, et qualibet vice bolonenos quatuor, et Clerici solvant bolonenum unum ut supra.

Item statuimus, quod quando itur processionaliter per civitatem, omnes tam Canonici, quam Mansionarii et alii Sacerdotes et Clerici eant bini, recto et bono ordine sociati, ut ostendant devotionem populo, et eant omnes ad suum locum honorando semper senectutem, exceptis Canonicis et Mansionariis nostri Episcopatus, qui volumus ut habeant et teneant digniorem locum ad honorem ipsius Episcopatus, et omnes cantent hymnos et cantica juxta valorem suae vocis, sub poena unius boloneni pro quolibet.

Item statuimus et ordinamus, quod nullus Mansionarius possit neque valeat resignare ejus mansionariatum vel Altaristatum sine consensu et voluntate Capituli et Collegii nostri Episcopatus: et volumus, quod ille, cui fuerit resignatum sit Altarista nostri Episcopatus, et sit idoneus, et saltem bene legat, et bene cantet, et hoc habeat judicare major pars Canonicorum, et Altaristarum praesentium, et ne in hoc fraudetur nostra Ecclesia S. Flaviani, et ne aliquod detrimentum ignorantiae causa patiatur volumus, quod illa resignatio sit nullius valoris, nulliusque momenti.

Item licet fecerimus supradictam ordinationem de horis canonicis, et Officio divino, non tamen per hoc intendimus aliquid innovare de ordinatione, et consuetudine actenus observata de hebdomadariis, et hebdomadis, tam in Missis legendis, et cantandis, quam etiam in alio Officio divino dictim dicendo in nostra Ecclesia, atque etiam pro Officio Defunctorum, quod solet in nostra Ecclesia pro Animabus Benefactorum fieri: in omnibus enim his volumus omnia manere in suo ordine et statu; quia non veni solvere legem, sed adimplere. Quod penas solvendas ille hebdomadarius

qui tenetur cantare Missam, si non cantaverit, vel cantare fecerit, ob magnum detrimentum Ecclesiae, et nostrum dedecus, solvat pro qualibet Missa cantanda bolonenos decem, et ille qui non legerit in ejus ebdomada Missam, pro qualibet Missa solvat bolonenos duos: et si hebdomadarius non venerit ad tempus ad Missam dicendam solvat bolonenum unum pro qualibet vice. Et quia praesentes ordinationes nolumus illis contrarias esse, sed praeter illas, illo excepto, quod duodecim Canonici, et octo Mansionarii de dictis distributionibus equali portione participent, ut supra etiamsi esset aliquis Sacerdos, qui celebraret Missam donec dicuntur horae, volumus quod participet cum aliis de distributione, tamquam si esset in Coro, dummodo post Missae celebrationem vadat ad chorum ad cantundum, vel dicendum Officium cum aliis, cum cotta, et amutio, ut supra.

Item quia organa sunt facta in Ecclesia ad honorem Dei, et ad solemnitatem Officii divini, etiam ut Populus libentius, majorique fervore veniat ad Ecclesiam maxime diebus festivis, ideo volumus, quod semper ordinetur unus de Ecclesia, aut extra Ecclesiam, qui habeat Officium sonandi organum in dicta Ecclesia, tam in primis, quam in secundis vesperis, et in Missa cantanda in diebus solemnibus: in diebus vero duplicibus, et semiduplicibus sonet in Missa, et in secundis vesperis: et ille, qui erit deputatus ad sonandum, habeat decem flerenos monetae in anno de salario, et ille deputetur a D. Episcopo pro tempore existente, vel a Capitulo, et Collegio in absentia D. Episcopi.

Item statuimus, quod si aliquis tempore quo dicitur divinum Officium iret extra Ecclesiam pro dandis Sacramentis Ecclesiae, vel pro aliis causis necessariis, et opportunis Ecclesiae, volumus, ut admictatur ad lucrum distributionum.

Item statuimus, quod Capitulum, et Collegium nostrae Ecclesiae teneantur semel in quolibet mense se congregare capitulariter, et ibi negotia ipsorum tractare, tam distributionum quotidianarum, quam etiam pecuniarum exigendarum, et aliarum rerum spectantium dicto Capitulo, et Collegio Altaristarum vel Mansionariorum sub poena duorum bolendinorum pro quolibet, et quolibet mense, quam poenam applicamus Camerae Episcopali, et hoc sit ne bona Capituli, et Collegii Altaristarum propter negligentiam ipsorum eant in perditionem.

Item statuimus, et ordinamus, quod quando fit Capituli, et Collegii Congregatio, et quando fiunt discussiones, primum Vicarius, vel Praepositus, vel scindici, vel aliquis ipsorum proponant, et propositum istud per publicum Notarium scribatur, deinde per fabas coopertas discutiatur, et nullus ipsorum audeat ostendere ejus fabam nigram vel albam alicui, vel aliquibus ex Canonicis, vel Altaristis, nullo quesito colore sub poena excommunicationis.

Item statuimus, et ordinamus, quod diebus festis solemnibus unus ex Canonicis cum duobus Mansionariis, vel aliis in sacris constitutis teneantur ordinare Officium in primis, et in secundis Vesperis, et Missam cantandam, et quilibet ipsorum debeat esse paratus et indutus ut moris est, sub pena duorum bolonenorum pro quolibet: diebus vero duplicibus et dominicis solus Sacerdos incipiat officium ut supra, sed cantet Missam cum Diacono et Subdiacono ut supra indutis, sub supradicta pena, qui ministri volumus, quod debeant ordinari per Vicarium vel Archidiaconum, vel Vicearchidiaconum, in absentia vero ipsorum ordinentur et eligantur per Sacristam nostri Episcopatus.

Item statuimus, et ordinamus, quod quilibet Canonicus, et Mansionarius teneatur incipere, et ordinare Officium in sua Hebdomada gradatim, dummodo non excusatur legitima causa sub poena lucri currentis in distributione: Mansionarii vero teneantur stare ante librum, videlicet in qualibet hebdoma duo Mansionarii, et sic gradatim ut supra ad legendum lectiones, et responsoria, antiphonas, et versiculos, et hoc ad honorem, et laudem Dei et Ecclesiae nostrae S. Flaviani sub supradicta poena, dummodo non sit noster Sacrista, quem ob Sacristiae impedimentum volumus excusari.

Item statuimus, et ordinamus, quod Cantor, vel Vicecantor sit praesens in Mattutinis, Vesperis, Missis, et aliis Horis cantandis sub poena unius boloneni pro qualibet hora cantanda, quam poenam debeat punctare in libro ille, qui scribit distributionarios sub eadem poena.

Item statuimus, et ordinamus, quod Sacrista, vel aliquis alius, qui habet curam illuminandi Altare majus nostrae Ecclesiae, teneatur diebus Festis solemnibus illuminare illud sex candelis cereis in primis, et in secundis Vesperis, et in Missa cantanda: Festis vero duplicibus quatuor candelis, etiam in Missa cantanda dominicali: aliis vero diebus ferialibus, et festivis simplicibus duobus candelis: convenientibus talibus festis, diebusque, videlicet unciarum octo in solemnibus: in duplicibus vero, et Dominicis unciarum quatuor, et aliis diebus unius unciae, sub poena quatuor boleninorum pro qualibet vice: quam poenam concedimus omnibus Canonicis, et Mansionariis praesentibus, ut habeat majorem curam, et sollicitudinem nostri Altaris, Sacrificiique divini.

Item statuimus, et ordinamus, quatenus nullus Clericus existens sub nostra jurisdictione audeat trahere, seu citare, seu contractus extrahere in quacumque forma celebratos, tam de rebus patrimonialibus dictorum Clericorum, quam beneficiorum sive capitulorum quorumcumque, seu Ecclesiarum coram Judice saeculari, sed coram Nobis, quibus pro posse conabimur, justitia suadente, satisfacere: alias Clerici contravenientes incidant in poenam excommunicationis, et ducatorum . . . . . .

Item statuimus, quatenus, cum juris sit neminem ex eadem causa dua lucra consequi, quod missus pro rebus Capituli, si aliquam mercedem pro labore suo recipit, non scribatur in libro distributionum, dummodo mercedem recipiat ultra expensas viatici, qua viaticum et ejus expensae, volumus quod per Capitulum solvatur.

Item statuimus, et ordinamus, quod in rebus Capituli dandis ad locationem, vel vendendis, vel permutandis semper Canonici, et Mansionarii de eis accipere, vel emere volentes praeferantur aliis pro pari praetio.

Item statuimus, et ordinamus, quod Sacrista teneatur qualibet vigilia Festi duplicis praeparare pluviale, et alia paramenta necessaria et cerofeararia, et alia opportuna, et necessaria Ecclesiae, secundum formam, et consuetudinem Ecclesiae nostrae S. Flaviani sub poena duorum bolonenorum pro qualibet vice, et hoc fit, ne ministri possint allegare ignorantiam Festi, vel paramentorum.

Nec hesitetur aliquis, hujusmodi constitutiones per Nos et Capitulum nostrum Canonicorum, et Altaristarum hoc fieri non potuisse sine licentia fundatoris, videlicet Episcopi Nicolai, qui praefatas distributiones asseritur fundasse: qui voluit non esse plusquam duodecim participantes: qua verum est illud in fundatoribus extraneis a Capitulo, secus si est de Capitulo, quia sine licentia fundatoris semper potest mutari, minui, et accresci: et Episcopus Nicolaus dicitur de Capitulo, quia Episcopus cum Canonicis est unum corpus, et Episcopus non potest sine Capitulo, et e contra, aliquid statuere unum sine alio in respicientibus statutum Ecclesiae, quinimo jus dictat accresci canentes laudes Deo fructibus accrescentibus. Et hoc addimus solum ad tollendum omne dubium super praemissis, et sic juris vult dispositio.

Item quia non est possibile omnes casus in istis nostris Constitutionibus compreendi, volumus, praeter ea, quae sunt a Nobis statuta, et in casibus, in quibus nostrae Constitutiones non loquuntur, veteres Constitutiones, et jus comune servari.

Item, quia omnes casus contingentes, quae possunt evenire, non possunt praevideri, ideo volumus, quod si contigat circa praedicta statuta, et ordinationes, esse aliquod dubium in futurum, quod habeatur recursus ad D. Episcopum pro tempore existentem, qui habeat illud, vel illa dubia declarare: et similiter si sint aliqui in Ecclesia, qui non sint obedientes, nec velint facere debitum suum in Officio divino, aut aliis concernentibus honorem, et commodum dictae Ecclesiae, etiam habeatur recursus ad D. Episcopum pro tempore existentem, qui habeat regere, et conservare Statuta, et ordinationes dictae Ecclesiae, ac bonas consuetudines, cui supplicetur, ut compellat omnes ad faciendum debitum suum, et maxime pro Officio divino, quod debet fieri ad laudem, et gloriam Dei.

Ob quam causam Ego Bernardinus de Mencionibus Canonicus Racanatensis, et Rm̃i D. Aloysii de Tassis Episcopi Recanatensis dignissimi Vicarius Generalis cum voluntate, consilio, et consensu Capituli nostri Recanatensis, quam etiam Altaristarum Ecclesiae S. Flaviani feci supradicta Statuta, et Ordinationes ad laudem D. N. Jesu Christi, cui sit honor, et gloria in secula seculorum. Amen. Anno Domini M. D. XIX. die . . . .

Lecta, publicata, ordinata, et approbata omnia supradicta, et lecta in Ven. Capitulo Ecclesiae Episcopatus Recanatensis, ad hoc convocato, et congregato de mandato supradicti D. Vicarii in Sacristia Episcopatus, posita juxta res Episcopatus, et alios fines veriores: in quo interfuerunt praefatus D. Vicarius statuens Decretor. Doctor, Dominus Christophorus Joannis Thomae, Dominus Christophorus Constantini, Dominus Berardinus Baptistae, Dominus Joannes Baptista Trebianus, Dominus Franciscus Ser Benedicti, Dominus Peruspaulus Ser Gasparis, Dominus Baptista Francisci de Anguillaria, Dominus Ciccus Joannis Baptistini, omnes supradicti Ven. DD. Canonici: Dominus Gentilis Ludovici, Dominus Blasius Jacobi, Dominus Joannes Perus Accursii, Dominus Joannes perus de Crema, Dominus Joannes de Albona, Dominus Antonius Franciscus Anselmi, Dominus Lucas Francisci, Dominus Marinangelus Viti, Dominus Jacobus Amorosi, omnes Participantes, Dominus Baptista Cassianus, Dominus Berardinus Pelose, Dominus Joanperus Lazzari, Dominus Joannes Baptista Joannis Constantini, Dominus Nicolaus Laurentii Lazzari de Racanato, qui omnes supra nominati consenserunt, confirmaverunt, approbaverunt, reddideruntque omnes fabas albas, praeter tres etc. Sub anno Domini a salutifera Circumcisione Millesio quingentesio decimonono, Indictione septima, tempore D. N. D. Leonis Divina providentia Papae Decimi, die vero decimaoctava mensis Januarii, praesentibus honesto viro Domino Joanne Nicolao Jacobi, et Domino Bartholomeo Pernicolai Monaldi, ambobus de Recanato testibus ad praedicta habitis, vocatis, et rogatis.

CXVII.

E tabulario fraternitatis S. Jacobi.

1519. 13. Sept.

In Dei nomine amen. Hec est copia sive exemplum testamenti facti et conditi per spectabilem virum Jacobum Venerii de Veneriis de Racanato scripti propria manu ipsius Jacobi copiati et exemplati per me Berardinum Ser Gasparis de Racanato, ac de eo rogati, cujus tenor talis est, videlicet:

In omnipotentis Dei Deiparaeque Virginis nomine amen. Ego Jacobus Venerii de Veneriis de Rachaneto alterius exemplo cautior effectus, ne in

lecto et pulvinari depressus alterius nutu de bonis meis disponere cogar, nunc sanus mente et corpore ex sensu proprio hanc bonorum meorum dispositionem scripsi manu propria, ad hoc ut elucescat ab alio quovis nunquam fuisse vitiatam, ne potuisse vitiari. Quo autem tempore hoc testamentum sive nuncupativum sive quovis modo dici vel nominari debeat, condiderim, manu fidelissimi Compatris mei Ser Berardini Ser Gasparis publici Tabellionis et de hoc a me rogati perleges. Ipse hoc, quod sequitur, statuo ac volo. Et inprimis animam animarum plasmatori commendo: corpus vero jubeo sepeliri in Ecclesia S. Mariae de Castronovo in sepulchro, quod ipse pientissimo patri Venerio extruendum curavi. Item pompam funebrem jubeo ac volo celebrari, prout heredibus instruendum videbitur, dummodo in ea omnis fastus cesset. Item pro male ablatis incertis jubeo Ecclesiae distribuendos dari florenos quinque.

Item relinquo dilectissimae Conjugi meae Laurae Malaspinae pro restitutione dotis Emerentianae matris ejus florenos ducentos quinquaginta ad rationem bolonenorum triginta quinque pro quolibet floreno, sicut et ego ab ejus nepotibus accepi. Item relinquo de meis florenos centum ad rationem bolonenorum quadraginta pro quolibet floreno. Item jubeo eidem dari de meis boves aratores ad ejus electionem sex, et vaccas quatuor, et pecudes quinquaginta similiter ad ejus electionem.

Item jubeo ac volo eandem Lauram habere, ac sibi dari omnes pannos lineos et laneos ad ejus usum factos, similiterque sericeos, zonasque argenteas, et anulos aureos, nihilque aliud petere in dicta hereditate. Haec autem omnia habeat, si ad secunda vota transierit, vel viventem Lannam matrem dereliquerit, vel hereditatem usufructuariam, quam sibi matri lego, renuntiare contigerit. Sed si vitam vidualem pro me testatore et honestam, castam, et coelibem servaverit, heres mihi sit cum matre, prout hic infra.

In ceteris autem bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus praesentibus et futuris heredes mihi instituo Venerandam matrem meam Lannam et dilectissimam Conjugem meam Lauram in usufructu ita tamen, quod nullum eis conficiatur inventarium, nec ullum ab eis vel altera ipsarum computum exigi petive possit, sed ipsae donec vixerint omnium proventuum sint dominae, dispensatrices et patronae, dummodo nihil stabile alienent. Quod si contra factum fuerit, ipsas heredes dampno in centum ducatos aureos poenae causa praestandos Ecclesiae Lauretanae.

Post mortem vero meam, si dominabus praefatis matri et Laurae conjugi supervixero, instituo heredem universorum bonorum meorum mobilium et immobilium Venerabilem Fraternitatem Frustatorum Sancti Jacobi de Racanato. Si vero mater Lanna, et Laura conjux vel earum altera mihi supervixerint, eis post earum mortem substituo per fideicommissum

eandem Fraternitatem, quae utcumque successerit ad infrascripta teneatur. Et si in parte aliqua in aliquo de infrascriptis per eam vel ejus ministros contra factum fuerit ipsam Fraternitatem poenae causa damno in qualibet vice qua contra factum fuerit in centum aureis praestandis et solvendis Ecclesiae Lauretanae. Conditiones vero, quas ab eadem Fraternitate consecuta hereditate observari volo, sunt hae, videlicet: quod statim adita per ipsam hereditate teneatur per decem annos continuos ex omnibus proventionibus meis detractis florenis triginta, quos ipsa Fraternitas ad sui libitum eroget, id quod erit reliquum, consignet et consignari faciat monti pietatis, hoc tamen modo, quod Communitas vel ipse mons tempore primae consignationis faciat unum civem sufficientem obligare. Quod si mons praefatus recepta decennali proventuum consignatione mutuabit unicuique habitatori civitatis Racanati pignore accedente florenos decem per annum futuris perpetuis temporibus. Et si in hoc contra factum fuerit, ille civis ut supra obligatus ad librum justitiae teneatur reddere omnem decennalem consignationem eidem monti factam eidem Fraternitati erogandam in nubendo tot pauperes virgines ex summa praedicta. Post decem vero annos cessante praefata consignatione Fraternitas praedicta haeres ut supra singulis annis dare *quinque Virginibus* pro dote tempore matrimonii contrahendi florenos quinquaginta pro qualibet.

Item teneatur annuatim in Ecclesia Sanctae Mariae de Castro novo facere celebrari duo officia, videlicet unum in die Conceptionis Virginis, et alterum in die Sancti Blasii, in quo erogent florenos quatuor pro quolibet officio: item solvere uni Sacerdoti admovendo ad libitum Fraternitatis et officianti Altare Veneriorum in Ecclesia antedicta florenos tres. Et super omnia prohibeo possessionis Montalium, possesionis Cenciani juxta eorum latera et confinia, Palatii in quarterio S. Angeli juxta Ciccum Polinum et res heredum Martini Marangoni omnino et in perpetuum alienationis distractionem, distributionem vel longi temporis locationem vel concessionem, Et omnem contractum et actum, ex quo alienatio sequeretur, vel qui in fraudem alienationis fieri praesumeretur vel praesumi posset. Et hoc ideo, quia volo rerum praedictarum proventus relictis tam decennali quam perpetuis elemosinis fiendis perpetuo una cum aliis suffragari. Et si casu evenerit, quod per ipsam Fraternitatem tam in decennali consignatione quam in dotibus annuariis perpetuo dandis vel in alienatione, distractione, distributione, longi temporis locatione, concessione, vel quovis alio quaesito colore directe vel indirecte per se vel alium factum fuerit contra, vel permissum contra fieri, sola facti veritate dilucide visa decidat ipsa Fraternitas ab omni jure hereditario, et eidem sit heres substitutus mons pietatis cum omnibus honoribus et oneribus, ut ipsa Fraternitas tenebatur.

Hanc autem assero dicoque meam ultimam esse voluntatem, jubeoque ab omnibus observari heredibus institutis et substitutis, et ab his etiam, qui ab intestato mihi succedere possent. Quam valere volo jure testamenti, et si jure testamenti non valeret, saltim jure codicillorum vel cujuscumque alterius ultime voluntatis valeret volo et tenere, et ipsam et omnia et singula quae in ea continentur ab omni herede et successore suo inviolabiliter observari, et efficaciter adimpleri, rogans fidissimum mihi compatrem tabellionem notariumve publicum Ser Berardinum Ser Gasparis suprascriptum, ut de praedictis se roget, hancque manu propria scriptam publicet et subscribat. Cui pro mercede hujus testamenti publicandi, cum tempus advenerit, volo sibi solvi a Fraternitate ducatos aureos decem, a monte pietatis ducatos septem similiter aureos, ab heredibus infrascriptis ducatos tres.

Actum in civitate Racanati in quarterio S. Mariae in domo supradicti testatoris posita juxta bona heredum Marini bisconti de Racanato, stratam a duobus, foveum communis, et alia latera, praesentibus ibidem Domino Cicco Catalani, Joannefrancisco Jacobi Catalani', Antonio Ser Gasparis, Francisco Antonii Calcioni, Antonicto Pelosae de dicta civitate, Gaudentio Laurentii de Molazano, et Vitangelo Baldasaris de Matelica habitatoribus dictae civitatis testibus ad praedicta habitis, vocatis, et rogatis.

Et ego Berardinus Ser Gasparis de dicta civitate publicus Imperiali auctoritate Notarius praedictis omnibus et singulis interfui, et ad petitionem et preces supradicti Jacobi testatoris rogatus fui, eaque publicavi sub annis domini a circumcisione millesimo quingentesimo nono decimo, indictione sexta, tempore sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Leonis divina providentia papae decimi, die vero XIII. mensis Septembris, in quorum fidem signum meum apposui consuetum.

L. ✠ Signi

CXVIII.

Archiv. Episc. Acta Episcoporum fogli volanti.

1527. 25. Januar.

In Dei nomine Amen. Haec est copia, exemplum, sive transsumptum cujusdam Bullae sive Brevis descripti reperti et annotati in charta membrana, copiatum, exemplatum et transumptatum per me Jacobum Calcionum Notarium publicum Rachanatensem vigore licentiae mihi in hac parte concessae et attributae, prout latius in mea publicatione apparebit, cujus quidem Bullae sive Brevis tenor talis est: videlicet:

Johannes Dominicus miseratione divina tituli sancti Apollinaris sacrosanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Tranensis, ac Ecclesiae Rachanatensis perpetuus Administrator ad perpetuam rei memoriam. — Ex

debito pastoralis officii, quo Ecclesiae Recanatensi tenemur, ad ea vigilare nos convenit, per quae in commissis nostrae administrationi Ecclesiis decor et venustas, ac dignitatum numerus divinusque cultus salubriter augeantur. Sane considerantes, quod cum in Ecclesia Rachanatensi inter alias Cathedrales istarum partium Ecclesias admodum insigni, quae et Ecclesia Maceratensis quarum Administrator perpetuus per Sedem Apostolicam deputati sumus, invicem sunt unitae, tres tantum Dignitates existant, si in eadem Ecclesia Rachanatensi unus *Decanatus*, qui inibi quarta Dignitas esset pro uno Decano, qui prout alii dignitates ibidem obtinentes, et post eos, et ante Canonicos ipsius Ecclesiae Rachanatensis stallum in choro, et locum ac vocem activam in Capitulo aliisque actibus publicis et privatis ejusdem Ecclesiae Rachanatensis haberet, perpetuo erigeretur et institueretur, illique sic erecto pro ejus dote perpetua *Cappellania ad Altare S. Stephani* situm in parochiali Ecclesia S. Viti Rachanaten. quae de jure patronatus laicorum existit, et quam dilectus Nobis in Christo *Franciscus de Massutiis* ad dictum altare perpetuus Cappellanus, unus ex Patronis praedictis obtinet, cum omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus ac bonis juribusque et pertinentiis ejusdem Cappellaniae etiam perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, ex hoc profecto Ecclesia Rachanatensis praedicta venustatis et in ea dignitatum numerus ac divinus cultus susciperet incrementum: Nos igitur qui ejusdem Ecclesiae decorem ac inibi divinum cultum augeri sinceris desideramus affectibus, motu proprio non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia omnibus melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus possumus et debemus in ipsa Ecclesia Rachanatensi unum Decanatum, qui inibi quarta dignitas existat pro uno Decano, qui post alias dignitates inibi obtinentes, et prout ipsi ac ante Canonicos ipsius Ecclesiae stallum in choro, et locum ac vocem activam in Capitulo aliisque actibus publicis et privatis ejusdem Ecclesiae Rachanatensis habeat, auctoritate nostra ordinaria tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus, ac illi sic erecto pro ejus dote Cappellaniam praedictam cum omnibus illius fructibus, redditibus, et proventibus ac bonis juribusque et pertinentiis praedictis, cum Francisci per se ipsum expressus dummodo aliorum patronorum praedictorum accedat ad id assensus, etiam perpetuo unimus annectimus et incorporamus jure patronatus hujusmodi et praesentandi ad dictum Decanatum, quotiens illum deinceps, hac prima vice excepta, vacare contigerit Nobis et successoribus nostris Episcopis Rachanatensibus personam idoneam per nos et eosdem successores ad illum instituendam eisdem patronis quibus ad dictam Cappellaniam competebat seu competit, eorumque successoribus alias salvo et integro ac in suo robore permanente, prout

etiam illud quatenus opus sit harum serie eisdem concedimus et reservamus: Et nihilominus praefato Francisco Decretorum Doctori apud nos de litterarum scientia, vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato horum intuitu specialem gratiam facere volentes, Decanatum praedictum sic a primaeva ejus erectione hujusmodi vacantem, cum illi sic unita Cappellania praedicta ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Francisco auctoritate nostra praedicta earundem tenore praesentium conferimus et de illo etiam providemus. Quocirca dilectis nobis in Christo Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae Rachanatensis, coeterisque viris ecclesiasticis ac Notariis et tabellionibus publicis quibuscumque per civitatem et dioecesim nostram Rachanatensem ac alias ubilibet constitutis, harum serie committimus et mandamus, quatenus ipsi vel quicumque eorum desuper requisitus, eundem Franciscum vel procuratorem suum ejus nomine in et ad corporalem, realem, et actualem possessionem Decanatus juriumque et pertinentiarum praedictorum inducant, inductumque defendant, ac ipsum Franciscum vel pro eo Procuratorem praedictum ad Decanatum hujusmodi admittant, stallo sibi in choro et loco in Capitulo dictae Ecclesiae Rachanatensis assignatis, sibique de ipsius Decanatus fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre respondeant et faciant ab aliis quantum in eis fuerint, plenarie responderi, contradictores per censuram Ecclesiasticam auctoritate nostra compescendo. In quorum fidem praesentes litteras fieri et per Secretarium et Cancellarium nostros infrascriptos subscribi et publicari mandavimus, sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri. Datum Romae in palatio nostro solitae habitationis in regione Parionis sub anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo, indictione quintadecima, die vero vigesimaquinta mensis Januarii, Pontificatus SS. in Christo patris et D. N. D. Clementis divina providentia papae septimi anno quarto. — M. Episcopus Salpensis Secretarius de mandato subscripsit. Bartholomaeus Turretus Cancellarius de mandato Rmi Domini etc.

Et ego Jacobus Calcionus etc.

CXIX.

E Bastardello Ser Philipputii Fortunati Not. Rec.

19. *Sept. A.* 1527. *f.°* 151.

1527. 19. Sept.

In Dei nomine Amen. Anno domini ejusdem a Circumcisione 1527. Indictione quintadecima tempore Sanctissimi in Christo patris D. N. D. Clementis divina providentia Papae septimi, die vero jovis, decimanona

mensis septembris. — Congregato convocatoque Collegio dominorum Alteristarum ecclesiae Sancte Marie Castrinovi de Recanato de commissione Reverendi Domini Prepositi et sindici dictorum Alteristarum previa citatione facta de dictis Alteristis per Mariottum publicum bajulum communis Racanati, et cohadunato hora completorii in Sacristia dicte Ecclesie, ut infra, posita et laterata, pulsata campana prout moris est, ubi interfuerunt Dominus *Stephanus Herculanus* Prepositus ecclesie predicte suo nomine proprio, nec non vice et nomine domini *Pernicolai Ser Thome Canonici Lauretani* et Alteriste ecclesie Sancte Marie Castri novi predicte vigore mandati sibi facti, de quo dicitur apparere manu *Ser Theophili Sylvestrini de Fabriano*, Dominus *Crucianus de Crucianis Archipresbyter* majoris ecclesiae Rachanatensis, Dominus *Perpaulus Ser Gasparis*, Donnus *Antonfranciscus Anselmi*, dompnus *Berardinus Pilose, D. Natadeus Flaviani*, D. *Joannesandreas bartholomei*, D. *Johannes matheus Nicole*, D. *Permatheus Oliverii*, D. *Franciscus Jacobi de Oxero*, D. *Crucianus Nanini*, et dompnus *Joannes Sclavonus*, vacantes circa cultum divinum augendum in dicta ecclesia, fuit in dicto Capitulo propositum quod fiant distributiones quotidiane in dicta ecclesia, de quibus habeant participare Alteriste, qui in futurum intererint divinis officiis, que in dicta ecclesia celebrari contigerit more solito infrascripto modo videlicet, quod ipsi Alteriste ponant et conferant in communi seu massa omnes fructus et proventus ac introitus omnium et singulorum bonorum ipsorum Alteristarum : nec non legatum factum ipsis Alteristis per bone memorie Perum Petrutii in ejus ultimo testamento rogato et publicato manu Ser Calisti Constantini de Racanato, Et quod dictus Reverendus Dominus Prepositus de bonis et fructibus dicte ecclesie ponat et conferat in dicta massa ad effectum distributionum predictarum florenos sexaginta quolibet anno in perpetuum, ita quod de dictis fructibus Alteristarum et florenis sexaginta predictis Alteristis participantibus fiant solutiones duabus vicibus quolibet anno in perpetuum, una videlicet in calendis mensis Maji, altera vero in Calendis mensis Novembris, inchoando in calendis mensis Novembris proxime futuri conditione apposita quod omnia predicta et infrascripta ad hoc ut firme subsistant debeant validari et confirmari per S. D. N. Papam et Rm̃um D. Cardinalem *Rodulfum* quamprimum dabitur securus accessus ad Urbem, quo partito posito solemniter inter eos ad fabas infrascripti Domini Alteriste de supra dictis contradicentes premissis, videlicet Dominus Perpaulus, Dominus Antonfranciscus et dompnus Berardinus dixerunt et protestati fuerunt, quod non fiat injuria dispositioni testatorum etc., de qua protestatione latius et copiosius apparet manu Ser Martinotii Vignati Notarii publici Rachanaten. de ea ro-

gati, et ad quam relatio habeatur. Qua quidem contradictione et protestatione non obstante datis et recollectis fabis fuerunt invente fabe albe affirmative numero decem nulla nigra reperta in contrarium, cum supranominati contradicentes fabas non reddiderint voto dispari succedentes; et ita dictum partitum fuit obtentum, et sic successive predictus Dominus Stephanus reverendus Prepositus Ecclesie supradicte, Rectorque illius omni meliori modo opportuno etc. promisit de bonis dicte ecclesie in perpetuum solvere florenos sexaginta pro dictis distributionibus predictis Alteristis presentibus et recipientibus pro se et eorum successoribus Alteristis in perpetuum, et mihi Notario, ut publice persone stipulanti nomine et vice omnium et singulorum quorum interest, et interesse contigerit quomodolibet in futurum ut supra et illos assignare et seu ponere in massa, ita quod annuatim dictis Alteristis solvi valeant in futurum cum effectu ut supra omni meliori modo etc. accedente tamen consensu et confirmatione predicti S. D. N. P. et R.mi D. Cardinalis prelibati ut supra, omni meliori modo etc.

Acta fuerunt hec in civitate Racanati in quarterio S. Marie in Sacristia ecclesie predicte juxta dictam ecclesiam, res dicte ecclesie, carbonariam communis, stratam publicam, et alios fines, presentibus Ser Martio Salvoni et Christoforo Consuli de Racanato testibus ad predicta habitis vocatis et rogatis.

Et ego filipputius fortunati publicus Imperiali auctoritate Notarius et judex ordinarius predictis etc.

CXX.

E Protocollo Ser Petri Pauli Laurentii Not. Recan.
apud R. D. Petrum Pintuccium.
1528. 11. Maji.

Ad laudem, gloriam, et honorem Domini nostri Jesu Christi, Beatissimae semper Virginis Mariae, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei — Animadvertens Venerabile Capitulum Venerabilis Ecclesiae Sancte Marie de Castronovo ea que quotidie inter eos in sacrario simul et in choro exoriri inspic . . . . . rixe, discordia, odiaque intestina emergerent, et quibus pax jocunda caritas int . . . . . : ut inde . . . . . proveni . . . . . inter eos existerent et perpetuo in futurum sequeretur, voluit Constitutiones infrascriptas reformari: quas inviolabiliter perpetuis sequentibus temporibus observari in hunc modum et ordinem infrascriptum: quarum quidem reformationum et constitutionum tenores tales sunt ut infra anno mense et die infrascripto, videlicet

Inprimis ordinatum, reformatum et constitutum fuit in dicto Capitulo, quod perpetuis temporibus in sabbato proximiori ante calendas Maji Capitulum sit citatum et congregatum in loco solito et consueto, et servatis servandis ibidem eligatur et creetur syndicus pro anno futuro.

Item quod dictus Sindicus sic electus et creatus finito tempore et facta solutione ratarum, ipse sindicus sit obligatus reponere et reddere rationem et computum administrationis dicti Sindicati infra terminum decem dierum; alias dicto termino elapso, et dicto computo non reddito ut supra, non describatur ad librum distributionum: et reddito et reposito computo et invento debitore et non soluto debito, similiter non describatur ad librum distributionis donec non satisfecerit de debito ut premittitur.

Item ordinatum, constitutum et reformatum fuit in dicto Capitulo, quod si quis non deservierit ad altare per sex menses continuos personaliter, et non per interpositam personam, non describatur ad librum distributionis prout antiquitus fuit observatum.

Item ordinatum similiter fuit, quod in choro observetur silentium qui contra fecerit, non describatur ad librum distributionis.

Item ordinaverunt, quod sonus campane quod vulgariter dicitur *Cenno,* sonet tanto spatio, quo quis venire possit ab ecclesia episcopatus usque ad prefatam Ecclesiam S. Marie de Castro novo.

Item quod qui dormierit in choro per salmum, non scribatur ad librum distributionis.

Item quod nemo audeat scribere ad librum distributionis nisi electus per Capitulum.

Item in dicto capitulo fuit ordinatum, reformatum, et constitutum, quod in posterum numerus Altaristarum dicte ecclesie Sancte Marie sit et esse debeat, et reducatur ad numerum duodecim Altaristarum et non ultra: et quod usquequo numerus non fuerit redactus et reductus ad numerum predictum, non eligantur alii, et hoc voluit perpetuis temporibus inviolabiliter observari omni meliori modo etc.

Que omnia et singula suprascripta prefatum Capitulum voluit inviolabiliter perpetuis futuris temporibus observari sine aliqua replicatione aliis . . . . . in contrarium facientibus non obstantibus, quibus etc.

Lecta, publicata, ordinata et approbata fuerunt omnia et singula suprascripta in Venerabili Capitulo Altaristarum parochialis ecclesie Sancte Marie de Castro novo de Racanato ad hoc vocato et congregato de mandato Reverendi Domini *Stefani Herculani* Prepositi dicte ecclesie in Sacristia ejusdem ecclesie, in quo quidem Capitulo interfuerunt prefati D. *Stefanus Prepositus,* Reverendus D. *Crucianus Archipresbiter,* D. *Petrus Paulus Ser Gasparis,* D. *Franciscus Vignati,* D. *Berardinus Pilose,* D.

Joa. Matheus Nicole, D. *Antonius de Saviis*, D. *Franciscus de Massignano, D. Natadeus jonte,* D. *Joh. Andreas Cechole,* D. *Cler . . . . dini,* D. *Thomas Antonii de Exio*, D. *Permateus Oliverii* citati et relati per Marioctium publicum bajulum communis Racanati sub anno domini 1528. indictione prima, tempore Sanctissimi in Christo Patris et domini nostri Domini Clementis divina providentia Pape septimi, die vero undecima mensis Maji.

Et ego Petrus Paulus Laurentii de Racanato publicus etc.

CXXI.

Ex protocollo Ser Joa. Francisci Tarantelli
in Archiv. publ. Recan.
1529. 9. April.

In Dei nomine Amen. Hoc est inventarium rerum mobilium Fratris Joannis Baptiste Prioris olim Ecclesiae et Conventus S. Joannis in Pertica extra muros de Recaneto factum, inceptum et completum per Rdum̃ Patrem dominum Lucam Marci Juliani Canonicum Recanaten. ac Vicarium Reverendissimi Domini Cardinal. Recanaten. et Maceraten. meritissimum, cujus quidem inventarii initium sic incipit. Videlicet

In primis in Altare Oratorii sunt tres tobaliae, unus cialonus a parte anteriori unum par paratorum albi et duo mesali: in dicto Oratorio uno legìo, et tre cirij de legno.

In Chiesia in prima in lo Altare grande tre tovaglie, dui candilieri de ferro, doi tovaglie strecte per ornamento de la cona, uno palio de seta . . . . . de sopre l'altare. It. *in lo Altare del Beato Placito* una lampeda con un ovo de struzzo: quatro tovaglie uno palio de verdura con S. Joan. Baptista con larme de Fratre Joan. Baptista con franciole . . . . . una Madonna con uno Crucifisso, uno Angelo e uno paro de candelieri : *sopre la ferrata del Beato* una tovaglia con coste negre et uno paro de candelieri de ferro: It. in lo Altare de S. Joan Baptista una lampeda con uno ovo de struzzo, una cona de S. Joan Baptista, quatro tovaglie uno palio de razzo frustro: It. in una cassa *in lo Altare del Beato Piacito sotto el Beato* una Crocie con uno Crucifisso de Altare indorata con prete false, uno Messale grande indorato con li sui signiali de seta dentro in un cusinello, uno palio de altare de razzo de seta con la historia de la Madonna, uno palio de razzo con S. Jo. Evangelista, S. Rocco con larme de fratre Jo. Baptista, uno palio de razzo con S. Jo. Baptista et S. Jacomo: It. uno piviale de seta travisata: It. una pianeta de damasco bianco con li frigi doro figurati de labsumptione de la Madonna: It. una pianeta di seta gialla con li frigi de seta con Santi. It. una pianeta di tela azurra con li frigi di seta verde. It. camisi novi n.° undecie. It. manipuli n.° cinque tre de seta e dui de tela de diversi colori. It. cinque stole de seta de varii colori, et doie de tela. It. amicti cinque It. quatro cinguli. It. una confectiera de seta frusta It. una tovaglia per lo legio con franciole et croce. It. quattro pezzi de tovaglia frusti. Item quatro moccichini de altare It. dui moccichini da calacie uno de tela de renzo con uno crucifisso et altri ornamenti de seta et doro, et uno de tela sensina con lacrocie et altri ornamenti de seta et doro, et con larme de Fratre Jo. Baptista. It. una benda de bambacile con franciole de seta de

varii colori. It. una pacie de smalto con la pieta It. tre casse da corporali con li sui corporali It. una tovaglia de seta penta con franciole de refe: In la camera appresso refect. dove dormia Fratre Jo. Baptista tre cialoni boni It. doi schiavine una nova et laltra vecchia, uno panno bianco da letto novo, uno portale de panno rossio tristo.

It. una cassa de abbeto dentro quattro fioroni de ferro stagnati penti per ornamento de laltare It. uno lecto de paglia It. una cassa de nocie, dentro, uno Messale, uno antifanario, uno breviario, uno calacie con la coppa de argento, lo pia de rame indorato, la patena de rame indorata, It. una cassa de corporali con tre para de corporali, uno moccichino da calacie, It. sei candelieri deoctone d'altare, dui candelieri de legno penti d'altare, una cotta grossa, uno palio d'altare de razzo foderato de tela con larme de Fratre Jo. Baptista, sei cusini d'altare de razzo et drappo It. quatro de corame d'oro, It. unaltro de tela sensina grossa lavorato una pianeta de seta rossia.

It. uno cialone novo: fora delacassa uno piumaccio de piuma bono qual dicemo capezzale non troppo longo: It. tre store de paglia uno scaldalecto senza coperchio: In refectorio dui arcibanchi grandi, una tavola con li trespidi da magnare, uno messalecto piccolo con cantoni et signacoli de seta, In la camera de sopra una schiavina bona, una coltra azurra trista, uno mantellecto da apostoli piccolo, et una veste da frate con la patientia novi, It. una cassa de nocie vecchia con taglieri et altre massarie de casa dentro, dui candelieri de octone piccoli uno bucalecto piccolo de octone, Doi para de vite da libri uno grande et uno piccolo novi, una lampeda de octone, uno scattolone pieno de occhi de invitriata, uno paro de forficie da sarto, una sacchetta daccattare el pane, una pigna de rame con lo coperchio nova, uno cappello de feltro bisio tristo, It. uno de paglia, Doi tovaglie da taola mezzane uno paro de cossali de ferro, una cassecta..... tovagliecte n.° septe in castare n.° sei, calaci dui, una spera, uno paro de ampolline, uno staccio da stacciare la farina per lostie, uno pezzo de corame per sole da scarpe, It. doi ferrate, uno paro de capofochi una sega grande nova, una cochiara, et uno martello da muratore, In cocina una cuccuma de rame unò mortale de bronzo con lo pistello de bronzo, uno mortale de preta viva grande It. doi fresore It. uno lapeggiolo de bronzo, una jocta de ferro, uua graticola rocta dui bucali de stagno, una gracta casio, tre cocchiare de ferro, tre coperchi de ferro, tre lucerne, una palecta tenaglie et catena da foco uno capo foco et altre massarie de preta necessarie alacocina: In caneva doi boctecelle piene de vino che sono in tutto circa ad octo some. Bocte tra bone et triste vacue grande et piccole n.° undecie, uno paro de barili da vino, una salvavina da impire la bocte de legno tonda, una impietora da barili de rame, una rota grande, diece orcie da olio vacue, doi zappe de ferro uno piccone una pala de ferro, una vanga, doi impozzatore, dui baccili de rame grandi rocti: Post predicta immediate non vert. etc. ad alium actum ivimus ad domum Dominici Mariani et Hieronymi ejus fratris carnalis in qua domo per confessionem dicti Hieron. invenimus duas cassas plenas de rebus infrascriptis Vt. In prima una cassa de abbeto inchiavata con uno alochecto in la quale cie sonno le infrascripte tovaglie grande et piccole con liste et coste de bambacie negra large et strecte n.° sexanta It. tovaglioli con franciole et senza grandi et piccoli con liste et senza bianche et negre n.° vinti tre It. unaltra cassetta de abbeto che hai doi serrature tovaglie grande et piccole con liste et senza n.° vintiocto, moccichini n.° dodecie, dui amicti, pannicelli de seta de diversi colori quaranta septe, uno cosino pieno de moccichini et altre cose de seta, una scattola piena de stole, manipoli et altre cose de seta: It. in una scattola in più bollecte de la Communità de Recanati

florini quindecie It. una collana de octone indorata file n.° cinque con altre scripture dentro It. una scattola con ferri da far libri. It. una cassa de corporali de cipresso con tre para de corporali. It. libri tra grandi et piccoli trenta sei. It. più carte pente It. una Madonna in tela It. uno rotelo de panno de lana tanè, una patientia de saja tanè. Quas duas cassas plenas de supra nominatis rebus in domo ut premittitur in domo dictor. Dominici et Hieron. Dominus Lucas Vicarius assignavit Hieronymo Mariano prefato cui precepit ne restitueret alicui sine expressa licentia sue dominationis rogans me etc.

Lectum etc. per me Jo. Franciscum Tarantellum Not. infrascriptum anno Dñi ut supra die nono Aprilis partim in Conventu S. Jo. et partim in domo dict. Dominici et Hieron. presentibus Dño Jacobo Antonii Pucci et dopno Jo. Nic. Pizze de Recaneto testibus etc. Omissis etc.

CXXII.

Protoc. Ser Petri Pauli Laurentii A. 1532. *f.°* 236.

1532. 28. Sept.

Die 28. Septembris 1532.

Cohadunato et congregato Capitulo omnium Presbiterorum in diocesi Rechanatensi existentium in sala magna palatii episcopatus: in quo quidem Capitulo interfuerunt D. Perphilippus Praepositus, D. Johannes Christopharus commissaro, D. Crucianus Archypresbyter, D. Franciscus Decanus, D. Christopharus Constantini, D. Petruspaulus ser Gasparis, D. Franciscus Fantutius, D. Pompeus Antiquus, D. Jacobus Putius, D. Nicolaus Laurentii, D. Joa. Baptista Constantini, D. Franciscus Perusinus, D. Joa. Pietorti, D. Michelangelus Cantor, D. Berardinus Pelose, D. Johannes andreas Constantinus, D. Joannesnicolaus Pizze, D. Baptista de monte, D. Natadeus Jonte, D. Perus Lazari, D. Perus de Crema, D. Paulus de Crema, D. Paulus sperine, D. Franciscus de Ozero, D. Petrus del torno, D. Paulus Scrucche, D. Baltassar Perludovici, D. Marsilius, D. Santes Fantutius, D. Barnabas Percivallus, D. Dominicus Rossetti, D. Joa: andreas Cechole, D. Antonius Savii, D. Joa. mateus Nicolae, Don Sebastianus, D. Antoniusjacobus Bracciolus, D. Bordianus, D. Thomas de Esio, D. Antonius Morlachus, D. Nicolaus divine, D. Christophorus Calcioni, D. Berardinus Botani, D. Philippus bajochi, D. Bartholomaeus Pacis, D. Joannes Perus balivi, Don Andreas Alexandri, Don Vincentius Rufini: et Don Andreas bruschini citati vocati de praecepto et mandato Reverendissimi Domini Joannis Dominici de Cuppis Episcopi Albanensis Cardinalis Tranensis Episcopi Rachanatensis ad sonum campanae ut moris est.

In quo quidem Capitulo praefatus Reverendissimus D. Cardinalis vacans et attendens regimini et gubernio et divino cultui dixit et proposuit, quid agendum, et quid proponendum esset, quibus . . . . . .
Quoniam Ecclesia S. Mariae de Castronovo nimium patiebatur in divinis

propter celerem et properatam expeditionem horarum et officii et missarum: idcircho supradictus Dominus Reverendissimus de consensu et voluntate dictorum presbyterorum et Capituli(.....)quod Matutinum et horae canonicae celebrentur et dicantur secundum dispositionem juris canonici hoc modo: Quod Matutinum dicatur in Aurora, post dicatur missa una: et dicatur hora prima, dicantur duae missae: et dicatur tertia et sexta et nona, et post dictas horas cantetur missa: et post dictam missam cantatam servetur dicte misse: et legatur unus post alium cum intermedio medie hore inter ipsas.

Et quoniam dubitabatur de constitutione facta, quod essent duodecim Altaristae, fuit ordinatum et declaratum et sancitum, quod dicta constitutio servetur, et quod loco absentium et deficientium subintret ille qui est praesens, dummodo non excedat numerum duodecim participantium: et quod per mortem dictus numerus duodecim reducatur ad decem Altaristas, quibuscumque facientibus in contrarium non obstantibus etc. et hoc omni meliori modo etc.

Item praefatus Reverendissimus Dominus de consensu et voluntate ut supra decrevit, voluit, et ordinavit, ut in Ecclesia S. Viti magis augeatur cultus divinus, quod de portionibus fiat massa communis de dictis portionibus et introitibus Altaristarum, quae dividantur inter Altaristas officiantes et interessentes divinis officiis aequis portionibus, dummodo prius inservierint per sex menses personaliter et non per substitutum: et post dictos sex menses possint per substitutos officiare: sed dicti Altaristae in die dominico teneatur quilibet residere et missas dicere per se ipsos et non per substitutos: dummodo ut dictum est, servierint per sex menses personaliter, ut supra, et quod per mortem unius dictorum Altaristarum portio illius accrescat et incorporetur distributioni quotidianae dictae Ecclesiae, et sic post mortem alterius morientis similiter accrescat, donec et quousque dictae partes reducantur et aggregatae sint dictae distributiones quotidianae. Quod decretum fuit postea ad preces dictorum Altaristarum per prefatum Rev. Cardinalem modificatum reductum et taxatum hoc modo videlicet:

Quod participantes dictas partes non sint nisi octo in numero: et quod quando D. Philippus Riccabella Praepositus officiaverit per sex menses ut supra, et interfuerit divinis officiis admittatur ad participandum cum dictis octo participantibus intelligendo tantum ut supra, quod per mortem unice portio pro ejus parte et rata incorporetur cum distributionibus quotidianis dictae ecclesiae, et quod postquam per mortem dictae partes erunt aggregatae et incorporatae distributioni quotidianae ut supra in dicta Ecclesia Sancti Viti die quolibet in dicta ecclesia dicantur horae Canonicae, videlicet prima, tertia, sexta, nona, Vesperae, et Completorium horis solitis et debitis, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus etc.

Item in dicto Capitulo fuit per praefatum Reverendissimum ordinatum et sancitum, quod vigore brevis Papae Leonis X Presbyteri diocesis Rechanatensis non tenentur ad solutionem alicujus gabellae civitati Rechanatensi pro retentione cujuscumque quantitatis animalium retentorum et retinendorum per dictos presbyteros omni meliori modo etc.

CXXIII.

1533. 24. Junii.

Die 24. Junii 1533.

Congregato Capitulo Venerabilium Altaristarum in loco solito etc. et de mandato Domini Vicarii citato et relato per Franciscum Clericum Sacristiae, in quo interfuerunt D. Pompejus, D. Franciscus Thomae, D. Christophorus, D. Petruspaulus, D. Franciscus Baldi, D. Nicolaus Lazari, D. Jacobus Putii, D. Franciscus Perusinus, D. Natadeus, D. Blasius, D. Berardinus Pilosae, D. Joannes Milena Cantor, Petrus Torvi, Gurdianus.

In quo quidem Capitulo fuit propositum si videtur quod incipiendo hoc anno in calendis julii, et reliquis futuris temporibus in calendis maji fiant vacantiae de Altaristis participantibus in officiando horas canonicas tantum hoc modo videlicet, quod quinque Altaristae extrahendi per sortem vacent per decem dies, et sic vacantes describantur ad librum distributionum, ac si divinis interessent dummodo de reliquo sint habiles ut scribantur, et hoc usque ad calendas septembris, et in fine decem dierum extrahantur alii quinque adeo quod omnes gaudeant hujusmodi vacantiis, et hoc intelligatur de Altaristis tantum qui continue frequentant Ecclesiam hanc, et non alias. Obtentum per fabas novem albas non obstantibus sex nigris in contrarium, praesentibus Federico Sanguini, et Bernardino de Macerata sacrista testibus etc.

Dicto loco, die, et testibus D. Natadeus protestatus est, quod nullatenus fiant hujusmodi vacantiae, et ita protestatus est omni meliori modo prout . . . . . quia devenitur contra constitutiones R. Episcopi Nicolai de Astis etc., et hujusmodi vacantiae fieri et innovari non possunt sine consensu R. D. Cardinalis Recanatensis etc.

CXXIV.

Archiv. Episcopal.

Pater sancte. Cum devoti illius oratores priores et confratres fraternitatis S. Petri martyris de civitate Rachanatensi per multum tempus fuerint et sint sub protectione et vessillo Venerabilis Sanctae Crucis *ac gloriosi S. Petri martyris, qui tunc temporis exportavit de ligno proprio Sancte crucis* prout modo reperitur collocatum in magna veneratione in Ecclesia

S. Dominici Rachanatensi; Et quia, Pater Sancte, de stilo est *ab antico* usque in presentiarum, quod in praedicatione, que fit in die seu festo Veneris sancti in dicta ecclesia demostratur populo dictum lignum S. Crucis, et cum magna veneratione associatur per fratres dictae ecclesiae, ac per priores et confratres dictae fraternitatis in commemoratione dicti S. Petri martyris qui tunc temporis, ut supra, exportavit, condonavit, et reliquit dictum venerabile lignum S. Crucis dicto conventui, prout notum est, notorie constat omnibus de dicta civitate; et quia de more est et de consuetudine in dicto die et festo Veneris sancti quolibet anno, quod si quis miserabilis persona tunc immoraretur in carceribus pro aliquo delicto seu maleficio, quod talis sit de . . . . . per communitatem liberatus et condonatus *dictae Cruci* in commemoratione S. Passionis D. N. Jesu Christi. Unde dicti fratres et confratres dictae fraternitatis humiliter recurrunt ad pedes Sanctitatis Vestrae ad removendum omne impedimentum quod forsitan fieri contigerit intuitu pietatis et in commemoratione SS. Passionis D. N. Jesu Christi dignetur S. V. committere et mandare Prioribus tunc temporis existentibus et communitati praedictae sub poena arbitrio S. Vestrae imponenda, quod in futurum et perpetuis temporibus hujusmodi consuetudo liberandi et excarcerandi dictos detentos, et eos condonandi dictae Sanctae Cruci in dicta die seu festo, et eam auctoritate Sanctitatis Vestrae observari mandet, quibusvis in contrarium non obstantibus.

CXXV.

Annal. Recanaten. A. 1540.

1540. 9. Maji.

In nomine Domini nostri Jesu Christi et Mariae Matris ejus Virginis perpetuae Amen. Anno Christi Domini quatragesimo super millesimum et quingentesimum Indictione XIII., Paulo tertio Pontifice maximo, ut Domino placuit, sedente Patre in Christo et Domino nostro Sanctissimo, die vero nona mensis Maji. — Concilio Magnificorum Dominorum Priorum, Antianorum, et ducentorum communis et populi Magnificae civitatis Racanati, necnon fraternitatum omnium ejus civitatis, praecipuae fraternitatis S. Mariae . . . . . , S. Antonii, Mercatorum, S. Jacobi, S. Luciae ceterarumque ac generali totius populi, assistentibus in eo Magnifico Domino Mario de Aretio Locumtenente, simulque R. D. Vicario Reverendissimi D. Episcopi ordinarii cum nonnullis Canonicis Cathedralis Ecclesiae ejusdem civitatis, audita Missa sollemni de Spiritu Sancto sollemni more decantata in cappella S. Mariae de Laureto in pariete S. Angeli in Platea praeviis bannimentis, prout de more hesterna die pro hac, et hac ipsa die post tertium sonum campanae cunctis praeviis opportunis sollemnitatibus con-

gregato in sala ad hoc sueta in palatio M. M. D. D. posito in ea civitate in quarterio S. Angeli prope templum Divo Dominico dicatum, palatium residentiae Magnif. D. Praetoris, plateam et ceteros notissimos fines in numero sufficienti et valido repraesentante duas partes et ultra de tribus et totum idem Concilium et commune, fuit per Magnif. D. Dictatorem his servatis quae servanda erant, propositum:

Quid agendum, ut *de multis hactenus neglectis et clausis in Civitate sit et aperiatur hospitale unum* ordinatum prout decet pro pauperibus Jesu Christi excipiendis et aliis operibus charitatis inibi exequendis, ad quae tamdiu per diversos Christi praecones fuimus exhortati, et novissime ad idem fuerint nonnulla suppellectilia et elemosinae elargitae. — quo igitur ordine et quo praecipue loco fuerit ordinandum ad laudem Dei.

Habito consilio Joa. M. Angeli, Antonjeronymi Poli, et Lamanni fuit decretum, ut sequitur:

Quoniam nullum bonum nisi ex Deo, qui est omne bonum, et nihil ex nobis sufficientes sumus cogitare quod bonum sit nisi a Spiritu Sancto Deo fuerit inspiratum, ne divinis inspirationibus obicem ponamus in praejudicium animarum et corporum et contra charitatem quae est in Christo et quae est Deus, auctoritate praesentis Concilii attendatur et fiat, *quod in civitate sit hospitale:* Et quia sicut experientia jamdiu cognitum est, ex multitudine hospitalium non sequatur perfecta hospitalitas, attento quod virtus unita fortius operatur quam dispersa, Ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, qui unus est charitas, et gloriosae Virginis Mariae hujus civitatis protectricis, quae una fuit Virgo et mater *unum tantum hospitale ad ordinem redigatur,* ad quod et commune, in quantum in ipso erit, et fraternitates concurrere debeant, et *accipiantur ab eis ea quae alias fuerunt oblata ad hunc effectum, et in praesenti Consilio per eorum Priores notificata,* exhortando eas ad contribuendum adhuc alia, et per viscera Domini Jesu sint concordes. Et quia opera charitatis non debent differri nec procrastinari, et pauper, qui Christus est in meditullio cordis et corde et opere est suscepturus et fovendus, et ad omnem meliorem charitatis effectum sit decretum, *quod hospitalitas fiat et hospitale sit non extra, sed intus civitatem.* Et propterea ex hospitalibus intus civitatem existentibus in praesenti Concilio ad scrutinium ad fabas pro majori parte, videlicet per plures fabas albas ultra majorem partem, hoc est, ex duobus magis aptis videlicet ex hospitali S. Mariae de Castronovo ad plagiam, et ex hospitali S. Luciae ad S. Vitum, et qui ex eis obtinuerit, illi attendatur, cui sic obtento indicta esse intelligatur nomen, seu titulo nuncupetur *S. Maria de la misericordia,* ad cujus curam per Commune provideatur de Rectore, Priore, officialibus, et aliis oportunis, et imploretur ad manu-

tentionem et augmentum ipsius a S. D. N., et quo fuerit opus, et res ejus bene vadant, et hac ipsa die capiatur possessio, habito consensu fraternitatis illius, de qua erit illud, quod obtinebitur, et per Concilium et Commune fiat omnis opera sumptibus Communis ad exonerandas fraternitates ab eo in quo tenerentur ad hospitalitatem omni meliori modo. Obtentum per Consiliarios centum et quinque, prout ex fabis albis affirmativis fuit repertum, nulla nigra in contrarium reperta.

Post quae viso, quod fuit obtentum ut prefertur per plures fabas albas affirmativas ultra majorem partem positis ipsis duobus hospitalibus ad fabas, fuit canonice obtentum per fabas albas affirmativas . . . . 21 nigris in contrarium repertis non obstantibus, *Hospitale S. Luciae ad S. Vitum.*

Dicta die post Vesperas convocatis ad Ecclesiam Cathedralem processionibus Clericorum, ab eadem Ecclesia recedentes, et per viam ad hospitale dictum pergentibus; subintrantibus Religiosis, Magistratus omnes, cuncta Sacerdotum majestate anteambula multis civibus sequentibus, ac utriusque sexus comite turba; fuit cum praesentia Magn. D. Locumtenentis, et magnif. Dominorum Priorum per Ser Piersimonem Perfrancisci et Hieronymum Baptistae Vannis Priores fraternitatis S. Luciae ibidem corporalis possessio loci et hospitalis ejus fraternitatis prope S. Vitum Ser Herculi Ser Piergeorgii de Racanato Syndico Communis — praedictum nomine Communis acceptavit, acceptando et claudendo ostia, postquam intrassent et exissent, ipsique loco fuissent factae benedictiones cum orationibus per Sacerdotes cum incensis, aromatibus, et aspersa aqua benedicta, prout requiritur in his, et hoc fecisse dixerunt praefati Priores fraternitatis *vigore decreti ipsius fraternitatis;* per quod fuit ordinatum dictum locum Communitati consignari *cum conditione,* tum *quod fraternitas* cura et expensis communis *liberari* fuerit per summum Pontificem, et quos spectat, *ab omni onere imposito*, *cum a felice recordatione Episcopi Nicolai quam aliis benefactoribus* ipsi fraternitati occasione dicti hospitalis, et cum dicta conditione . . . . . se indemnem . . . . . et alias prout in decreto ejus fraternitatis ad quod se retulerunt, et non aliter nec alio modo. Praesentibus R. D. Herculano Praeposito Ecclesiae S. Mariae de Castronovo, et Capitaneo Perantonio Lunario testibus ad haec habitis vocatis et rogatis specialiter.

Et ego Hieronymus Cancellarius rogatus etc.

Quae autem per Fraternitates ad hospitale in eo Concilio fuerunt oblata sunt quae sequuntur:

Perpaulus Bartholomaei pro fraternitate Mercatorum obtulit et donavit hospitali omnes domos hospitalis eorum ad plagiam.

Thomas Clodii pro fraternitate S. Jacobi obtulit domunculam fraternitatis extra oppidum Laureti, et hospitale extra portam maris.

Bastianus pro fraternitate S. Antonii obtulit per tres annos florenos sex in anno.

Hieronymus de Montazzano pro fraternitate S. Mariae salmas quatuor grani anno pro tribus annis.

Ipsi . . . . . viri Hieronymus baptistae Vannis, et Ser Persimon Zampini Priores fraternitatis S. Luciae cum Ser Joanne francisco Tarantello eorum Cancellario exposuerunt magnificis Dominis Prioribus ante processionem, quod fraternitas eorum per decretum solemne statuit, *quod tradatur Communi hospitale et domus eorum prope S. Vitum,* 12. *salmae grani,* 25. *floreni, et duo metra olei singulis annis* pro dicto hospitali, *cum hoc, quod Communitas teneatur suis sumptibus liberam facere per quos fuerit opportunum, dictam fraternitatem ab omni onere ei imposito tam ab Episcopo Nicolao, quam ab aliis benefactoribus vigore dicti hospitalis*, et hoc per breve S. D. N., et quod teneatur in publico concilio accipi dictam conditionem, et quod per possessionem capiendam per dictam Communitatem nullum facere praejudicium dictae fraternitati, quinimmo aliter non intelligeretur tradita possessio, et quod semper foret unus ex Prioribus dictae fraternitatis Prior hospitalis, prout latius in dicta executione legis factae vulgari sermone. Quam Magnifici Domini Priores presentes acceptarunt omni meliori modo.

CXXVI.

Archiv. secr. Recinet.

1548. 15. Mart.

PAULUS Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus fratribus *Racanatensi et Maceratensi Episcopis* ac dilecto filio *Johanni francisco de Anticis* Canonico Ecclesiae Racanatensis salutem et apostolicam benedictionem. Hodie a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis: Paulus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex incumbenti nobis apostolicae Sedis studio ad ea libenter intendimus, per que hospitalium et aliorum piorum locorum quorumlibet felici successui et salubri directioni opportune consulitur, et hiis, que propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum a Nobis petitur, apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis *civitatis* nostre *Racanat.* et confratrum laicorum *Confraternitatum S. Lucie, et S. Jacobi, ac Mercatorum* nuncupatarum in dicta civitate canonice institutarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias cum *in uno prope Ecclesiam Sancti Viti*, et *alio* extra

et prope *januam maris* nuncupatam, *ac reliquo in via ad plagiam* nuncupata ejusdem civitatis per eosdem Confratres regi solitis *hospitalibus* nulla fere hospitalitas observaretur, et ipsi Communitas, ut in dicta Civitate opera charitatis ferventius exercerentur, quod unum tantum hospitale apertum sub invocatione *Sancte Marie de Misericordia* esset, proposuissent, Communitas et Confratres prefati inter alia convenerunt, quod Communitas acciperent onus aperiendi et erigi faciendi ac retinendi predictum hospitale, et confratres prefati ab ipsorum hospitalium onere et cura liberarentur, et pro eo contribuerent hoc modo, videlicet quod *Sancte Lucie* in perpetuum singulis annis duodecim salmas frumenti et duo metra olei mensurarum illarum partium, ac viginti quinque florenos, et domos apud ipsam Ecclesiam, ac *Sancti Jacobi* quamdam domunculam extra oppidum Laureti Racanaten. dioc. et hospitale extra portam hujusmodi, *Mercatorum* vero confraternitatum predictarum Confraternitates ipsi domos in dicta via existentes, et ad illos respective pertinentes eidem Hospitali Sancte Marie donarent, et concederent, ita quod prefati Communitas a sede predicta premissorum confirmationem, ac eorumdem Confratrum ab onere et cura hospitalium hujusmodi liberationem, ita quod illi ipseque Confraternitates de cetero desuper molestari non possent, obtinere deberet, ac deinde Venerabilis frater noster *Paulus* Episcopus Racanatensis civitatem et dioc. predictas visitans premissa tanquam pie et laudabiliter gesta ordinaria auctoritate confirmavit et approbavit, prout in instrumento publico super conventione ac ipsius Pauli Episcopi patentibus litteris super confirmatione hujusmodi confectis plenius contineri dicitur. Quare pro parte eorumdem Communitatis et Confratrum asserentium premissa ad honorem Dei et consolationem pauperum personarum facta fuisse nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem conventioni pro illius subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum votis, prout possumus, libenter annuimus, singulares personas Communitatis hujusmodi ipsosque Confratres et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, necnon instrumenti et litterarum predictorum veriores tenores presentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati conventionem predictam ac prout illam concernunt omnia et singula in dicto instrumento contenta et inde secuta quecumque licita tamen et honesta auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, eaque inviolabiliter, ipsamque

hospitalitatem in dicto hospitali Sancte Marie de cetero perpetuis futuris temporibus observari debere, sicque per quoscunque quavis auctoritate fungentes judices et alias personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et diffiniri debere, irritum quoque et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus, supplentes omnes et singulos juris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et nichilominus prefatos Confratres ab onere et cura predictis auctoritate apostolica et tenore premissis perpetuo liberamus, non obstantibus premissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, confirmationis, approbationis, decreti, suppletionis, et liberationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Marcum anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo quadragesimo octavo Idibus Martii Pontificatus nostri anno quintodecimo. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras nostras prefatas et in eis contenta quecumque ubi et quando opus fuerit, ac quotiens pro parte Communitatis et Confratrum predictorum seu alicujus eorum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes eisque in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciatis auctoritate nostra litteras et in eis contenta hujusmodi plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari, necnon singulos quos ipse littere concernunt, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Marcum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo quadragesimo octavo idibus Martii Pontificatus nostri anno quintodecimo.

Hie. Melchiorius.

Adest sigillum plumbeum Pauli PP. III. pendens e cordula cannabea.

CXXVII.

1548. 7. Augusti.

Inventarium omnium Reliquiarum Sanctorum quae inventae sunt in Sacrario Ecclesiae Recanatensis confectum de mandato R. D. Pauli de Cuppis Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Recanatensis die 7. Augusti 1548.

Inprimis reperitur *breve* portatile ad collum de ligno sancte Crucis — de mensa Christi — de pane mense — de sepulcro Christi — de veste Joannis baptiste — *Petri et Pauli* Apostoli — *Andree et Luce* — *Jacobi et Philippi* — *Taddei*, *Marci Evangeliste* et Barnabe — *Innocentium martirum* — *Stephani Protomartyris* — *Laurentii* — Stephani protomartyris, *Vincentii et Anastasii*; *S. Cosme et Damiani*, de capillis sancte Marie Virginis, de *sepulcro* ejus, Sancte Cicilie, Catharine Agnetis, Lucie, Constantie, Cordule, Virginum, de velo et tunica sancte Clare *Sancti Nicolai* Episcopi, Martini episcopi, Benedicti, *Ilarionis*, de corda et tunica sancti Francisci, Sancti Ludovici episcopi et sancti Christofori

Item de tunica sancte Clare virginis

Caput sancte Margarite, Pectus et *tota cossa gambe et pes* sanctorum Innocentium — 2 spine corone Christi — Sanctorum Cosme et Damiani — de cilicio S. Joa. baptiste et de lapide montis Calvarii — de presepio Christi — S. Marie Madalene et S. Pancratii — S. Venantii martiris de Camereno — *S. Georgii*—*S. Sebastiani* cruor — de ligno Crucis S. Andree — S. Blasii — S. Laurentii martiris — *de velo S. Agnetis* — S. Pastoris — S. Luce — *S. Cornelii* — *S. Nicolai de ossis* — de lignis Sancte crucis *de petia* — de ligno sancte crucis — et de indumento beate Marie virginis — de spongia Christi — S. Paulini patriarche — oleum sancte Caterine et aliorum sanctorum quorum nomina ignorantur — de sepulcro sancte Catarine.

Item sancti Viti quedam reliquia que ignoratur — de ossibus *S. Flaviani* ut dicitur

In quodam tabernaculo argenteo in forma *ovali* cum pede, in quo a tergo apparent infrascripta: videlicet de capite *S. Thome apostoli*, *de capite S. Laurentii*, *de capite S. Ursule*, de carne corporis Sancti Juliani, de *capite S. Apollinaris*, de brachio S. Macharii.

Item in quadam cassula ad modum libri, in qua apparet ab uno latere nativita D. N. Jesu Christi, ab alio . . . . . *statio* beate Marie cum aliis sanctis.

In *quilibet* anguli utriusque partis et sub *quibus* quadris *longis de cornibus* vitreis apparent designate infrascripte reliquie videlicet de capillis S. Marie Virginis, de ejus velo et veste, de reliquiis S. Anne matris ejus, S. Marie Madalene, S. Catherine, S. Agnetis, S. Margarite, Cecilie, Lucie, Marie egiptiace, Elisabet et Barbare.— *In hostio*. destra lamina vitrea. in alio de tunica et capillis S. Francisci, S. Nicolai, de ossibus S. Alexi et Ludovici Antonii, Honofrii confessoris, Benedicti et Dionisii. In alio S. Leonardi, Blasii, Silvestri, Mauri, Damasi, Ilarionis, Eufemie, Thodole, Victorie, de ossibus sancti fratris Egidii socii sancti Francisci, et de reliquiis S. Grisostomi; In alio de reliquiis Marie Jacobi, Dorothee, Constantie, Justine, Candie, de capillis, velo, et tunica S. Marie, de coma S. Prisce; In alio latere de ligno crucis, de veste Christi, de coma Christi, de spongia Christi, Sancti Joa. baptiste, Jonae prophetae, Stefani protomartyris, Laurentii, Innocentum, Vincentii et Clementis, In alio Petri et Pauli Apostolorum, Andree, Jacobi, Thome, Bartholomei, Philippi, Jacobi, Matei Evangeliste, Simonis Apostolorum, de manna sepulcri Sancti Joa. Evangeliste Barnabae, Timothei, de cilicio S. Matei Evangeliste;

S. Blasii, S. Eustachii, Petri martyris ordinis predicatorum. In alio Barnabae, Christofori, Thome Cantuariensis, Mauritii, Urbani, Hippoliti, Agabiti, Tiburtii, et Grisantis. et finis libri predicti

Annulum sancte Polonie

Scarpe di cordelle di paglia alla apostolica.

CXXVIII.

E Protocollo ann. 1548. *Ser Renati Constantini f.*° 51.

1548. 20. Sept.

Die XX. Septembris 1548.

Cum per Capitulum et Clerum Recanatensem ab annis nonnullis et citra cessatum de solvendo solitas pensiones apotecarum in nundinis communitati Racanatensi; Et propterea occasione premissa fuerit orta et introducta lis et causa in Romana curia, et adhuc pendeat inter dictum Clerum et Capitulum ex una, et commune et homines civitatis Rhacanati ex altera: et cum pro parte Reverendi Domini Francisci Archidiaconi et collegarum deputatorum a dicto clero prout de eorum auctoritate et facultate patet manu mei Notarii infrascripti, et pro parte Jac. Venerii, Ser H . . . . antonii, Politi Salvoni, et Antonii Hippolyti deputatorum Communis predicti, prout de eorum auctoritate et facultate concessa a Con . . . . . costat manu D. Hieronymi Angelite Cancellarii Communis presentis et fidem facientis, ac exhibentis actualiter librum reformationum sub die 19. Augusti 1548 . . . . et coram R.mo D. Paulo de Cuppis Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopo Racanatensi discussum et tractatum hinc inde, et demum per dictos deputatos totaliter facta remissio in prefatum R. D. Episcopum cum potestate terminandi et declarandi et decidendi dictas lites et differentias occasione premissa, et prefatus R. D. Episcopus auditis partibus prosequendo paterno affectu et affectione pari tam dictum Clerum quam Communitatem predictam, intendensque . . . . . suam ad dirimendas lites et differentias: idcirco visis videndis et consideratis considerandis in presentia ambarum partium presentium et instantium pronunciavit declaravit et decidendo terminavit modo et forma infrascriptis videlicet: quia inprimis dicti Domini deputati pro parte Cleri et Capituli teneantur et debeant renuntiare liti et cause predicte in Romana curia in quacumque instantia et statu cause ex nunc prout ex tunc omni meliori modo sponte renunciaverunt liti et cause predictis et ejus pendentie.

Item quod prefati Clerus et Capitulum non possint petere aliquid a [illegible] Communitate occasione expensarum factarum usque in presentem [illegible] in curia Romana et extra occasione litis et cause predictarum ex [illegible] prout ex tunc omni meliori modo: etc. dictam Communitatem, di[illegible] deputatos stipulantes etc. et me Notarium publicam personam stipu[illegible] etc. quietaverunt et absolverunt.

Item quod Communitas predicta non possit aliquo modo petere vel habere a dicto Clero et Capitulo vel particularibus Presbyteris habentibus apotecas in nundinis de partibus pensionum apotecarum predictarum, que dicte Communitati obvenire potuissent et possent a tempore quo cessavit solutio predicta usque in presentem diem.

Item quod dicti Clerus et Capitulum ac Presbyteri habentes domos et apotecas in nundinis teneantur et debeant perpetuis futuris temporibus omni contradictione cessante solvere Communitati predicte et agentibus pro ea pensiones, videlicet, ratas et portiones dictarum pensionum in nundinis exigendas a conductoribus dictarum apotecarum et domorum absque impedimento juxta tassam limitatam per ipsum R. D. Episcopum, atque *annexam* in fine presentis instrumenti, et si dantur per annum, servetur consuetudo, capitulum, et conventio hactenus observata, videlicet quod non tenentur ultra unum florenum pro qualibet apoteca locata civi vel habitatori non . . . . . mercatorem.

Hac conditione adjecta, quod Capitulum pro parte dicti Cleri, et Communitas per publicum concilium pro parte dictorum deputatorum teneantur . . . . . ratificare, approbare, et in omnibus et per omnia, et . . . . . omnia et singula in presenti instrumento contenta per totum presentem mensem omni meliori modo etc. — et ulterius dicti deputati videlicet D. Fránciscus Fantutius Archidiaconus, D. Joa. franciscus Anticus, et D. Jacobus Putius pro se ipsis et vice ac nomine D. Christofori Calcioni ejus College, pro quo de rato etc. et domini deputati Communitatis predicte ad invicem et vicissim nominibus antedictis vigore remissionis in eos factae et auctoritatis sibi respective concesse promiserunt et promittendo juraverunt, etc. semper et omni tempore rata, grata, et firma habere tenere, et contra non venire etc. sub pena dupli, quam etc. obligantes etc. omnia et singula bona tam dicti Cleri quam Communis etc. ad librum justitiae et in forma camerae etc.

Tenor vero listae taxatae per praefatum D. Episcopum talis est, videlicet:

La botega de San Michaele in ponticello, che hora è de Messer Hieronimo Cichini presso dicto San Michaele et li heredi già de *Danti de Vangelista* paghi fiorini doi, videlicet . . . . . fl. 2.

Item la casa de la prepositura de San Vito, che fò già de li heredi di . . . . . nello androne delli pellicciari appresso li beni de Messer Niccolò fava et il fosso del commune dove si fà ostaria, paghi un fiorino videlicet . . . . . fl. 1.

La bottega de S. Joan. de li Carelli che ha Joa-Pero de lo torno . . . . a Santo Angelo — paghi fiorini doi, videlicet . . . fl. 2.

La bottega de S. Lucia tra la Chiesia et il Sig. Lamanno, paghe fiorini tre, videlicet: . . . . . fl. 3.

La bottega deli Altaristi in piedi de piazza appresso Mariu de Chelle et San Martino paghi fiorini tre, videlicet . . . . . fl. 3.

Item la bottega de San Martino, che hora è de Don Barnabeo Porcivallia appresso dicti Altaristi in piede de piaza, paghi fiorini tre et mezzo videlicet . . . . . fl. 3. bl. 20.

Item la bottega di S. Antonio, quale è de Messer Jo. batista Costantini appresso el beneficio de S. Margarita inanti all'hostaria de la Corona et appresso San Francesco, paghi fiorini tre, videlicet fl. 3.

La bottega de Santa Margarita, che hora è de Messer Giulio Costantini appresso el dicto beneficio et li heredi de Antonio de Angelo, paghi fiorini tre, videlicet . . . . . fl. 3.

La bottega et casa de li Altaristi appresso la portella della becharia et Bartolomeo de la corona. Paghi fiorino uno . . . . fl. 1.

La bottega de Santa Margarita qual hora è di Messer Giulio Costantini appresso Bartolomeo de la corona, et el beneficio de S. Juliano paghi un fiorino, videlicet . . . . . fl. 1.

Item la bottega de San juliano che hora è del dicto Messer Giulio Costantini appresso Meozzo de Lorenzo, et dicta santa Margarita paghi fiorino uno . . . . . fl. 1.

La bottega de San Hieronimo che fo de Sensino, et hora è del figliolo de Jacozo de Marinangelo appresso Albreo de dol . . . . . paghi un fiorino . . . . . fl. 1.

La bottega et casa de San Luca che hora è de Messer Andrea Costantini paghi un fiorino . . . . . fl. 1.

La casa et bottega delli Altaristi de Castelnuovo in contrada de la piagia, che fò de Piero dè . . . . paghi un fiorino . . fl. 1.

Declarato, quod si ullo unquam tempore aliqua domus vel apoteca transeat ad beneficia, et efficiatur ecclesiastica, teneatur solvere pro rata ut supra omni meliori modo. etc.

Declarato etiam et addito per dictum R. D. Episcopum, quod Communitas de cetero teneatur offerre Ecclesiis presbyterorum cereos solitos et consuetos festis et temporibus consuetis, et a duobus annis in posterum incipiatur fieri alluminaria solita et consueta.

CXXIX.

E tabulario R. Capituli

1566. 8. Dec.

Noi Filippo Riccabella per la gratia di Dio, et della Santa Sede Apostolica Vescovo di Ricanati, a voi Don Pietro Targa Rettore della Chiesa Parrochiale di S. Maria di Montemorello di Ricanati salut. etc.

Ancora che crediamo che dobbiate sapere quelche dal Sacrosanto Oecumenico Concilio Tridentino, dove noi fummo presenti, è stato santamente ordinato a tutti li Parochiani, circa la memoria et scrittura, che hanno da tenere delli battesimi et matrimonj, per impedire li Clandestini, et il contrahere di essi in casi prohibiti, come è tra gli altri quello della cognazione spirituale, et anchora che crediamo medesimamente che da voi ò dal vostro Sacristano, in absentia vostra, sia ciò stato mandato, et si mandi tuttavia ad executione, per haverne già havuta commissione da Noi, però nondimeno potrebbe essere che questo non si facesse con quel debito modo che si ricerca, ci è parso debito del nostro Pastorale offitio di mostrarvi come e Voi, et il vostro Sacristano vi havereti in ciò da governare.

Et perchè si possa vedere à tutte l'hore, che altri forse non se ne ricordasse quelche si ha da osservare, doverete sapere che il detto Sacrosanto Concilio al secondo Capo della Riformatione del Matrimonio nella XXIIIJ. Sessione ordina quanto al S. Battesimo,

Che il Parocchiano in qual si voglia battesimo che faccia, non ci admetta ne lasci intervenire per compare, se non una persona sola ò huomo o donna che sia, cioè ò un'huomo solo ò una donna sola, ò vero al più due, et in questo caso di due, sia un'huomo, et una donna soli,

Quanto poi alla cognatione spirituale, che si contrahe per questo Santo Sacramento, ordina il detto Sacrosanto Concilio, et dichiara,

Che l'huomo et la donna che tengono la creatura al battesimo contraheno cognatione spirituale con la stessa creatura solamente et col padre, e con la madre,

Che il battezzante ancora contrahe la medesima cognatione solamente con la creatura battezzata, et col padre et con la madre, et questo vuole il detto Sacro Concilio che sia dal Parocchiano notificato alli compari nell'atto del battesimo, notificando anchora che se ci fusse altri che toccasse la creatura nellatto del battezzare, non per questo è compare,

Che a perpetua memoria della cosa debbia esso Parocchiano havere un libro, nel quale scriva il nome delle creature, che battezzarà et delli compari, et medesimamente il nome del padre et della madre del battez-

zato, et sarà anche maggior diligentia del Parocchiano di scrivere il tempo nel quale si fà il battesimo, acciocchè occorrendo mai bisogno di sapere la età di qualcuno se ne possa anchora haver notitia dal detto libro,

Quanto poi al Sacramento del Matrimonio, et il detto Sacrosanto Concilio nel primo capo della Riformatione del Matrimonio, et nella già detta Sessione XXIIIJ. ordina, Che prima che qual si voglia matrimonio si faccia, debbia il Parocchiano trè dì continovi festivi denuntiarlo, e manifestarlo al Popolo nella sua Chiesa mentre che le Messe si celebrano, dicendo tra chi si haverà da contrahere matrimonio, et far parentato, pregando che chi sapesse impedimento alcuno di parentela ò di spirituale cognatione, per la quale non si potesse contraher Matrimonio frà loro, vogliano rivelarlo; Che non opponendosi poi ne rivelandosi cosa alcuna si proceda alla celebratione del Matrimonio publicamente in conspetto della Chiesa, Che il Parocchiano debbia intervenire a questa celebratione et dimandare l'huomo et la donna, se vogliono tra loro contrahere matrimonio et inteso il loro muto consenso dire queste parole, Io vi congiungo in matrimonio nel nome del Padre, del Figliuolo, et del Spirito Santo, ò vero usi altri simili parole, secondo il costume et consuetudine de Luogo Che se ci fusse probabile sospetto che per causa di tante denuntiationi il contrahere del Matrimonio si potesse malitiosamente imperdire, In tal caso, o vero il matrimonio si celebri in presentia del Parocchiano, et di due o tre testimonj, ò vero si faccia una sola denuntiatione,

Che poi innanzi la consumazione del Matrimonio si facciano le denuntiationi in Chiesa, salvo che l'Ordinario non giudicasse, che le dette denuntiationi si lasciassero di fare, rimettendosi questo alla prudentia et giudizio suo,

Che se altramente che in presentia del Parocchiano ò vero di altro Sacerdote di licentia sua, ò dell' Ordinario, et di due o tre testimonij si contraherà, questo non sarà matrimonio,

Che il Parocchiano o altro Sacerdote, che con manco numero di testimonij, et li testimonij, che senza il Parocchiano ò altro Sacerdote, che interverranno a' contratti simili, et anche li medesimi contrahenti siano gravemente puniti ad arbitrio dell' Ordinario,

Che la benedittione delli Sposi non si faccia se non in Chiesa, et dal proprio Parocchiano o altro Sacerdote di licenza sua ò dell'Ordinario,

Che si exhorti li sposi à non abitare insieme innanzi la detta benedittione,

Che medesimamente si exhortino a confessarsi et Communicarsi prima che venghino all'atto dello Sposalitio, ò vero tre dì innanzi la consumatione del Matrimonio,

Che il Parocchiano debbia havere un libro, nel quale scriva il nome delli contrahenti, delli testimonij, et del luogo del contratto Matrimonio, il qual libro debbia appresso di se diligentemente conservare,

Noi poi adherendo, come dovemo, a questi ordini del Sagrosanto Concilio comandiamo a voi Rettore sopradetto, et al vostro Sacristano, che perla debita executione delli detti santi ordini, debbiate in un libro grande et ben fatto, scrivere in una parte di esso li battesimi, et in' un'altra tutti li matrimonij, che si faranno et celebraranno nella vostra Chiesa, et Parochia di Montemorello, come si è detto,

Che se forse, non sono anchora stati scritti in libro ordinato li battesimi et Matrimonij, che dal dì della publicatione del Sacrosanto Concilio et della commissione che sin da quell' hora ne fù data da Noi, si sono fatti sino al presente giorno, debbiate scriverli et registrarli nel detto libro, che farrete hora, Commandandovi che debbiate haverlo fatto, et haverci anche scritti li battesimi et Matrimonij passati, frà termine di diece giorni da contarsi dal dì della data delli presenti, sotto la pena del nostro arbitrio, la quale vogliamo, che s' intenda incorsa se tra il detto termine non ci farrete vedere il sopradetto libro fatto et scritto come di sopra,

Che havendo la memoria, che si fà nel detto libro da servire al futuro, vi ordiniamo che lo debbiate molto ben conservare, mettendolo in inventario delle altre cose mobile della Chiesa, le quali serveno ad uso, et servitio quotidiano del culto divino, di modo che dalli Sacristani se ne renda conto, come delle dette altre cose,

Che quanto al fare delle denuntiationi delli Matrimonij, essendoci parso espediente che non si facciano, per la probabile sospitione, che ci è, che in questa Città fossero più tosto per impedirli che altramente, essendo stata questa la nostra opinione nel Concilio, come dicemmo, nel nostro voto, vogliamo et ordiniamo che le denuntiationi in Chiesa non si facciano altramente da chi non le volesse fare, ma che in luogo di questo nè voi, nè il vostro Sacristano ò altro Sacerdote di vostra scienza interveniate à contratto alcuno di Matrimonio, se non saperete prima, che li contrahenti abbiano havuta licenza da Noi di contrahere, Perchè con la occasione che averemo nel venire che faranno per la licenza da Noi, cercheremo d' intendere, per quanto sarà possibile, se ci è impedimento, come habbiamo fatto sino al dì d' hoggi, il che ci è stato et sarà facile per essere la Città piccola, et se può quasi dire senza diocese,

Che la fede de contrahendo, la quale si suol dare trà le parti, che negotiano et trattano il Matrimonio et parentato, si debbia dare in una Chiesa, e nel resto si osservi totalmente quanto si è già detto, che dal Sagrosanto Concilio è stato ordinato,

Che avendo il detto ordine del Sagrosanto Concilio, et questo nostro anchora a servire perpetuamente in questa materia delli battesimi et matrimonij, vi ordiniamo che dobbiate scrivere et registrare à parola per parola nel principio del detto libro, tutto quel che si è già detto di sopra, sino al fine di questo ordine nostro, Acciochè come la memoria è labile così in ogni tempo si possa aver ricorso al detto libro, et vedere di fresco quello, che si haverà da fare in caso di oblivione o di dubbio alcuno che nascesse sopra quanto si è detto, che si habbia da osservare,

Et per fede ecc. Data in Ricanati nel Palazzo nostro Episcopale, questo dì otto di Dicembre M. D. LXVI.

Phil: Episcopus Rachanatens. m. p.

Hieronimus Petrutius Sec. de m.to

CXXX.

Protoc. Ser Hannibalis Petrutii de A. 1567. *pag.* 466.
in Archiv. pubel. Recanat.
1568. 22. Decembr.

Cum alias hospitale Misericordiae situm et erectum intus civitatem Racanatensem et quarterio S. Viti ante ecclesiam ejusdem nominis quod sub cura et gubernio Venerabilis Confraternitatis S. Luciae Racanaten. reperiebatur ex ejus concessione et gratia protectioni et regimini Communis et Reipublicae hujus Civitatis Racanatensis concessum et translatum extitisset, et Communitas ipsa illud regere et gubernare mediantibus nonnullis deputatis ab ea usque in hunc diem consueverit considerata tamen ac experientia ipsa comperto curam et regimen dicti hospitalis magis Fraternitati praedictae, quam Reipublicae Racanatensi convenire, et propterea in publico concilio hujus civitatis ad infrascriptum effectum convocato cum praesentia et auctoritate R. D. Alexandri Pallanterii Bononiensis Protonotarii Apostolici et Provinciae Marchiae Praesidis decretum fuerit dictum hospitale cum suis juribus et emolumentis ad Fraternitatem praedictam reverti, et per eam regi et gubernari debere, prout in libro decretorum manu Ser Christophori Bartholi de Apiro Cancellarii dicti Comunis latius apparet, et ad predictum effectum praefatus Rmus D. Gubernator licentiam et facultatem dederit magnifico D. Marino Brunetto J. U. Doctori de S. Elpidio, quatenus dictam Confraternitatem S. Luciae et agentes pro ea in actualem et corporalem possessionem dicti hospitalis ponat et immittat. Idcirco idem D. Marinus Commissarius antedictus volens parere mandatis praedicti Rmi D. Gubernatoris tanquam obedientiae filius adhibitis secum spectabilibus viris Antonio Scocciono, Jo. baptista Riccabella, Federico pronto, Paulo Gilii, Cicco Constantino et Julio Bartholomaei respe-

ctive Prioribus et deputatis dictae Fraternitatis cum eis personaliter se contulit ad dictum hospitale Misericordiae situm ut supra, et omnibus genuflexis ante Altare, in quo Beatae Luciae imago collocata reperiebatur ad Dei omnipotentis honorem et gloriam *et pauperum in dicto hospitali confluentium subventionem* possessionem dicti hospitalis dedit ac tradidit dictis DD. Prioribus et deputatis dictae Fraternitatis ponendo eos in actualem et corporalem possessionem domorum et stantiarum sive partimentorum superiorum et inferiorum dicti hospitalis, ac jurium ipsius curam et gubernium ejusdem hospitalis, et pertinentiarum praedict. etc. dimittendo et relaxando. Qui DD. Priores et deputati praesentes ut supra vice et nomine dictae Fraternitatis cum auctoritate et decreto praedicto apertis et clausis hostiis domorum et stantiarum dicti hospitalis cum juribus et pertinentiis suis ac obventionibus universis actualem et corporalem possessionem et tenutam ceperunt dicti hospitalis ibidem stantes et commorantes, quantum eis placuit, nemine contradicente, et alia dixerunt et fecerunt quae in similibus requiruntur ad laudem Dei omnipotentis.

Acta fuerunt haec Racanati in loco praedicto; praesentibus ibidem Tiberio Georgii, Cecco Jacobi Cavasomenta et Luca Dominici Rosati de Racanato ad praemissa testibus habitis vocatis et rogatis.

CXXXI.

Ex Actis anni 1571. 2. *Junii.*

1571. 2. Junii.

In Dei nomine amen. Anno Domini 1571. Indictione XIIII. sedente Pio V Pontifice maximo, die vero sabbati secunda Junii hora 22. in circa. Quia sicut Domino placuit, Rmus D. Filippus Riccabella dignissimus Episcopus Racanatensis ex hac vita migravit, et propterea ejus sedes vacet, et per consequens extincta jurisdictio R. D. Vicarii et R. D. Francisci Bramantis Locumtenentis et Vicarii, et ejus electio et provisio pro nunc vigore decreti Sacri Concilii Tridentini spectet et pertineat ad Clerum et Capitulum, ideo convocato et congregato Venerabili Capitulo Recanatensi, in quo intervenerunt infrascripti videlicet, R. D. Franciscus Bramantes', R. Joa. franciscus Antiquus Archidiaconus, R. D. Joa. baptista Massutius, R. D. Christophorus Calcionus Canonicus, R. D. Angelus Massutius Canonicus, R. D. Marinoctius Mochus Canonicus, R. D. Vincentius Perusinus Canonicus, R. D. Jacobus Carduccius Canonicus, R. D. Barnabas Percivallus Canonicus, R. D. Hieronymus Petrutius Canonicus, R. D. Petrus Andreas Scoccittus Canonicus, R. D. Franciscus Zampinus Canonicus, R. D. Petrus Targa Canonicus, R. D. Dominicus Sanctonus Canonicus.

R. D. Philippus bajoccus, D. Hippolitus Pettus rubeus, D. Fabritius Magiera, D. Simon de Vasariis, D. Joa. bapt. botanus. D. Hieronymus Jurattus, D. Sebastianus Ruffinus, D. Bartholomaeus Canciarellus, D. Constantinus Constantinus, D. Nicola Mecotii, D. Thomas Civitale, D. Joa. Hieron. Trasattus omnes Altaristae Episcopatus.

D. Vincentius famelume, D. Andreas bruschinus, D. Horatius Bertonus D. Franciscus Salvatus, D. Joa. paulus Duratius, D. Martinangelus, D. Mathias Ronconus, omnes Altaristae Ecclesiae S. Viti.

D. Petrus Paulus Crucittus, D. Vincentius falitera, D. Petrus Caldarola, D. Gaspar ser Bernardini, D. Baptista Paciottus, D. Baptista Veteranus D. Franciscus de Sanctis omnes Altaristae S. M. Castri novi.

Et facta proposita per supradictum R. D. Franciscum olim Vicarium pro deputatione unius Oeconomi ac novi Vicarii, et facto colloquio inter praedictos DD. Altaristas, viva voce nemine contradicente fuit confirmatus et electus in Vicarium praedictus R. D. Franciscus Bramantes.

Item fuit electus Oeconomus pro rebus domesticis, pro scripturis et rebus mobilibus si quae sunt, R. D. Hieronymus Petrutius viva voce.

Item fuit electus et creatus pro rebus ruralibus D. Sebastianus Ruffinus similiter viva voce, nemine contradicente.

CXXXII.

Atc. civil. An. 1571. *in Archiv. Episcopali.*

1571. 15. Octobr.

Pius Episcopus servus servorum Dei — Ad Romani Pontificis prudentiam circumspectam pertinet, ut ea, quae per sedem apostolicam circa statum ecclesiarum omnium praesertim cathedralium earumque profectus per uniones accomode ordinata, et statuta reperiuntur per suae declarationis ministerium ita plana facere, ut sublatis quibuslibet dubiis et ambagibus uniones ipsae licet forsan postmodum aliquibus tunc suadentibus causis ad tempus dissolutae fuerint, suum debitum consequantur effectum. Sane cum alias Racanatensis et Maceratensis Ecclesiae de mandato felicis recordationis Innocentii Papae VI praedecessoris nostri apostolica auctoritate invicem perpetuo unitae annexae et incorporatae fuerint, ipsasque ambas unam Episcopalem dignitatem, et per unum Antistitem sub utriusque intitulatione regendas et gubernandas esse statutum fuerit, unioque et annexio et incorporatio hujusmodi aliquando certis de causis iteratis vicibus ad hoc, ut illis de certis personis provideretur et quamdiu personae ipsae eas obtinerent, dissolutae et demum reintegratae fuerint, ac successive piae memoriae Julius papa III et predecessor noster unionem, annexionem, et incorporationem praedictas ad bonae memoriae Philippi olim Racanatensis

tunc in humanis agentis extra romanam curiam postmodum vita functi, ac Venerabilis fratris nostri Hieronymi Maceratensis Episcoporum apostolica auctoritate dissolverit, necnon Racanatensi de Philippi, et Maceratensi Ecclesiis praedicti tunc certo modo vacantibus de Hieronymi praedictorum personis dicta auctoritate providerit, praeficiendo ipsos illis respective in Episcopos et pastores, ac voluerit, quod altero eorum decedente, unio et annexio ac incorporatio hujusmodi in pristinum et eum in quo ante dissolutionem ipsam erat, statum reverterentur, ipsaeque Ecclesiae Racanatensis nec non Maceratensis ut prius perpetuo unitae, annexae et incorporatae essent et esse censerentur eo ipso, et licet nemini dubium esse debeat quin per obitum Philippi hujusmodi unioni annexioni et incorporationi praefatis illarumque reintegrationi locus factus fuerit, Nos tamen ne de reintegratione ac unione annexione et incorporatione hujusmodi aliquo modo dubitari contingat, providere volentes, ipsumque Hieronymum qui etiam utriusque juris Doctor, et Camerae Apostolicae Decanus, ac in utraque Signatura nostra Referendarius, ac in Cappella nostra nobis assistens et praelatus domesticus noster existit, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, unionem, annexionem, et incorporationem praedictas per obitum Philippi Episcopi hujusmodi reintegratas, illisque locum factum, necnon Ecclesias praefatas unam episcopalem dignitatem et praedictum Hieronymum Episcopum superstitem, ejusque in dictis ecclesiis successores perpetuis futuris temporibus sub utriusque intitulatione regendas et gubernandas esse perinde ac si tempore provisionis et praefectionis de persona sua Ecclesiae Maceratensi factarum hujusmodi ambabus Ecclesiis praedictis praefectus fuisset, ipsumque Hieronymum Episcopum et successores praefatos Racanatenses et Maceratenses Episcopos nominari, nuncupari, et inscribi posse et debere juxta statutum et ordinationem Innocentii ac voluntatem Julii praedecessorum hujusmodi formam ac continentiam et tenorem de fratrum nostrorum consilio auctoritate praedicta tenore praesentium declaramus et decernimus; ac statuimus, et ordinamus, decernentes insuper ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Racanatensis et Maceratensis Ecclesiarum praefatarum juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, declarationis, statuti, ordinationis et

decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, idus Octobris Pontificatus nostri anno sexto. — Joannes Rivetrus A. Glorierius etc.

omisso plumbo etc.

CXXXIII.

Ex Archivo Episcopali.

1576. 1. Junii.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ad exequendum pastoralis officii debitum paternis et sollicitis studiis vigilantes circa statum ecclesiarum quarumlibet praesertim Cathedralium salubriter dirigendum libenter intendimus, et ut illarum praesules congrue in suis necessitatibus releventur, impendimus sollicitudinis nostrae partes. Cum itaque, sicut accepimus, Praepositura Beatae Mariae de Castro novo nuncupata Racanaten. Camaldulensis ordinis, quam quondam Franciscus Bramantes Clericus ex concessione seu dispensatione apostolica in Commendam ad ejus vitam dum viveret obtinebat, commenda hujusmodi per obitum dicti Francisci, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum cessante *adhuc eo quo ante commendam* ipsa vacabat, modo vacaverit, et vacet ad praesens; et sicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Galeatii Episcopi Racanatensis petitio continebat, si in dicta praepositura ordo praefatus ejusque status regularis penitus supprimerentur et extinguerentur, ipsaque Praepositura mensae Episcopali Racanatensi, cujus fructus, redditus et proventus adeo tenues existunt, ut Episcopus Racanatensis pro tempore existens nedum se ex illis juxta pontificalis dignitatis exigentiam manutenere, sed ne vix quidem substentari valeat, perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, ex hoc profecto et commodiori dicti Episcopi substentationi et manutentioni subveniretur, ac etiam oneribus Ecclesiae Racanatensi incumbentibus in modicam Christi fidelibus civitati et diocesi Racanatensi consolationem et dignitatis episcopalis amplitudinem satisfieret et occureretur. Quare pro parte dicti Galeatii Episcopi asserentis fructus redditus et proventus dictae praepositurae et S. Baldi, ac forte illi annexorum, super pensio annua octoginta scutorum auri certae personae ecclesiasticae illam annuatim percipienti apostolica auctoritate reservata, reperitur, trecentorum ducatorum auri de camera secundum comunem exstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut praeposituram praedictam dictae mansae perpetuo unire annectere

et incorporare aliasque in praemissis opportune provvidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem praedictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur; alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, et dictum Galeatium Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac dictae mensae fructuum redditum et proventuum verum annuum valorem, necnon verum et ultimum dictae praepositurae vacantis modum etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet, praesentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati in dicta praepositura ordinem praedictum omnemque statum regularem Apostolica auctoritate tenore praesentium penitus et omnino supprimimus et extinguimus, ipsamque praeposituram, quae conventu caret, cuique cura imminet animarum quovis modo et ex cujuscumque persona seu per liberam resignationem cujusvis de illa extra dictam curiam etiam coram notario publico et testibus sponte factam aut constitutionem felicis recordationis Joannis Papae XXII praedecessoris nostri, quae incipit: execrabilis, vel assecutione alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, et si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque praepositura dispositioni Apostolicae specialiter, vel ex eo quod dictus Franciscus praeposituram praedictam obtinens dictae Sedis *notarius*, vel dilecti filii nostri Michaelis tituli S. Mariae supra Minervam Presbyteri Cardinalis Alexandrini nuncupati familiaris . . continuus commensalis fuit, quomodolibet reservatum existat et ad illum consueverit *quis* per eletionem assumi, eique cura jurisdictionalis immineat animarum, et super ea inter aliquos his, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat in decisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui speciale jus quaesitum cum annexis hujusmodi eisdem auctoritate . . . . mensae perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ita quod liceat eidem Galeatio et pro tempore existenti Episcopo Racanatensi per se vel alium seu alios corporalem possessionem praepositurae et annexorum praedictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, et proventus in suos et dictae mensae usus et utilitatem convertere, cujusvis licentia minime requisita, ac praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut alio vitio seu

intentionis nostrae defectu etiam ex eo quod diffinitores aut commissarii vel alii superiores seu deputati dicti ordinis aliique in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes citati non fuerint, notari, impugnari, ad terminos juris reduci, aut ad jus vel controversiam vocari *minusve* sub qnibusvis occasionibus et derogationibus, cancellariae apostolicae regulis, aut aliis quomodolibet contrariis dispositionibus . . . . . comprehendi, et si illas in aliquo revocari, suspendi, limitari, aut eis derogari contigerit, revocationem, suspensionem, limitationem ac derogationem hujusmodi nullius roboris vel . . . . fore, sicque per quoscumque judices et commissarios et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, non obstantibus voluntate nostra *praedicta priori* ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus, nec non dicti ordinis ac monasterii seu alterius regularis loci, a quo dicta praepositura forsan dependet, juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de praepositurís hujusmodi specialiter vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generaliter dicte Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarent, et si per eas ad inhibitionem, revocationem et de . . . . vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ac inde secuta quaecumque ad praeposituram praedictam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assumptionem praepositurarum vel beneficiorum aliorum praejudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod propter unionem, annexionem, et incorporationem praedictas dicta praepositura debitis propterea non fraudetur obsequiis et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta; et ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat litteras *praesentis* nostrae absolutionis, suppressionis, ex . . . . tionis, annexionis, incorporationis, voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum

Romae apud S. Petrum anno iacarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Kalendis Junii, Pontificatus nostri anno quinto.

CXXXIV.

1577. 1. Julii.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti Apostolicae Sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, dum praeclaros fructus, quos Presbyteri Societatis Jesu in agro Domini assidue afferunt, intra cordis Nostri arcana recensemus, votis illis gratum praestamus assensum, per quae Societas ipsa valeat ubique locorum et gentium benedicente Domino propagari. Sane pro parte dilecti Filii Petri Nicolai Leopardi Clerici Recanaten. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ipse considerans nihil in hac mortali vita magis praeferendum quam animi nobilitatem suam lapsam dignitate ad primevos gradus reducere, suoque Creatori, qui sapientiae et scientiae fons est, conformare; ac desiderans Civitatem Recanaten. optimis disciplinis ornare, unum Collegium dictae Societatis ad Dei gloriam et animarum utilitatem ex bonis sibi a Deo collatis in eadem Civitate fundare, ac annuo redditu sexcentorum scutorum monetae, et eo amplius certis ad id censibus emptis assignato et assignando, dotare intendat; et in dicta Civitate nullus sit ad id magis aptus locus, quam in quo Parochialis Ecclesia S. Viti, quae Praepositurae Ecclesiae Majoris Recanaten. Dignitati inibi post Pontificalem Majori, quam dilectus filius Petrus Hieronymus Leopardus ipsius Majoris Ecclesiae Praepositus obtinet, perpetuo unita existit, cujusque nulli sunt fructus. Unde si unio hujusmodi fructibus ipsius Ecclesiae S. Viti, exceptis infrascriptis, praedicto Petro Hieronymo et pro tempore existenti Praeposito dictae Majoris Ecclesiae remanentibus perpetuo dissolveretur, ac ipsius Parochialis Ecclesiae titulus, insignia, Fontes baptismales, et alia ad curam Animarum exercendam solita, et ordinata ministeria, Tabernacula, ac jura Animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum cum oblationibus, honoribus, oneribus, juribus, vasis sacris, et ornamentis aliis, nec non Capellaniae aut Altaria in illa fundata et erecta, etiamsi de jurepatronatus Laicorum vel aliorum existant, eorumque fundationes et commissiones, ac una sub Sanctissimi Corporis Christi, et altera sub S. Viti invocationibus Christifidelium Confraternitates in eadem Parochiali Ecclesia rite institutae cum omnibus singulis illarum gratiis et concessionibus ad aliam vel alias Ecclesias ejusdem Civitatis loci Ordinario bene visas transferrentur, et in Ecclesia S. Viti sic Titulo onereque Parochiali, ac Confraternitatum consortio destituta, in illius domo presbyterali, ac contiguo ad eamdem Ec-

clesiam spectante situ, nec non pertinentiis suis Collegium praedictum perpetuo erigeretur et institueretur, ac illi sic erecto et instituto Ecclesia, domus, situs, et pertinentiae hujusmodi etiam perpetuo concederentur, profecto et animarum saluti et publico commodo opportune consuleretur. Quare pro parte dicti Petri Nicolai Nobis fuit humiliter supplicatum, ut unionem praefatam dissolvere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur qui Religiosorum locorum propagationem sinceris desideramus affectibus, praefatum Petrum Nicolaum a quibusvis excomunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, unionem praefatam, quod Titulum Parochialis, ac Ecclesiam domumque presbyteralem nec non situm et pertinentias hujusmodi Apostolica Auctoritate tenore praesentium perpetuo dissolvimus, ipsumque Titulum et Insignia Parochialia in Ecclesia S. Viti praedicta Auctoritate tenore presentis etiam perpetuo supprimimus, ac onera et Animarum Curam, Missarum et Officiorum solemnia, Fontes Baptismales, oblationes, calices, patenas, ornamenta, paramenta, et quaecumque alia ad curam animarum exercendam necessaria, necnon Beneficia, Capellanias et Altaria ac Confraternitates, illarumque Confratres hujusmodi cum omnibus et singulis suis facultatibus gratiis et concessionibus ad aliam seu alias ejusdem Civitatis Ecclesias per dictum Ordinarium designandas, dummodo tamen illas ad praesens obtinentium, quam dicti Petri Hieronymi expressus ad praemissa accedat assensus, dictis auctoritate et tenore similiter perpetuo transferimus; necnon in domo praedicta, et illi adjacentibus pertinentiis praefatis Collegium hujusmodi eisdem Auctoritate et tenore pariter erigimus et instituimus; Ecclesiamque praefatam S. Viti eidem Collegio sic erecto, et instituto concedimus, ac ipsum Collegium omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, gratiis et concessionibus, quibus alia ipsius Societatis Collegia fulciuntur et gaudent, decoramus; decernentes Rectorem dicti Collegii pro tempore existentem, ac Personas ipsius Societatis in eo degentes ratione ipsius Ecclesiae S. Viti ad nullam animarum curam, vel Capellaniarum seu Beneficiorum, aut quodlibet onus teneri, ac praesentes Litteras nullo umquam tempore, etiam ad Ordinarii praefati, vel quorumvis aliorum instantiam ex quaquunque quantumvis juridica justa legitima et rationabili causa, etiam sub praetextu quod legitime et juridice facta non fuerit, revocari alterari limitari modificari, aut ad viam juris reduci, seu quovis alio quesito colore vel ingenio de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae defectu notari

vel impugnari posse, causamque seu causas rationabiles, propter quas illae emanarunt, coram loci Ordinario etiam tamquam a Sede Apostolica Delegato verificari non debere. Nec propterea aut ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas praesumi et viribus carere, sed illas semper validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et inviolabiliter observari debere, neque sub quibusvis revocationibus suspensionibus derogationibus vel limitationibus quarumcumque similium vel dissimilium gratiarum, etiam per Nos et Sedem praedictam etiam motu proprio, aut ad quorumvis instantiam, etiam concistorialiter sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, aut alias quomodolibet pro tempore factis, nisi praesentium individua et speciali habita mentione comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas et de novo sub datis per dictum Rectorem eligenda concessas esse, et censeri. Sicque omnibus et singulis praemissis per quosquunque Judices et Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari et definiri debere. Necnon irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apstolicis, nec non Beneficiorum et Cappellaniarum et Altarium in dicta Ecclesia S. Viti institutorum fundationibus, ceterisque contrariis quibusquunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, dissolutionis, suppressionis, translationis, erectionis, institutionis, concessionis, decorationis, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Kalendis Julii Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Omisso Sigillo plumbeo pendenti etc.

CXXXV.

1577. 20. Octobr.

In Dei Nomine Amen. — Anno Domini ejusdem a Circumcisione Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta, tempore Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII. die vero 20. mensis Octobris dicti Anni.

Illmus et Rmus D. Galeatius Moronus Episcopus Racanaten. et Maceraten. volens, ut decet, adimplere mandata Apostolica, et consulere quantum potest saluti animarum sibi commissarum, et cum Parochialis Ecclesia S. Viti fuerit dismembrata per Sanctissimum D. N. Gregorium

PP. XIII. prout in litteris Apostolicis latius continetur, a Praepositura Recanaten., cui perpetuo annexa existebat, et illa concessa de consensu R. D. Praepositi Collegio Societatis Jesu, hinc est, quod Dominatio Sua Illma et Rma, ne cura Animarum, quae exercebatur in dicta Ecclesia, et per confines distincta, in futurum negligatur, et sit qui particulariter pabulum spirituale subministret, et non desit qui curam hebeat animarum ipsarum, Auctoritate pariter Apostolica, et pastorali officio suo, habita consideratione ad circumstantias et confines praefatos, transtulit, curam animarum haberi debere per Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Mariae Montis Morelli, dilatando suos confines usque ad Ecclesiam S. Viti praefati inclusive, ab illo latere eundo circum circa dictam Ecclesiam, usque ad domum Societatis Corporis Christi dictae Ecclesiae ubi fit radunum, ab alio latere usque ad Portam ut vulgo dicitur Sinagogae, reliquam omnem curam Animarum transtulit, et deberi habere per Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Michaelis in Ponticello, declarando extra Civitatem extendi dictam curam S. Michaelis solum quantum capit intra confines eundo per Portam Maris a latere sinistro per viam qua itur Lauretum; a dextra autem dictae viae consignavit et transtulit in Ecclesiam S. Mariae praedictae. Et ita decrevit, transtulit, et curam haberi mandavit per supradictos respective juxta praefatos confines distinctos, penitus et omnino dismembrando, et auferendo curam Animarum ab Ecclesia S. Viti omni meliori modo etc. cum hoc, quod presens Decretum non habeat locum, nec suum sortiatur effectum nisi prius data cautione idonea per Collegium Societatis Jesu de reaptando, et reficiendo Ecclesias praedictas S. Mariae Montis Morelli, et S. Michaelis in Ponticello arbitrio Illmi et Rmi D. in termino unius anni sumptibus et expensis dictae Societatis, et non alias aliter nec alio modo etc. Praesentibus R. D. Stephano Bonamico Rectore Ecclesiae Parochialis S. Mariae Montis Morelli, et R. D. Joan: Baptista Massutio Rectore Parochialis Ecclesiae S. Michaelis in Ponticello, et dictum Decretum in omnibus et per omnia acceptantibus, et offerentibus se ipsos paratos exequi, et in se onus Curae praedictae suscipere secundum tenorem dicti Decreti omni meliori modo.

Actum Recaneti in Quarterio S. Flaviani in Palatio Episcopali juxta sua nota latera praesentibus Magnifico Dño Attilio Percivallo, et D. Andrea Lechi de Recaneto testibus etc.

Et ergo Marcus Antonius Girus de Recan. publicus Apostolica Auctoritate Notarius et Judex ordinarius et curiae Episcopatus Recineti Cancellarius praedictis omnibus et singulis interfui et praesens fui, eaque rogatus scribere scripsi, et publicavi, signumque meum apposui consuetum etc.

Ommiso Signo d. Notarii cum litteris — *M. A.* —

CXXXVI.

1577 21. Octobr.

In Dei Nomine Amen. Anno Domini ejusdem a Circumcisione Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta, tempore SSmi in Christo Patris D. N. D. Gregorii Divina Providentia PP. XIII. die vero vigesima prima mensis Octobris dicti Anni.

Illmus et Rmus D. Galeactius Moronus Episcopus Recanaten. et Maceraten. volens imponere finem et exequi sibi commissa a S. Sede Apostolica in erectione novi Collegii Societatis Jesu in Ecclesia S. Viti, et cum fuerit dismembrata cura animarum a dicta Ecclesia, et illata translata ad Ecclesias S. Mariae Montis Morelli, et S. Michaelis in Ponticello cum finibus distinctis, ut latius in Decreto jam emanato continetur, reliquum est, ut Altaria seu Cappellaniae, et Societates SSmi Corporis Christi, et aliarum Societatum juxta mandata Apostolica alibi trasferantur; Hinc est quod habita matura deliberatione, consilio, et assensu Altaristarum, auctoritate praedicta dicta Altaria, seu Cappellanias transtulit, et pro translatis haberi voluit, et mandavit ad Ecclesiam S. Mariae Montis Morelli, collocandas et reponendas in Altaribus noviter construendis, et in jam constructis, praeterquam Altaria seu Cappellaniae perpetuo unita, vel unitae Praepositurae Cathedralis Ecclesiae, et Altare S. Stephani perpetuo unitum Decanatui pariter Episcopatus, quas et quae, ut decet et consentaneum est, transtulit ad Ecclesiam Cathedralem, collocandum Altare S. Stephani in Altare majori, et Altaria unita Praepositurae supradictae collocanda pariter in dicto Altare majori cum honoribus et oneribus solitis et consuetis, declarans per istam translationem in nihilum praejudicari Altaristis praedictis, quinimo dictam translationem facit cum omnibus gratiis, praerogativis, honoribus, quos et quas dicti Altaristae habebant, fruebantur, et potiebantur, et signanter in recitandis Horis Canonicis, in Processionibus et in actis publicis et privatis circa praecedentiam aliorum Altaristarum, quorum caput fecit, constituit R D. Stephanum Bonamicum Rectorem dictae Ecclesiae S. Mariae Montis Morelli, qui cum aliis Altaristis participet de distributionibus in recitando horas canonicas, cum hoc tamen quod idem Rector unam hebdomadam faciat et fieri mandet singulis mensibus, prout alii Altaristae facere consueverunt et solent; In ceteris autem observentur constitutiones factae per praedecessores suos, et faciendas per Dominationem Suam Illmam et Rmam et Successores. Et ut dicta Ecclesia S. Mariae decoretur etiam Societatibus Laicorum, ad eamdem transtulit Societatem S. Viti, et Sebastiani, necnon ad eamdem Ecclesiam transtulit omnia paramenta, quae reperiuntur in Ecclesia S. Viti, et sunt ad usum

Clericorum, et Calices et patenas cum Cruce, Officia et Missarum solemnia quae fieri consueverant in Ecclesia S. Viti, cetera autem spectantia ad Curam, ut sunt Custodia pro retinenda SS. Eucharistia, tabernaculum . . . . . vasa Olei Crismatis, Catecumenorum, et Infirmorum una cum quatuor vel quinque tobaleis, pallis duobus pro Altari, et pluviale damasci . . . . . coloris, transtulit ad Ecclesiam S. Michaelis unacum Societate SS. Corporis Christi, quae teneatur et obligata sit sociare SS. Corpus Christi, quando defertur infirmis in parochia tam intus quam extra, prout tenebatur in Ecclesia S. Viti, et illuminare cum lampadis die noctuque in Ecclesia S. Michaelis SS. Eucharistiae Sacramentum, in qua Ecclesia S. Michaelis dicta Fraternitas habeat, potiatur, fruatur iisdem gratiis, praerogativis, et concessionibus, prout habebat fruebatur, et gaudebat in dicta Ecclesia S. Viti; intelligentes per istam translationem in nihilum dictae Fraternitati praejudicare in praedictis, prout SSm̃us Dn̄us Noster in Bulla Apostolica praejudicare noluit; necnon ad dictam Ecclesiam S. Michaelis transtulit Fontem Baptismalem, qui retinebatur in Ecclesia S. Viti, et in dicto Baptismali baptizentur pueri parochianorum juxta ritum S. R. E., et ita decrevit, transtulit, ordinavit, declaravit, intellexit, singula singulis referendo respective omni meliori modo etc. ita et taliter quod Decretum alias emanatum die praeterita super ampliatione S. Michaelis suum sortiatur effectum, alias praesens Decretum in nihilum habeatur, et reddatur inane, et non aliter, nec alio modo etc.

Actum Recaneti in Quarterio S. Flaviani in Aedibus Episcopalibus juxta sua nota latera, praesentibus ibidem R. D. Berardino Parpalea et D. Andrea Lechi de Recin. testibus ad praedicta habitis, vocatis et rogatis etc. Ego Marcus Antonius Girius de Recan. publicus Apostolica auctoritate Notarius et Curiae Episcopatus Recan. Cancellarius praedictis omnibus et singulis interfui et praesens fui, eaque rogatus cum aliis impeditus negotiis non valens mea propria manu scribere, per alium mihi fidum scribere feci, ideo hic me subscripsi, publicavi, signumque meum apposui consuetum etc. — Et ego Simon Acquat. Notarius Cancellariae Episcopatus transumptavi et registravi.

CXXXVII.

1578. 11. April.

In Nomine Domini Amen. Per hoc praesens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, quod Anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Indictione sexta, die vero undecima mensis Aprilis, Pontificatus SSm̃i in Christo Patris et Domini Nostri D. Gregorii Divina Providentia Papae XIII anno sexto. In q. D. Jacobi

Gerardi olim Curiae Causarum Camerae Apostolicae Notarii Praedecessoris mei Notarii publici, Testiumque infrascriptorum ad haec specialiter habitorum, vocatorum, et rogatorum, praesentia praesens et personaliter constitutus R. D. Petrus Nicolaus Leopardus Presbyter Recanatensis, qui cum diu attenta mente perpenderit uberes fructus, quos in Ecclesia Dei, benedicente Domino, Societas Jesu per universum terrarum orbem divino, ut pie creditur, instinctu ac vocatione diffusa proferat assiduis praedicationibus, sacris lectionibus, audiendis confessionibus, ac rudium in Doctrina Christiana instructionibus, aliisque spiritualibus ministeriis et exercitiis; et a multis jam annis desideraverit Patriam suam, Civitatem scilicet Recanatensem, quantum cum Domino potest similibus auxiliis juvare unum in ea ejusdem Societatis Collegium ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, ac Beatissimae semper Virginis Dei Genitricis Mariae, necnon ad animarum, praecipue vero Parentum, fratrum et propinquorum suorum tam virorum, quam defunctorum salutem, Patriaeque communem utilitatem, de bonis patrimonialibus sibi a Deo collatis fundare et dotare decrevit, in quo dictae Societatis Religiosi pia illius ministeria exercere, animarumque salutem et perfectionem, tamquam fideles divinae gratiae ac vocationis cooperatores, juxta charitatis, ac laudabilis dictae Societatis instituti rationem, commode promovere valeant Sed hoc suum desiderium hactenus adimplere non potuit donec sublatis jam omnibus impedimentis, confirmatoque praedictae Fundationis et dotationis desiderio, tandem nunc in Ecclesia S. Viti Recanaten., ad id per SSm̃um Dn̄um Nostrum D. Gregorium Papam XIII et ad ipsius R. D. Petri Nicolai preces cum domo, et adjacentiis suis applicata et concessa, statuit cum divino adjutorio reipsa opereque complere., atque desideratae exequutioni demandare. Sponte igitur et ex certa sua scientia, non vi, dolo, metu, fraude, aut aliqua alia sinistra machinatione seductus, aut quomodolibet circumventus, sed omnibus melioribus modo, via, jure, causa, et forma, quibus magis, melius, validius, et efficacius de jure fieri potuit et debuit, ac potest et debet per se suisque heredibus, et in futurum successoribus jure perpetuo, et in perpetuum dotavit, ac titulo dotationis, vel etiam donationis purae, merae, liberae, et irrevocabilis inter vivos dici consuetae, nullo jure, nulloque vitio, sive etiam ingratitudinis vel paupertatis, aut ex quavis alia causa vel occasione revocanda liberaliter dedit, transtulit, et concessit supradictae Societati Jesu absenti, et pro ea Admod. R. Patri Everardo Mercuriano ejusdem Societatis Generali Praeposito praesenti, acceptanti stipulanti, et pro se, ac dicta Societate, Collegioque Recanaten. recipienti videlicet pro ejusdem Collegii dote, ac Religiosorum Societatis in eo pro tempore degentium substentatione, aliorumque onerum eidem Collegio incumbentium supportatione, summam et quantitatem *scu-*

torum novem millium ac centum monetae ad rationem paulorum decem pro quolibet scuto, quae ad praesens reperiuntur pro ipso Collegio, et illius nomine investita in tot censibus redimibilibus, videlicet Scuta quatuor mille et quinquaginta similia in uno annuo censu scutorum trecentorum quindecim etiam monetae, empto a R. Capitulo et Canonicis Basilicae S. Petri de Urbe super Casale dicti Capituli nuncupat. Civitella, posito in partibus Transtiberinis juxta sua nota confinia pro pretio dictae summae scutorum quatuor millium et quingent. monetae, prout in Instrumento publico desuper in actis mei Jacobi Gerardi Curiae Causarum Camerae Apostolicae Notarii sub die 24. mensis Januarii An. Dñi 1575. ac alia scutorum quatuor mille trecenta similia in alio censu scutorum trecentorum unius etiam monetae pro pretio summae praedictae scutorum quatuor mille trecentorum a Magnifica Communitate Recanatan. super salmis nonaginta terrae, Scossiccia nuncupat. dictae Magnificae Communitatis, existentia in plano Musonis, incipiente a capite Silvarum Comunis, et bonis Rm̃i Dñi Hieronymi Melchiorris per lineam rectam versus Mare, ac reliqua scuta trecenta etiam monetae ab eadem Magnifica Communitate Recanaten. super aliis sexdecim salmis dictae Terrae Scossicciorum praedictae Communitatis, sitae prope Flumen Musonis et Mare versus Silvam; ac alia dictae Communitatis Scossiccia, imposita, et assignata, ac vendita, prout duobus publicis Instrumentis coram D. Mattheo Ser Bernardini de Recaneto Notario publico ut asseritur rogatis, altero videlicet sub die 17. mens. Junii An. Dñi 1575. altero vero sub die 18. ejusdem mensis Junii An. Dñi 1576. plenius continetur. Item simili titulo dotationis et donationis inter vivos cessit, concessit, transtulit, atque mandavit omnia jura, omnesque actiones reales et personales, utiles et directas, tacitas et expressas, hypotecarias, et pignorativas, sive mixtas et in re scriptas, Officium Judicis, et beneficium juris, quae, quas, et quod ipse R. D. Petrus Nicolaus ullo unquam tempore habuit, seu habet, sibique competiit, seu competit, vel habere et competere potuit, seu potest vel poterit nunc, aut quomodolibet in futurum contra quasquunque personas universitates, loca, Capitula, Collegia super dictis summis seu quantitatibus pecuniarum ac censibus, illorumque fructibus a die adeptae jam per dictam Societatem possessionis Domus et Ecclesiae S. Viti Recanaten. praedictae decursis, quae scilicet fuit dies decimanona mensis Octobris proximi, praeteriti, et in futuro perpetuo decurrendis, et percipiendis pro dicto Collegio ad habendum, tenendum, possidendum, utendum, fruendum, fructificandum, vendendum, cedendum, et concedendum, pignorandum, obligandum, hypotecandum, et de eis faciendum, et disponendum ad libitum dictae Societatis, et Rm̃i D. Generalis, ponens dictus R. D. Petrus Nicolaus eandem Societatem, et pro ea eumdem R. P. D. Everardum Generalem Praepositum

praesentem et ut supra stipulantem in et super dicta re donata, et juribus illius, in locum jus, et privilegium ipsius R. Dñi Petri Nicolai, ac constituens eamdem Societatem, et per eam eumdem R. P. D. Everardum praesentem et ut supra stipulantem super dicta re donata, et juribus illius procuratorem irrevocabilem, ut in rem propriam ipsius Societatis, et Rmi P. D. Generalis; Ita quod ex nunc et in posterum pro dicta re donata, et juribus actionibusque praedictis proprio nomine dictae Societatis et Collegii Recanaten. et ejus Rmi P. D. Generalis agat, petat, exigat, defendat, excipiat, recipiat, eisque libere utatur, fruatur, et experiatur in judicio et extra ubilibet directis actionibus ad ejus velle, quemadmodum ipse R. D. Petrus Nicolaus uti, agere, petere, et experiri poterat ante factam hujusmodi dotationem, et donationem, nullo jure, nullaque actione ipsi R. D. Petro Nicolao nunc, aut quomodolibet de cetero super dicta re donata, et juribus illius reservatis; dans et concedens dictus R. D. Petrus Nicolaus eidem Societati et Collegio, et pro eis eidem Rmo P. D. Everardo Praeposito Generali plenam licentiam, ac liberam facultatem, et potestatem de dicti census et fructus, ac pecuniarum summas ut supra donatus propria ipsius Rmi D. Generalis auctoritate, et sine aliqua alia Judicis vel Curiae licentia, decreto vel mandato, possessionemque illorum realem, actualem, et corporalem capiendi, intrandi, apprehendendi, retinendi, continuandi, et de ea re donata faciendi et disponendi ad ejus libitum ut supra, et donec investitus fuerit, et rei donatae corporalem, actualem, realemque, possessionem adeptus. Interim dictus R. D. Petrus Nicolaus illam nomine dictae Societatis et Collegii Recanaten. et pro ea dicti Rmi P. Generalis tenere et possidere constituit, atque recognovit. Hanc autem dotationem, et donationem, et omnia et singula in praesenti Instrumento contenta fecit et facere dixit praedictus R. D. Petrus Nicolaus Fundator erga eamdem Societatem quia sic sibi facere, ac de rebus ac bonis suis praedictis disponere placuit, asserens se et Magnificum Dñum Horatium Leopardum ejus fratrem habere pro indiviso plura alia bona patrimonialia stabilia, et in specie oliveta, et alia bona Morelli, et Montironis, ac silvas Ripaldi, et Ricalis nuncupata, et alia multa, ex quibus commode et abunde cum decentia eorum status vivere, et se substentare possunt; et nihilominus ad majorem cautelam pro dicto Dño Horatio ejus Fratre promisit de rato et rati habitione, ac ratificari faciendo praedictam donationem et dotationem, ac omnia et singula in presenti Instrumento contenta per eumdem D. Horatium, alias de suo proprio teneri velle ad omnia supradicta, necnon ad omnia et singula damna, expensas et interesse per dictam Societatem et Collegium, ac successores in eo facienda, patienda, et incurrenda; Ita quod factum alienum promittendo non excusetur. Promittens insuper hujusmodi dotationem, et donationem esse bonas, beneque et legitime factas, et nihil

in illis praejudicium fecisse, nec facturum esse, illasque non revocare, nec rescissionem praesentis contractus ullo unquam tempore petere, sed praesentem contractum et contracta in eo quaequunque semper et perpetuo rata grata, firma, et valida habere, tenere, et inviolabiliter observare; Renunciando, quatenus opus sit, etiam medio juramento tactis corporaliler Scripturis sacrosanctis in manibus mei Notarii publici infrascripti, beneficio legis — si unquam — Cap. de revocandis donationibus, omnibusque aliis legibus, statutis, quibus mediantibus posset contra hujusmodi dotationem, et donationem, ac contenta, in praesenti Instrumento, vel eorum aliquod quomodolibet facere, dicere, excipere, opponere, vel venire, seu se in aliquo tueri et defendere. Declarans praeterea dictus R. D. Petrus Nicolaus, quod supradictae pecuniae, seu pretia supradictorum Censuum in evento redemptionis illorum, seu alicujus eorum vel partis quandoquunque et quotiesquunque hoc evenerit, semper perpetuis temporibus reinvestiri debeant in aliis similibus censibus, seu aliis stabilibus bonis et rebus, seu redditibus tutis in dicti Collegii Recanaten. commodum et utilitatem, et non alias; Et insuper in eventum, in quo dictum Collegium in futurum (quod Deus avertat) dissolveretur. ipse R. D. Petrus Nicolaus reservat sibi ex nunc plenam facultatem disponendi ad sui libitum de summa, seu bonis praedictis. Pro quibus omnibus et singulis praedictis sic tenendis, complendis, firmiterque et inviolabiliter observandis idem D. Petrus Nicolaus seipsum ejusque heredes et successores, ac bona omnia mobilia, et immobilia, praesentia et futura, ac semoventia ubiquunque existentia, juraque actiones, et dictorum nomina quaequunque in ampliori et pleniori forma Camerae Apostolicae, cum submissionibus, renunciationibus, compulsionibus cohercitionibus, viribus, rigoribus stilis, aliisque clausulis, et cautelis in eadem forma Camerae Apostolicae apponi solitis, et consuetis, latius quandocuumque opus fuerit extendendis obligavit, et hipothecavit, citra tamen propriorum constitutionem, renuncians cuiquumque appellationi, recursui, et reclamationi coram quoquumque Judice, interponens, et in exequutionem praesentis Instrumenti quomodolibet retardans. Et ad majorem praemissorum cautelam juravit tactis corporaliter Scripturis Sacrosanctis ad Sancta Dei Evangelia in manibus mei Notarii publici infrascripti super quibus omnibus et singulis praedictis petitum fuit sibi a supradicto Notario publico infrascripto unum vel plura publicum vel publica fieri atque confici Instrumentum vel Instrumenta opus prout fuerit. Asserit praeterea idem R. Dñus Petrus Nicolaus ultra praedicta fuisse taxata eidem Collegio Recanaten. a Magnifico D. Jacobo q. Caroli de Castro ficcardo Anconitanae Dioeces. duo petia terrae, alterum scilicet olivatum quinque Salmarum cum una domuncula, alterum vero laborativum trium salmarum sub suis confinibus, prout constat in actis D. Nicolai Piroti Camerae Capitolinae Urbis Notarii sub die prima Junii Anno 1575.

Actum Romae in domo Probationis S. Andreae ejusdem Societatis in Monte Quirinali, ibidem praesentibus R. P. Jacobo Ximenez Religioso ejusdem Societatis, et R. P. Salvatore Riccio Clerico Narnien. ac Fabritio Ruanri Clerico Mechlinien. Dioecesis Testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis, atque rogatis. Quae quidem donatio taliter erat subscripta; videlicet — Ita doto et dono ac promitto ut supra Ego Petrus Nicolaus Leopardus manu propria — Ego Jacobus Ximenez supradictis praemissis interfui pro Teste — Ego Fabritius Ruanrin praemissis interfui pro Teste — Ego Salvator Riccius supradictis premissis interfui pro Teste — Deinde et incontinenter vice versa ibidem praesens Rm̃us Dn̄us Everardus Mercurianus dictae Societatis Jesu Generalis Praepositus premissis plene intellectis, volens ac decernens, ut in Civitate Recanaten. unum dictae Societatis juxta illius Constitutiones Collegium erigatur, cujus supradictam Fundationem perpetuis, ut par est, futuris temporibus stabilire intendens, sponte, et ex certa ejus scientia, ac spontanea voluntate, omnibusque melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus magis, melius, validius, et efficacius de jure fieri potuit et debuit, potestque et debet, supradicti R. D. Petri Nicolai dotationem, et donationem, omniaque et singula in ea contenta, praemissa, ad laudem et gloriam Dei, et animarum salutem, debita cum gratiarum actione, et suo, et dictae Societatis, Successorumque suorum nomine, sicut et ipsum R. D. Petrum Nicolaum in dicti Collegii Fundatorem cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, suffragiis, et meritorum Societatis in Christo Jesu participatione, quae per Constitutiones et Apostolica ejusdem Societatis privilegia similibus Collegiorum Fundatoribus, eorumque Successoribus juxta Constitutionum, et privilegiorum eorumdem continentiam, et tenorem conceduntur, acceptavit, et acceptat; Voluitque, mandavit, et ordinavit, ac per praesentes vult, mandat, et ordinat, quatenus tam Provincialis hujus Romanae, vel ejus Provinciae, sub qua dictum Collegium erit, quam Rector praedicti Collegii Recanaten. Societatis Jesu, qui pro tempore fuerit, Collegium unum juxta Societatis Constitutiones in dicta Civitate Recanaten. erigant, ac manuteneant, et in eo duas saltem Scholas instituant, ac perpetuo conservent, in quibus Grammaticam, et Litteras humaniores more Societatis doceant, quicuumque eo addiscendum accesserint. Ceterum ut tam ipsum R. D. Petrum Nicolaum fundatorem, quam ejus in fundatione eadem Successores omni spiritualis officii ac gratitudinis genere juxta easdem Constitutiones, qui in eodem Collegio habitaverint, semper prosequantur. Denique Deum Opt. Max. omnium bonorum Auctorem, qui Fidelium suorum corda ad opera ejus Divinae Majestatis grata excitare, et cum eis cooperari non desinit, obnixe precatur, ut ipsi R. D. Fundatori, suisque Majoribus, ac Propinquis praesentibus ac successoribus centuplum

in aeterna Beatitudine retribuere dignetur. Et ad majorem cautelam juravit tacto pectore more Sacerdotali. Super quibus omnibus praedictis petitum fuit sibi a me Notario publico infrascripto unum vel plura publicum vel publica fieri atque confici Instrumentum et Instrumenta, prout opus fuerit. — Actum Romae, uti supra, praesentibus ibidem quibus supra Testibus ad praedicta omnia vocatis, habitis, atque rogatis.

Et quia Dñus Jacobus Gerardus dum vixit Curiae Causarum Camerae Apostolicae de praemissis rogatus fuit; ideo Ego Marcus Antonius Brutus in ejusdem Notariatus Officio Auctoritate Apostolica Successor, praesens Instrumentum subscripsi, et signavi requisitus.

Omisso signo dicti Notarii cum litteris M. A. B. ac inscriptione — *Non aliunde* — Collat. f. lib. m. An. 1586. fol. 35.

CXXXVIII.

Ex Archivo secr. Civit. Recanat.

1580. 16. Julii.

Gregorius PP. XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Etsi ex injuncta nobis pastoralis officii cura cunctarum ecclesiarum et piorum locorum privilegia conservare et tueri studemus, ad illas tamen, quae Deiparae Virgini Mariae dedicate sunt, ex speciali nostra devotione libenter respicimus, et praecipue in quibus ejusdem Virginis Mariae intercessionibus Omnipotens Deus miracula in dies operari non dedignatur, et ob id celebritate ac populorum ibidem confluentium devotione sunt insignes; inter quas cum *Ecclesia S. Marie de Laureto* nullius Dioecesis cappella nostra praecipue habeatur, ubi non solum imago ipsius beatae Virginis Mariae sed etiam, ut pie creditur et fama est, Camera seu thalamus ubi ipsa beatissima Virgo concepta, ubi educata, ubi ab Angelo salutata Creatorem saeculorum concepit, ubi ipsum suum Primogenitum suis castissimis uberibus lacte de coelo plenis lactavit et educavit, ubi quando de hoc saeculo ad sublimia sumpta extitit orando quiescebat, quamque Apostoli sancti primam ecclesiam in honorem Dei et ejusdem beatae Virginis consecrarunt, ubi prima Missa celebrata fuit, ex Nazaret Angelicis manibus ad partes Sclavoniae et locum *Flumen* nuncupatum primo portata, et inde per eosdem Angelos ad nemus Lauretae mulieris ipsius beatissimae Virginis Mariae devotissimae ac successive ex dicto nemore propter homicidia et alia facinora quae inibi perpetrabantur, in collem duorum fratrum et postremo od rixas et contentiones inter eos exortas in vicum publicum territorii Recanatensis translata extitit, fel. Record. Paulus II Sixtus IV, Julius II, Leo X, Clemens VII, Paulus III, et Pius IV praedecessores nostri multas in subsidium et favorem ipsius Ecclesiae in-

dulgentias, praerogativas, gratias, privilegia, indulta et alia spiritualia et temporalia dona concesserunt et concessa approbaverunt et confirmaverunt, ipsamque Ecclesiam et illius bona mobilia et immobilia praesentia et futura ac possessiones, praedia, campos, vineas, oliveta, silvas, nemora, et alia quecumque dictae Ecclesiae bona, necnon ejus ministros et servientes tam domi quam foris ab omni visitatione, correptione, jurisdictione, superioritate, potestate Episcopi Recanatensis et ejus Officialium praesentium et futurorum et aliorum ordinariorum perpetuo penitus et omnino exemerunt et liberaverunt, ac sub eorum ac beati Petri ac Sedis Apostolicae protectione perpetuo susceperunt, ac sibi et Successoribus suis Romanis Pontificibus et dictae Sedi et Gubernatori per eos et Sedem praedictam inibi deputandum pro tempore subjecerunt et subesse voluerunt, ipsamque Ecclesiam in eorum et dictae Sedis Cappellam perpetuo receperunt, ipsaque Ecclesia ac omnes et singuli ejus ministri ac servientes tam domi quam foris, omnesque vicum seu burgum ubi ipsa Ecclesia consistit et in eodem vico tam ratione rerum dumtaxat ad dictam Ecclesiam pertinentium, quam pro hospitando ad dictam Ecclesiam declinantes, et victualibus seu etiam eidem Ecclesiae offerendis vendendis et exhibendis dumtaxat inhabitantes, possessionesque, domos, tenutas et alia bona ad dictam Ecclesiam et ejus fabricam colentes et laborantes seu ejusdem Gubernatoris pro tempore deputati mero et misto imperio ac omnimoda jurisdictione in spiritualibus et temporalibus perpetuo subjiecerentur, et nullum alium Superiorem nisi eos et alios Romanos Pontifices pro tempore existentes et ipsum Gubernatorem pro tempore deputatum dumtaxat recognoscerent, statuerunt et ordinaverunt prout in litteris dictorum Praedecessorum desuper confectis plenius continetur; et deinde tempore quo bo. mem. Cardinalis Urbinas dictae Ecclesiae ac oppidi Lauretani Protector existeret, cum Venerabilis frater Galeatius modernus Episcopus Recanatensis praetenderet populum Ecclesiae et oppidi hujusmodi benedicere, ac mocettam seu cappuccium episcopale in Ecclesia et oppido praedicto portare et jurisdictionem spiritualem in habitantes et commorantes in vico seu burgo Laureti et alia facere posse, quae locorum ordinarii in locis et Ecclesiis dictae Dioecesis etiam exemptis faciunt, quorum occasione lis, discordia, contentio, seu quaestio aut controversia inter Cardinalem Urbinatensem praedictum ex una et Galeatium Episcopum praedictum ex altera partibus oriri formidabatur, seu forsan jam orta et incepta fuit, et adhuc pendet indecisa, ac postremo cum Venerabilis Frater noster Joannes Episcopus Hostiensis Cardinalis Moronus nuncupatus, qui Ecclesiae et oppido praedictis Protector et perpetuus Gubernator existit, statum ac merita causae hujusmodi ac jura hinc inde allegata nobis nuper retulit: *Nos liti, causae et contraversiae hujusmodi*

finem imponere volentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine omnes et singulas lites, contentiones quaestiones, differentias et controversias tam motas quam movendas et causas praedictas coram quibusvis judicibus introductas et introducendas in quacumque instantia pendentes et pendendas ad nos harum serie advocamus ipsasque penitus et omnino extinguimus, ac eidem Galeactio et dilectis filiis Communitati et hominibus Recanatensibus super oppido seu burgo Lauretano hujusmodi et ejus jurisdictione super omnibus in judicium hactenus deductis ac in futurum praemissorum et infrascriptorum occasione deducendis perpetuum silentium imponimus, ac quibuscumque judicibus ne de meritis causae seu causarum hujusmodi cognoscere seu in illis ad ulteriores actus procedere audeant seu praesumant interdicimus, necnon Ecclesiam et oppidum hujusmodi fuisse et esse nullius dioecesis et a dioecesi Recanatensi separatam et liberam ab omni visitatione, correptione, jurisdictione et potestate dicti Episcopi Recanatensis et nullius dioecesis, ipsamque Ecclesiam nostram et Sedis Apostolicae Cappellam perpetuo fore et esse declaramus, et eam talem esse volumus et ab omnibus haberi tractari et reputari praecipimus et mandamus adeo quod praedictus et pro tempore existens Episcopus Recanaten. nullum penitus jus episcopale, nullamque jurisdictionem tam quoad curam animarum et sacramentorum administrationem, quam quoad ea quae sunt Ordinarii et jurisdictionis episcopalis tam volontarie quam contentiose, nec cappuccium seu mochettam episcopalem deferre, nec benedictionem super populum tam in Ecclesia quam in oppido Lauretano et ejus jurisdictione impendere possit, etiam de jure ordinario seu delegato aut subdelegato dictae Sedis, et vigore Constitutionum et ordinationum Apostolicarum nec non decretorum Concilii Tridentini, ita quod omnimoda jurisdictio episcopalis sit et esse intelligatur penitus et omnino penes nos et Romanos Pontifices successores nostros ac Protectorem seu Gubernatorem ac Locumtenentem pro tempore existentem, ipseque Protector seu Gubernator per se seu alium vel alios curam animarum gerat et sacramenta administret tam ministris dictae Ecclesiae quam habitantibus et commorantibus in dicto oppido et ad illud advenientibus et inibi pauco tempore stantibus ac in eos in spiritualibus et temporalibus cum mero et mixto imperio jurisdictiones habeat. Praecipimus quoque, quod Protector Gubernator seu Locumtenens possint quoscumque delinquentes ac facinorosos pro delictis commissis in territorio et jurisdictione dictae almae Domus oppidique Lauretani in quibuscumque locis dioecesis Recanatensis capere et carcerare, illosque juxta eorum demerita castigare, decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio de-

fectu etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, notarii, impugnari, invalidari, seu ad terminos juris reduci seu in jus aut controversiam vocari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspentionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse et censeri debere, sicque per quoscumque judices et commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi facultate, ac auctoritate ubique judicari ac diffiniri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili fratri Episcopo Firmano ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali Auditori motu simili mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios praesentes litteras ac in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte Protectoris seu Gubernatoris aut Locumtenentis hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicari, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistendo faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula ab omnibus quos illa quomodolibet concernunt et concernent in futurum inviolabiliter observari, contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo, Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis, non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad judicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 16. Julii 1580. Pontificatus nostri anno nono.

Caesar Glorierius, omisso sigillo sub anulo Piscatoris.

CXXXIX.

1585. 26. Jan.

Capitulatio inter D. Episcopum et Clerum Recan. cum Magnif. Communitate facta die 26. *Jan.* 1585. *ut in Annalibus etc.*

1.° Che i lavoratori de' SS. Ecclesiastici debbano pagare le gabelle di animali, e de'raccolti di grano, vino, olive ec. nei beni ecclesiastici per la porzione toccante a essi lavoratori secondo che pagheranno gli altri cittadini.

2.° Che i detti lavoratori siano obbligati di andare a macinare i loro grani al molino della Communità o delli Massarj e pagare come gli altri macinati per la pesa, e moltura, sotto pena ordinata ne capitoli della Communità.

3.° Che gli Ecclesiastici per i loro *beni patrimoniali* siano tenuti a pagare li quarti delle botteghe della fiera conforme alla Tassa fatta da Monsig. Paolo de Cuppis nella transazione del 1548. fatta per mano di Ser Renato Constantino, item le altre gabelle da imporsi sopra qualsisia frutti e beni stabili patrimoniali ad instar degli altri Cittadini, la gabella del fumante in fuori.

4.° I lavoratori, fittuari, e soci siano tenuti a pagare *pena e danno* per li danni che daranno i loro animali per la porzione ad essi spettante in tali animali; i Padroni però per la porzione loro nei medesimi, e per i danni fatti da animali intieramente di loro proprietà, siano tenuti solamente all'emenda, per la quale non si possa procedere se non in Curia ecclesiastica.

5.° Le Dignità, Cononici, e Rettori delle Chiese Collegiate siano esenti dalla pesa del grano ciascuno per some sei, gli altri Sacerdoti per some quattro, e i Chierici, che vadano in abito e tonsura, some due, tutti però in caso soltanto che risiedano in questo territorio.

6.° Le Dignità del Capitolo siano esenti dalla gabella delle pecore ciascuno per 60. pecore, i Canonici e Rettori delle Collegiate per 50., i Sacerdoti e Beneficiati per 25., che siano loro propri, o che li facciano custodire per garzoni, o dai lavoratori, fittuarj e socj pagando all' instar degli altri Cittadini la gabella del di più di pecore e di altri animali.

7.° Se le pecore de' Cittadini non potessero condursi alla montagna, quelle degli Ecclesiastici soggiacciano alla stessa legge.

8.° Il Vescovo possa tenere esenti 150. pecore, 20. bovi, 10. bestie cavalline, 10. vaccine, e 25. porcine. — per il di più pagherà la gabella.

CXL.

1586 17. Mart.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Pro excellenti praeminentia Sedis Apostolicae, in qua post Petrum Apostolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen authoritate constituti sumus, in exiguo militantis Ecclesiae agro novas Episcopales sedes Ecclesiasque plantare dignum arbitramur ut per hujusmodi novam plantationem popularis augeatur devotio, divinus cultus effloreat, et animarum salus subsequatur, necnon propagatione novae sedis honoratique Praesulis assistentia et regimine cum Apostolicae potestatis plenitudine et orthodoxe fidei profectu et exaltatione populi ipsi propositum eis aeternae felicitatis praemium facilius valeant adipisci. Considerantes itaque Oppidum Lauretanum in Provincia Piceni situm nullius dioecesis, Sedi Apostolicae imme-

diate subjectum in toto orbe celeberrimum et in eo unam insignem Collegiatam Ecclesiam sub invocatione B. Mariae Virginis fundatam existere, in cujus medio inest illud sacrum cubiculum divinis mysteriis consecratum, in quo Virgo Maria nata fuit, et ibidem ipsa ab Angelo salutata, Salvatorem mundi de Spiritu Sancto cencepit, misterio Angelorum illuc translatum, et ad dictam Ecclesiam ob miracula, quae in dies Omnipotens Dominus intercessione et meritis ejusdem B. M. Virginis in eodem cubiculo operari dignatur, Christi fideles ex omnibus mundi regionibus Devotionis et peregrinationis causa confluere. Et propterea cupientes oppidum et Ecclesiam hujusmodi dignioribus titulis et nominibus decorare, habita super hoc cum fratribus nostris deliberatione matura, de eorum consilio et assensu ac de Apostolicae potestatis plenitudine ad ejusdem Omnipotentis Dei laudem et gloriam et ipsius B. Mariae Virginis honorem, necnon Christi fidelium devotionis augmentum, Oppidum in Civitatem Lauretanam nuncupandam, Ecclesiam vero in Chathedralem sub eadem invocatione pro uno Episcopo Lauretano nuncupando, qui jurisdictionem Episcopalem habeat et exercat in spiritualibus cum mensa Episcopali, arca, sigillo, aliisque insignibus et honoribus et privilegiis, quibus alii Episcopi de jure vel consuetudine vel alias quomodolibet in eisdem spiritualibus utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet possunt apostolica authoritate, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus, illasque sic erectas, necnon Episcopum Lauretanum pro tempore existentem ac ipsius Ecclesiae Capitulum dictae Sedi immediate perpetuo etiam subjicimus, et sub protectione BB. Petri et Pauli Apostolorum suscipimus, necnon cum nuperrime unionem olim de Ecclesia Recanatensi et Ecclesia Maceratensi eadem authoritate perpetuo factam de consilio et potestatis plenitudine similibus dissolverimus, et Ven. fratrem nostrum Galeatium Episcopum Maceratensem a vinculo, quo dictae Ecclesiae Recanatensi, cui tunc ratione unionis hujusmodi praeerat, tenebatur, absolverimus, ac in dicta Ecclesia Recanatensi nomen et titulum Cathedralis, necnon sedem, dignitatem, et mensam Episcopalem suppresserimus, ipsamque Ecclesiam Recanatensem in Collegiatam reduxerimus, Civitatem tamen Recanatensem titulum et denominationem Civitatis propterea non amisse ita ut illius inhabitatores cives denominari, et privilegiis civium uti possent decernendo; Castrum Ficardi ab Anconitana, et S. Mariae in Cassiano ab Auximana, et Montis Iuponis oppida a Firmana dioecesibus, quibus in spiritualibus subjecta sunt, authoritate et tenore praemissis similiter perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, illaque sic dismembrata et separata, ac eorum incolas et habitatores ab omni jurisditione et potestate et subjectione Anconitani et Auximani ac Firmani Episcoporum pro tempore existentium, nec

non solutione decimarum eisdem Episcopis per eos debitarum ex tunc de cetero facienda itidem perpetuo eximimus et liberamus: necnon ipsa, ac civitatem Recanatensem praedictam illiusque et Castri Ficardi ac oppidorum praedictorum territoria pro dioecesi dicti Episcopi Lauretani, illorum vero necnon civitatis Lauretanae ecclesiasticas personas pro Clero et habitatores pro populo authoritate et tenore praemissis similiter perpetuo concedimus et assignamus; ac pro Episcopi Lauretani pro tempore existentis dote quam summam duorum millium scutorum dictae Provinciae constituere debere declaramus, omnia et singula fructus, redditus et proventus, jura, obventiones, et emolumenta in quibusvis rebus et actionibus et ubique locorum consistentia et provenientia et ad quamvis summam ascendentia dictae mensae Episcopalis Recanatensis sic suppressae et extinctae, et quae ad illam quomodolibet spectant et pertinent, ac ante illius suppressionem et extinctionem hujusmodi quovis jure spectabant et pertinebant, spectareque et pertinere poterant, necnon Castri Ficardi et Oppidorum territoriorum hujusmodi decimas Anconitano, Auximano, et Firmano Episcopis solvi solitas, residuum vero dictorum duorum millium scutorum pro dote dictae Ecclesiae Lauretanae constitutorum hujusmodi ex tot praediis et possessionibus dictae Domus Lauretanae per dilectum filium nostrum Philippum S. Angeli in foro Piscium Diaconum Card. Vastavillarum nuncupatum dictae Domus Protectorem ejus arbitrio declarandis et assignandis etiam perpetuo concedimus et assignamus. Nec non in dicta Ecclesia Lauretana in qua unus Archipresbyteratus, qui ante erectionem hujusmodi inibi principalis existebat, pro uno Archipresbytero ac una Praepositura pro uno Praeposito, ac unus Decanatus dignitates pro uno Decano, necnon 12. Canonicatus et totidem Praebendae pro 12. Canonicis, ac etiam 12. Beneficiatis, et totidem Clericatus nuncupata perpetua simplicia beneficia pro totidem personis eidem Ecclesiae Lauretanae deservientibus erecta et fundata existunt, unum Archidiaconatum, qui inibi dignitas major post Pontificalem Ecclesiam pro uno Archidiacono, qui in choro et Capitulo ipsius Ecclesiae Lauretanae ac processionibus aliisque actibus capitularibus primum locum ac primam vocem ante obtinentes alias dignitates praedictas habeat, authoritate et tenore praesentium etiam perpetuo erigimus et instituimus, ac Praeposituram in Primiceriatum pro uno Primicerio, Decanatus vero Dignitatem hujusmodi denominationes in Thesaurariam pro uno Thesaurario commutamus, necnon Archipresbyteratum secundam pro Archipresbytero qui secundum, et primiceriatum tertiam pro uno primicerio, qui tertium, ac Thesaurarium quartam inibi Dignitates pro uno Thesaurario, qui quartum locum in Choro, Capitulo, processionibus et actibus praedictis aut Canonicos praedictos, habeant, nec non Canonicatus et praebendas ceteraque beneficia praedicta, alias

juxta collationes et provisiones de illis eorum possessoribus factas pro Capitulo ejusdem Ecclesiae Lauretanae remanere declaramus. Ac insuper motu proprio non ad alicujus desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate familiae nostrae de Perettis de Montealto Juspatronatus, et praesentandi personam idoneam ad Archipresbyteratum praedictum, quoties illum per obitum, aut resignationem vel alias quovis modo etiam apud Sedem praedictam vacare contigerit, Episcopo Lauretano pro tempore existenti per eum ad praesentationem hujusmodi instituendam authoritate et tenore praedictis pariter perpetuo reservamus, concedimus et assignamus. Non obstantibus nostra de non tollendo jure quaesito ac quibusvis aliis Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, necnon Lauretanae, Recanatensis, Auximanae, Anconitanae, et Firmanae Ecclesiarum praedictarum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis illis earumque Praesulibus, Capitulis et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili et consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verba ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si ad verbum inserentur praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse coeterisque quibuscumque motu simili derogamus. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. 1586. 16. Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno primo.

CXLI.

Ex Archivo Capitul. Canonicor. Eccl. Recanat.

1586. 31. Maji.

Francesco Cantucci Vescovo di Loreto

al suo diletto Clero et popolo salute nel Signore etc.

Noi crediamo, dilettissimi in Christo, che ognun di Voi habbia sentito in se stesso nova allegrezza vedendo che il Signore Dio ha ispirato al suo Vicario in terra di provedere et mandare a questo santo luogo (dov'è tanto honorata et reverita la gloriosissima Matre sua) un Pastore, il quale assista di continuo alla guardia di così Santa Reliquia, et alla vigilantia et cura dell' anime di questa nova Città et Diocesi sua; Poichè,

ancor noi havendo tal aviso per bocca di Nostro Signore, ne sentimmo per gloria di Dio et honore della S.ma Matre sua infinito contento fuorchè dell'elettione fatta nella persona nostra, conoscendoci insufficientissimi a sì alta impresa, vedendo massime che il governo delle anime (qual'è l'arte di tutte le arti) ricercava un peritissimo Maestro. Ma dovendo noi obedire a N. S. con la speranza che haveno nel divino ajuto, ci confidiamo di portar questo gravissimo peso nelle debolissime spalle nostre, sollevati anchora da Voi, quali (quanto per noi si può) preghiamo, che con caldissime et affettuose orationi, vogliate supplicare Sua divina Maestà, che ne conceda (come fece a Salomone) spirito di sapientia per degnamente governarvi, e perchè insieme dia a voi un cor docile et talmente disposto, che le nostre fatiche venghino a conseguire il desiderato frutto. Et perchè meglio ciò possiate fare, vi mandamo con questa un'indulgenza plenaria et remissione de tutti i peccati, quali conseguirete, se veramente pentiti confessi et communicati sarete devotamente presenti o a tutta o a parte della nostra prima messa, che pontificalmente celebraremo il dì del Corpus Domini nella Santissima Chiesa di Loreto, et riceverete dopo la detta Messa la nostra benedittione, et ivi piamente pregarete il Signore Dio per il felice stato di S. Santità, per la concordia de' Principi christiani, per l'estirpatione delle heresie, et per l'esaltatione di Santa Chiesa, sicome ne è stato concesso per breve di N. S. si per sollevare le nostre debili forze in questo principio si anco per consolatione et beneficio vostro. Però nelle viscere di Gesù Christo vi pregamo, che vogliate recevere questo gran Thesoro con quell'amor che ve si manda et con quella preparatione d'animi et devotione che si conviene, acciò impetriate dalla divina bontà quell'abbondanza di spirito, ch'a voi et a noi è tanto necessaria. — Ricordandovi, Dilettissimi in Christo, che tra tutti i fedeli noi havemo particolarissimo obligo di esser perfetti in ogni virtù, poichè siamo dotati di un singolar privilegio in haver con noi l' istessa santa et benedetta casa, ove il divino verbo si degnò incarnarsi, et ove non solo la Regina de'Cieli, ma lo stesso Dio et huomo non per poche ore et giorni, ma per molti anni habitorno, et con la loro presentia la santificorno, di modo tale che quelli ancora che con vera fede et reverenza la visitano, molta consolatione de spirito con molti doni et gratie ne riportano. Dovemo dunque Carissimi, esser molto grati a Dio per tanto beneficio, et procurar d'esser ogni dì più degni per ricevere li celesti tesori, quali continuamente in essa si dispensano, al che molto vi disporranno l'opere pie, come di sopra contenute nel sudetto Breve, et ad impetrare particolarmente per voi et per noi dal Signore le gratie dello Spirito Santo, in vertù del quale mandiamo a tutti la nostra benedittione. Di Loreto l'ultimo di Maggio 1586.

CXLII.

E tabulario secr. civit. Recanat.

1592. 8. Febr.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Aequum reputamus, et rationi consonum, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt licet ejus superveniente obitu literae Apostolicae super illis confectae non fuerint suum debitum sortiantur effectum. Sane postquam felicis recordationis Sixtus PP. V. Praedecessor noster ad Sacrosanctam Ecclesiam Lauretanam, quae innumeris miraculis adeo coruscat, ut non solum universus terrarum orbis eorum fama in dies repleatur, sed etiam ex eis pietas, et religio magnum recipiat incrementum, aciem suae dirigens circumspectionis, et ex certis causis forsan tunc expressis Oppidum Laureti Civitatis titulo insigniverat, illudque in Civitatem, quae Lauretana nuncuparetur, cum omnibus juribus, et praeeminentiis, quibus aliae civitates utebantur, ac illius Ecclesiam Domum Lauretanam nuncupatam in Cathedralem Ecclesiam cum insignis et jurisdictionibus Episcopalibus ad instar aliarum Ecclesiarum Cathedralium Apostolica auctoritate erexerat et instituerat, ac Recanatensem dudum antea Maceratensi, et Maceratensem Ecclesias Racanatensi Ecclesiis invicem perpetuo unitas ab invicem, seu uniones de ipsis Racanatensi et Maceratensi Ecclesiis ad invicem factas perpetuo dissolverat, ac separaverat, ac in Ecclesia Racanatensi hujusmodi nomen et titulum Cathedralis Ecclesiae suppresserat, et extinxerat; Ita tamen ut Racanatum semper Civitas remaneret, nec non Cathedralem Ecclesiam hujusmodi in Collegiatam similiter perpetuo reduxerat, et pro Ecclesiae Lauretanae praedictae Dioecesi dioecesim Recanatensem, ac ejusdem Ecclesiae Racanatensis redditus ab illa dismembratos pro dote dictae Ecclesiae Lauretanae etiam perpetuo assignaverat, et concesserat, prout in ejusdem Praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur. Piae memoriae Innocentius PP. IX etiam Praedecessor noster, qui dudum inter alia voluerat, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, et idem observaretur in confirmationibus unionum jam factarum: Nec non decreverat, et declaraverat suae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem; aut gratiam vel litteras Apostolicas pro commissionibus etiamsi motu proprio, et ex certa scientia ab eodem Innocentio Praedecessore faciendas emanassent nulli jus sibi quaesitum quomodolibet tolleretur; attendens praemissa in maximum

ejusdem Civitatis Racanatensis jam vetustate et nobilitate insignis detrimentum vergere, sub dat. videlicet XV. Kalend. Januar. Pontificatus sui anno primo, matura desuper cum venerabilibus Fratribus nostris, tunc suis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, praehabita deliberatione, et de Fratrum eorumdem consilio et assensu, deque Apostolicae potestatis plenitudine suppressionem, extinctionem, reductionem, dismembrationem, assignationem, et concessionem praedictas perpetuo revocavit cassavit et annullavit, ipsamque Ecclesiam Racanatensem in pristinum, et eum in quo, antequam praemissa emanassent, statum, non tamen quoad unionem cum Ecclesia Maceratensi praedictam cum omnibus suis honoribus, oneribus, redditibus, emolumentis, praeminentiis, ac praerogativis restituens, reponens, et plenarie reintegrans, illam per ipsum Sixtum Praedecessorem effectam Collegiatam Ecclesiam, in Cathedralem Ecclesiam etiam perpetuo dicta auctoritate erexit, et instituit, ac illam Cathedralis titulo et nomine cum omnibus insigniis et jurisdictionibus Episcopalibus, quibus ante suppressionem, et alia per ipsum Sixtum Praedecessorem facta hujusmodi decorabatur, insignivit, ipsamque Ecclesiam Sedi Apostolicae immediate subjecit, seu jamdudum antea subjectam remanere voluit; nec non Racanatensem, et Lauretanam; Lauretanam, cui Venerabilis frater noster, tunc suus Rutilius Episcopus Lauretanus ex dispensatione Apostolica praeesse dignoscebatur, ac Recanatensem Ecclesias praedictas invicem aeque principaliter similiter perpetuo dicta auctoritate univit, annexit, et incorporavit, ita quod dictus Rutilius Episcopus tam Lauretanae, quam Recanatensis Ecclesiarum hujusmodi verus Praesul esset, et remaneret, ac eadem auctoritate statuens, quod imposterum perpetuis futuris temporibus ambae Lauretana, et Recanatensis Ecclesiae ipsae per unicum Praesulem, qui apud Lauretanam, vel expeditiones ad ipsam spectantes Lauretanus et Racanatensis, dum vero apud Racanatensem Ecclesias, vel ad eamdem spectantes expeditiones faceret Racanatensis et Lauretanus Episcopus nominaretur, salubriter gubernarentur, liceretque dicto Rutilio Episcopo corporalem possessionem, seu quasi regiminis, et administrationis, ac bonorum, redditum et proventuum ipsius Ecclesiae Racanatensis propria auctoritate apprehendere, et libere retinere, ipsosque redditus et proventus in suos, et ipsius Ecclesiae Racanatensis usus et utilitatem convertere cujusvis licentia desuper minime requisita; Non obstantibus priori voluntate, decreto, declaratione, et ordinatione praedictis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, nec non aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, et per modum Statuti perpetui, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum dero-

gatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, etiam motu proprio, ac consistorialiter, et de ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, ac ex quibusvis causis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices similiter Praedecessores nostros, ac Sedem praedictam in genere, vel in specie, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus praedictus Innocentius Praedecessor illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent pro sufficienter expressis habens illis alias in suo robore permansuris ea vice dumtaxat, et ad effectum omnium praemissorum specialiter et expresse derogavit, coeterisque contrariis quibuscumque. Decernens insuper dictus Innocentius Praedecessor irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigisset attentari. Ne autem de revocatione, cassatione, annullatione, restitutione, repositione, reintegratione, erectione, institutione, insignitione, subjectione, voluntate, unione, annexione, incorporatione, statuto, derogatione, et decreto praedictis, pro eo quod ipsius Innocentii Praedecessoris ejus superveniente obitu Litterae desuper confectae non fuerunt, valeat quomodolibet hesitari, volums, et similiter Apostolica auctoritate decernimus, quod revocatio, cassatio, annullatio, restitutio, repositio, reintegratio, erectio, institutio, insignitio, subjectio, voluntas, unio, annexio, incorporatio, statutum, derogatio, et Decretum Innocentii Praedecessoris hujusmodi perinde a dicta die XV. Kalendas Januarii suum sortiantur effectum, ac si super illis Innocentii Praedecessoris Litterae sub ejusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur, quodque praesentes Litterae ad probandum plene revocationem, cassationem, annullationem, restitutionem, repositionem, reintegrationem, erectionem, institutionem, insignitionem, subjectionem, voluntatem, unionem, annexionem, incorporationem, statutum, derogationem, et Decretum Innocentii Praedecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, quinto Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno primo.

CXLIII.

1598. 8. Martii.

All' Illmo et Revmo Sig. mio Oss. il Sig. Cardinal San-Clemente Legato della Marca.

Intus. — Illmo e Rmo Sig. mio Osservantissimo.

A nome delli Priori e Communità di Recanati è stato dato l'indulto memoriale in Congregazione de Sacri Riti dove per indiretto cercano di non esseguire l'ordine di detta Congregazione nel dar l'acqua alle mani al Vescovo loro, e di non obedire al precetto fattoli circa ciò da V. S. Illma, a la quale come questi miei Sig. Illmi riconoscono obligo del aver interposto l'autorità sua per la esecuzione di quei decreti, così hanno voluto, che io la supplichi a fare che senza eccezione costoro diano l'acqua al Vescovo loro celebrando pontificalmente con pigliare secondo il solito il velo sopra le spalle del che non devono sdegnarsi, poichè l'istesso s'usa in Cappella di N. S., e questo ministerio spetta alla persona laica più degna, oltrache si pone in considerazione alla prudenza di V. S. Illma di quanto scandalo e danno possa essere altrove il sapersi che nello Stato Ecclesiastico il Magistrato d'una Communità sia tanto renitente in servire ed onorare come conviene il suo Prelato; ed a V. S. Illma bacio umilmente la mano. Di Roma a 8. di Marzo 1598. Di V. S. Illma e Rema.

Humilissimo Servitore
J. Card. d'Aragona.

CXLIV.

E tabulario secr. civitatis Recanat.

1598. 10. Decemb.

Noi Rutilio Vescovo di Recanati avendo sempre a cuore l'onore, e reputazione di detta Città, amandola noi unicamente, acciò sia noto a tutti la nostra buona intenzione, diciamo non dover esser dubbio ad alcuno che intendiamo sempre eseguire tutti i decreti fatti per la sacra Congregazione de' Vescovi, et Consulta gli anni passati, et anco sempre effettuare quanto da N. S. ci fù detto li mesi passati, e per venire alla specificazione de' capi particolari diciamo.

Prima che nel celebrare i divini offitij, et essercitare le funtioni pontificali nelle feste più solenni le eserciteremo egualmente nell'una et nell'altra Città celebrando alternamente hora nell'una hora nell'altra.

Che nelle sottoscrittioni degli atti giuridici, et lettere de negotij publici osserveremo la forma nella bolla di N. Signore Clemente Ottavo.

Che suppliremo alla fabrica, Sacristìa, et sacra suppellettile lasciando, che li serventi guadagnino le puntature delli absenti con la nostra mensa, se le pensioni non saranno bastanti.

Al Seminario accresceremo la tassa de benefitij, acciò oltre il Maestro di gramatica, et di canto fermo si proveda di casa con le cose necessarie, et se non si potrà dar loro il vitto, si dia almeno il vestito, et veste talare con la commodità di vivere insieme a spese loro.

Si terrà un Vicario forastiero et idoneo, nè la Cancelleria si affitterà, nè si riceverà emolumento alcuno directo, vel indirecto.

Non volemo altrimenti aggravare li Cittadini, o altri di Recanati a comparire a Loreto ne per cause civili, criminali, o miste, eccetto quando che volessimo comparissero avanti la persona nostra.

Nelle cause de'adulterij, ed altri si osserveranno da nostri Ministri le costitutioni della Marca in procedere, et si terrà il libro cartulato delle querele.

Le pene vogliamo, che non si applichino se non a luoghi pij ò fabriche con tenerne conto puntualmente in libro cartulato dal depositario da eleggersi da noi.

Nè si permetterà, che si prendino querele di persone laiche contra persone parimenti laiche, quando le cause non sono comunis fori, o non vi ha luogo la preventione.

Ci contentiamo si paghino alla Comunità le gabelle da nostri lavoratori eccetto del numero degli animali nostri, capitolato altre volte da nostri predecessori con detta Comunità.

Ne nel vendere di grani, ò altre derrate *translato dominio* si faranno esenti li Compratori delle gabelle.

Ci contentiamo far l'arcibanco per il Magistrato nel Domo, et in modo condecente, ne si comporterà, che ne in Chiesa, ne nelle processioni se gli faccia pregiuditio alcuno.

Vogliamo anco, che dove non è pena *corporis afflictiva* non facci esecutione personale, potendosi far reale, et quando anco si possa farla personale non si venga à pena di scomunica se non in caso grave, conforme al Sacro Concilio di Trento.

Vogliamo anco, che nelle speditioni delle bolle de'benefitij non si pigli più di un scudo d'oro dal nostro Cancelliere per bolle et sigillo, et fatica di scrivere detta Bolla.

Vogliamo appresso, che nel nostro tribunale non si prendano cause civili *inter laicos* se non vi siano ò instrumenti *in forma Camerae* o parimenti scritti in *forma Camerae* o che per natura sua non siano Ecclesiastiche.

Appresso vogliamo, che i sospetti di fuga non si rilassino nel nostro Tribunale se non ascendono alla somma di dieci fiorini, et che nelle sportole, ò scritture il Vicario, et Notario osservino le constitutioni della Marca, et che la tavola della tassa de'pagamenti si tenga affissa in Cancelleria, ne ci serviremo in cause di persone Ecclesiastiche per Giudice di laico alcuno.

Non si molesteranno li bottegari, li Mercanti, et altri operarij, eccetto nelle feste comprese nella bolla di Pio quinto, ò che saranno di precetto, ne si procederà contra quelli, che faranno opere servili per causa di necessità come vendere et portare robbe da mangiare, medicamenti, et ferrar i cavalli, conforme alli sacri Canoni.

Si compirà la fabrica del Palazzo cominciata come si disse avanti Nostro Signore, et in conformità del nostro buon'animo verso detta Città.

Locus ✠ Sigilli — Noi Rutilio Vescovo di Recanati et Loreto promettiamo quanto di sopra.

Io Marco Collangeli Secretario ho scritto li sopradetti Capitoli *de Mandato etc.*

Datum Laureti die X. Decembris 1598.

CXLV.

E tabulario secr. civit. Recanat.

1603. 27. Junii.

Clemens Papa VIII ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem in his auctoritatem suam libenter interponere, per quae omnis controversiae occasio inter Ecclesiasticas Personas e medio tollantur, prout in Domino salubriter conspicitur expedire. Orta siquidem alias inter dilectos Filios Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Recanatensis ex una, Capitulumque, et Canonicos Ecclesiae Lauretanae ex altera Partibus, Differentia, seu controversia super allegata, et pretensa consuetudine, quod die Festo, nimirum Annunciationis Beatae Mariae Virginis, vel quatenus ipsum diem Festum transferri contingat, alio ejus Translationis die Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Recanatensis ad Sacram Domum Lauretanam processionaliter accedentibus, Capitulum, et Canonici Ecclesiae Lauretanae illis usque ad portam civitatis Lauretanae obviam ire, illosque honorare teneantur, et hujusmodi causa in Congregatione Sacrorum Rituum, auditis saepius juribus, et rationibus ambarum Partium per eorum Advocatos, et Procuratores allegatis, et deductis, mature discussa, tandem resolutum fuit, quod ipsi Capitulum, et Canonici Ecclesiae Lauretanae teneantur observare antiquam consuetudinem, et cum toto Capitulo processionaliter obviam ire Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Racanatensis usque ad Portam Civitatis dicto Annunciationis, vel ejus Translationis die, illosque honorare, ponendo illos ad dexteram, prout hactenus consueverant; Et deinde denuo negocio hujusmodi in eadem Congregatione discusso, iterum decretum, et declaratum fuerit, supradictum Decretum alias in eadem Congregatione factum servandum esse, perpetuumque ipsis Capitulo, et Canonicis Lauretanis, et quibuscumque aliis, contrarium praetendentibus, silentium impositum fuit. Nos igitur omnem recidivae contentionis mate-

riam e medio tollere volentes, Decretis ejusdem Congregationis inhaerentes, harum serie decernimus, et declaramus, quod Capitulum, et Canonici Ecclesiae Lauretanae teneantur observare antiquam consuetudinem, et cum toto Capitulo processionaliter obviam ire capitulo, et Canonicis Ecclesiae Recanatensis usque ad Portam Civitatis, dum in die Annunciationis Beatae Mariae, vel alio, quando dicta dies esset impedita, ad Domum Sanctam Lauretanam ipsi, et capitulariter, et processionaliter, accedunt, illosque honorare debeant, dexteram eis dando, prout prius facere consueverunt, et propterea ipsis Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Lauretanae, et quibuscumque aliis contrarium praetendentibus, perpetuum desuper silentium imponimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Lauretanis, et Recinetensibus, ac Maceraten. Episcopis, ac dilecto filio Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumqueubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Recanatensis, fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra illos praemissorum effectu pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos desuper quomodolibet molestari, Contradictores quoscumque per censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato et ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Ecclesiae Lauretanae, et juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis eidem Ecclesiae Lauretanae, ejusque Capitulo, et Canonicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis, quibus omnibus, et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Junii M. DC. III. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

M. Vestrius Barbianus.

CXLVI.

1620. 14. Julii.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Divina disponente clementia in eminenti Apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus constituti, inter coeteras curas humeris nostris incubentes illam libenter amplectimur, per quam nostrae declarationis, et provisionis ope nedum lites, et controversiae, praesertim inter Ecclesias

hactenus sobortae tollantur, sed etiam quarumlibet Ecclesiarum, et praecipue illarum, in quibus Beatissima semper Virgo Dei Genitrix Maria continuis splendet miraculis, et ad quas ob id Christifidelium confluit multitudo, statui et decori consulatur, privilegiaque, et gratiae, ac concessiones, et indulta ipsis Ecclesiis per Sedem Apostolicam concessa confirmentur, et prout in Domino conspicimus expedire, amplientur, et extendantur.

Cum itaque inter Ecclesias ipsi Gloriosissimae Virgini dedicatas Ecclesia Lauretana praecipua habeatur, et illi quam plures Romani Pontifices praedecessores nostri diversas concessiones gratias, privilegiaque, et indulta actenus concesserint, et praesertim fel. rec. Sixtus IV Praedecessor noster ejus Motu proprio, certaque scientia, et de Apostolicae potestatis plenitudine dictam Ecclesiam Beatae Mariae de Laureto, et illius Ministros, seu Personas illi in spiritualibus et temporalibus pro tempore deservientes, ejusque Membra, res, et jura quaecumque praesentia, et futura ab omni jurisdictione, superioritate, dominio, potestate, correctione, et Visitatione Episcopi Recanaten., de cujus dioecesi tunc erat, et aliorum quorumcumque Ordinariorum Judicum perpetuo auctoritate Apostolica penitus, et omnino exemerit, et totaliter liberaverit, Ecclesiamque praedictam sub speciali Beati Petri, et dictae Sedis protectione susceperit, decernens eam, et illius Ministros, seu Personas, et Membra, res, et jura praefata fore eidem Sedi immediate subjecta, ipsaque ad eamdem Ecclesiam una cum illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus universis, nec non oblationibus, et legatis quibuscumque ei quomodocunque, et qualitercunque factis, et faciendis, seu alias ad eam provenientibus plenarie, et integre, et absque ulla prorsus deductione Quartae, seu decimae, aut cujuslibet alterius legitimae portionis legatorum, seu oblationum hujusmodi, et nullatenus ad praedictum Episcopum, et Ecclesiam Recanaten. spectare, et pertinere, nec non Episcopum et alios Judices Ordinarios praedictos ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua ageretur ubicunque, delictum committeretur, contractus iniretur, aut res ipsa consisteret, nullam in dicta Ecclesia de Laureto, illusque Ministros, seu Personas, Membra, bona, res, et jura, et alia praedicta jurisdictionem, seu potestatem, aut dominium quomodolibet exercere posse, cassans et irritans omnes facultates, seu privilegia, et litteras Apostolicas etiam Motu, et scientia similibus per ipsum Sixtum Praedecessorem, vel alios Romanos Pontifices, et praesertim per piae mem. Nicolaum V etiam praedecessorem nostrum, tunc suum, tam dilectis Filiis Populo, et Communi praefatae Civitatis Recanaten., quam eidem Episcopo, et quibusvis aliis personis super rebus bonis, et oblationibus hujusmodi, ac ejusdem Ecclesiae de Laureto jocalibus, illorumque custodia, seu conservatione, aut administratione habenda concessas, et concessa, quas quidem litteras, et privilegia ad conservationem,

seu custodiam, ac curam, et administrationem hujusmodi ex tunc de coetero se extendere, et in eis aliquod robur, et firmitatem obtinere noluit.

Deinde vero recol. mem. Julius II similiter praedecessor noster eandem exemptionem ejus Motu proprio confirmaverit, ampliaverit, et de novo concesserit.

Et successive piae mem. Leo X etiam praedecessor noster ejus Motu simili praedictam Ecclesiam de Laureto assiduis miraculis, et amplissimis Aedificiis etiam tunc splendentem in Collegiatam, et in ea duodecim Canonicatus, et totidem Praebendas ac duodecim Mansionarias, et sex Clericatus pro totidem Canonicis, Mansionariis, et Clericis, qui in ipsa Ecclesia de Laureto divina officia juxta Ordinationem a bo. mem. Bernardo S. Mariae in Porticu Diacono Cardinali de Bibiena nuncupato praedictae Ecclesiae de Laureto, illiusque Domus Protectore faciendam celebrare tenerentur, perpetuo erexerit, eidemque Cardinali Protectori facultatem statuta condendi concesserit; Et insuper idem Leo praedecessor voluerit, quod bona, Ministri, et Servitores ejusdem Ecclesiae de Laureto nedum ab Episcopi Recanaten. praefati, sed etiam quorumcumque Ordinariorum, et Superiorum etiam Legati Provinciae Marchiae Anconitanae pro tempore existentis jurisdictione, superioritate, correctione, et dominio in spiritualibus, et temporalibus, civilibus, et criminalibus, ac mixtis, essent prorsus exempti, quodque causae peregrinorum ad dictam Ecclesiam de Laureto confluentium, et ejusdem Ecclesiae familiarium, et Servientium, tam civiles quam criminales, sive mixtae durante peregrinatione, et tempore servitii tam active, quam passive pro tempore motae per Gubernatorem, seu Protectorem dictae Ecclesiae de Laureto audiri, cognosci, et difiniri deberent.

Et successive similis mem. Clemens VII etiam praedecessor noster eandem exemptionem, etiam quoad temporalem jurisdictionem ampliaverit, Villamque seu Oppidum Lauretanum tunc nuncupatum, ipsiusque pro tempore habitantes, ac aedificia, et propugnacula, omnemque ipsius ambitum, fossas, et aggeres cum omnibus juribus, et pertinentiis suis a jurisdictione, comitatu, potestate, auctoritate, et arbitrio Civitatis, Communitatis, Officialium, ac Hominum Recanaten. penitus exemerit, et liberaverit.

Ac postea fel. rec. Paulus III etiam praedecessor noster praefatam exemptionem respectu jurisdictionis Ecclesiasticae, et Spiritualis eisdem Domui, et Ecclesiae Lauretanae concessae, ac etiam respectu temporalis jurisdictionis, quoad Ecclesiasticos, ac peregrinos, et alios praedictae domui inservientes ejus Motu simili approbaverit, et confirmaverit.

Postremo vero piae mem. Sixtus V etiam praedecessor noster considerans, in tunc Oppido Lauretano extare praefatam insignem Collegiatam Ecclesiam sub invocatione B. Mariae Virginis Dei Matris fundatam, in cujus

medio inerat illud Sacrum Cubiculum Divinis Misteriis consecratum, in quo eadem Virgo Maria nata fuit, et ibidem ipsa ab Angelo salutata Salvatorem Mundi de Spiritu Sancto concepit, ministerio Angelorum illuc translatum, et ad dictam Ecclesiam ob miracula, quae in dies omnipotens Deus intercessione, et meritis ejusdem B. Mariae Virginis in eodem Cubiculo operari dignatur, Christifideles ex omnibus Mundi regionibus devotionis, et peregrinationis causa confluere, eandem Ecclesiam Collegiatam in Cathedralem sub eadem invocatione pro uno Episcopo Lauretan. nuncupan. qui jurisdictionem Episcopalem habeat, et exerceat in spiritualibus cum Mensa Episcopali, honoribusque, et privilegiis, quibus alii Episcopi de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet in eisdem Spiritualibus utuntur, et gaudent, ac uti, et gaudere possunt, et in eadem Ecclesia quatuor Dignitates, ac duodecim Canonicatus, et totidem Beneficiatus, et Clericatus erexerit, seu jam erectos remanere decreverit, ac pro dote Mensae Episcopalis Lauretan. duo millia scuta annua monetae dictae Provinciae, partim ex redditibus Ecclesiae Recanaten. tunc suppressae, partim vero in aliis certis emolumentis assignaverit, residuum vero dictorum duorum millium ex tot praediis, et possessionibus dictae Domus Lauretanae per tunc existentem Cardinalem ejusdem Domus Protectorem ejus arbitrio declarandis, et assignandis perpetuo concesserit, et assignaverit, prout in diversis litteris Apostolicis, et motibus propriis desuper confectis plenius continetur.

Et sicut accepimus praedicta assignatio praediorum et possessionum necdum effectum sortita fuerit, et hactenus loco assignationis residui usque ad duo millia Scuta hujusmodi, pro tempore existenti Episcopo Lauretano octingenta Scuta monetae dictae Provinciae per tunc existentem dictae Domus Lauretanae Protectorem quolibet anno in duabus vicibus pro residuo dictorum duorum millium Scutorum soluta fuerint.

Et Episcopus ad eandem Ecclesiam Lauretanam tunc, vel successive promotus praetendere coeperit, se uti Episcopum Lauretanum posse multa ejus propria auctoritate statuere, ordinare, et facere in praedicto Sacro Cubiculo, ejusque Sancta Cappella, ac illius Officialibus, Ministris, laboratoribus, aliisque ejus personis, et bonis absque licentia Cardinalis pro tempore Domus Lauretanae Protectoris, ejusque Gubernatoris, ad quas dissensiones dirimendas, de ordine ejusdem Sixti V praedecessoris a bo. me. Scipione S. R. E. Cardinale Lancellotto nuncupato facta quaedam Capitula, seu concordata nuncupata, etiam tunc a partibus, ut asseritur, acceptata fuerunt, sequentis tenoris, videlicet.

Spectantia ad Illustrissimum, et Reverendissimum D. Cardinalem Protectorem Ecclesiae Lauretanae, Sanctae Cappellae eleemosynarum, oblatio-

num a Christifidelibus elargitarum cura, Custodum dictae Cappellae deputatio, et correctio, licentiarum ingrediendi Sanctam parvam Cappellam concessio, fabricae Ecclesiae cura, et administratio, legatorum piorum, et eleemosynarum, et oblationum, quae fiunt Beatae Mariae de Laureto, et Cappellae Sanctissimi Sacramenti administratio, Hospitalis cura Officialium dicti hospitalis deputatio, et correctio, Sacristiae, et ejus rerum cura, Officialium Sacristiae deputatio, et in eorum officio delinquentium correctio: Assignabit autem Reverendissimo D. Episcopo separatam aliquam Sacristiam nec non sub inventario paramenta, et res pro culto divino, et ipsius Episcopi, et celebrantium usu necessarias.

Spectantia ad Reverendissimum Episcopum Ecclesiae Lauretanae cura Ecclesiae, et administratio, et spiritualis jurisdictio Ecclesiae, Cappellarum, Altarium, Coemiterii, Sacrarii, loci Sacramentorum visitatio, eorum, qui dicta Sacramenta administrant, Cantorum, et Organistae deputatio, et correctio, Cappellas novas, et nova altaria construendi, et illa removendi, si fuerint in locis minus decentibus, et congruis posita licentia, legatorum piorum, eleemosynarum, et oblationum, quae fiunt particularibus Altaribus, seu Cappellis dictae Ecclesiae, praeter quam Beatae Mariae de Laureto, et Cappellae Sanctissimi Sacramenti, administratio, cura animarum, administrantium Sacramenta, tam in Ecclesia, quam extra deputatio, et correctio, examinantium litteras dimissoriales, ac testimoniales, et licentias Peregrinorum Sacerdotum, qui in dicta Ecclesia celebrari voluerint, deputatio, et correctio, Sacristiae sibi assignandae, necnon paramentorum, et rerum necessariarum pro cultu divino, et suo, et celebrantium usu cura, Sacristanorum, et aliorum Officialium, seu Clericorum dictae suae sacristiae deputatio, et correctio, Hospitalis, et ejus Altaris, et loci Sacramentorum, nec non Confessarii circa ejus sufficientiam, ac officium visitatio: Possit ad libitum in Sancta Cappella celebrare, et in ea communicare quos voluerit, possit etiam quandocunque, et absque licentia ingredi Sanctam parvam Cappellam orandi causa.

Supradicta capitula confeci de mandato SS. D. N. Sixti Papae V et ejus communicato consilio, Scipio Cardinalis Lancellottus.

Et quia ex praedictis Capitulis non fuerat sublata occasio dissensionum, cum Episcopus Lauretanus pro tempore existens multas haberet praetensiones, praesertim quoad exercitium jurisdictionis in praedicta Sancta Cappella, et ejus ministris, et bonis; et e converso bo. me. Antonius Maria Episcopus Hostien. Cardinalis Gallus nuncupatus dum vixit, ejusdem Domus Lauretanae Protector illius administrationem, et sic Sanctae Cappellae, ab administratione dictae Ecclesiae Lauretan. diversam esse, et propterea ipsam Sanctam Cappellam quamvis inclusam in ambitu dictae Ecclesiae Laure-

tan., remansisse praetendere nihilominus sub ejus separata administratione exempta plenissime a Jurisdictione Ordinaria Episcopi Lauretan. prout prius antequam in Cathedralem erecta esset, exempta erat ab Episcopo Recanaten., totamque Jurisdictionem Ecclesiasticam, et Spiritualem, etiam quoad curam animarum in Domo, et Sancta Cappella Lauretana, ejusque Gubernatore, Ministris, Officialibus, Custodibus, Cappellanis, Factoribus, Laboratoribus, aliisque inservientibus, necnon respective in quibuscunque bonis, et Ecclesiis ad eandem Domum Lauretanam spectantibus, ad ipsum etiam privative ad Episcopum praedictum spectasse, et spectare.

Hincque lis, et controversia inter ipsum Cardinalem Protectorem ex una, et dilectum Filium nostrum Augustinum Presbyterum Cardinalem de Aracoeli nuncupatum tunc praedictarum Lauretanae, et Recanaten. Ecclesiarum ad invicem unitarum ex dispensatione Apostolica Praesulem partibus ex altera introducta, et per nos nonnullis ejusdem S. R. E. Cardinalibus, et deinde uni ex dilectis filiis Cappellanis nostris, et causarum Palatii Apostolici Auditoribus, seu Locumtenenti commissa, tandem utraque parte semper informante in Auditorio Rotae sub XXI. Junii millesimi sexcentesimi sexti decimi resolutum fuit, esse dandum Episcopo Lauretano mandatum de manutenendo quoad exercitium Jurisdictionis in Clerum, et Cantores, necnon etiam in Custodes, et alios Ministros Sanctae Cappellae quando tamen delinquunt extra Sanctam Cappellam, et extra officium, et postea sub XXIII. Januarii etiam decisum fuit, Sanctam Cappellam, comprehendi in dictae Ecclesiae Cathedralis Lauretan. erectione, et postmodum sub XXI. Aprilis, quoad comprehensionem Sanctae Cappellae in dictae Ecclesiae Cathedralis Lauretan. erectione, attentis verbis, et observantia litterarum dictae erectionis, Rota stetit in decisis, et iterum sub XIII Novembris millesimi sexcentesimi decimi septimi fuit etiam resolutum, non probari aliquam observantiam, per quam posset dici, erectionem dictae Cathedralis Ecclesiae non comprehendere dictam Sanctam Cappellam, et successive sub 5. Martii fuit decisum, praefata Capitula, seu concordata, uti facta de ordine Sixti V praedecessoris hujusmodi per dictum Scipionem Cardinalem inter dictos Cardinalem Protectorem, et Episcopum Lauretan. esse observanda, quae decisio etiam utraque parte informante approbata, et confirmata fuit sub 1. Junii millesimi sexcentesimi decimi octavi annorum Domini, mensium diebus, prout in decisionibus desuper extensis, ac scripturis, et actibus rotalibus plenius continetur.

Verum quia praefata lis et controversia ex tot decisionibus rotalibus, praefatis non terminata, imo aucta videbatur ob multas, et diversas praetensiones, quae hinc inde deducebatur, et praesertim nomine dicti Episcopi Lauretani praetendebatur, etiam praemissis non obstan. omnia jura spiri-

tualia, et praecipue ordinum etiam sacrorum collationem, et Sacramentorum quorumcumque administrationem concernentia, tam in tota Ecclesia quam etiam in Sancta Cappella, Civitate, et Dioecesi Lauretan. esse solius Episcopi privative quoad Cardinalem Protectorem, et quoscunque alios, necnon Custodes dictae Sanctae Cappellae esse punctandos quando a choro praefatae Ecclesiae Lauretan. absunt juxta etiam decreta Sinodalia Lauretan., quando non sunt hebdomadarii dictae Sanctae Cappellae, ipsosque Custodes Constitutionibus, et Decretis tam in Synodo, quam extra Synodum ab Episcopo Lauretan. pro tempore factis, et faciendis ligari, et in omnibus correctioni dicti Episcopi Lauretan. subjacere nullamque in eadem Sancta Cappella licentiam Sacramenta ministrandi, Missas celebrandi, aliaque sacra peragendi, et pro illorum, et illarum celebratione opportunas horas, et tempora statuendi, et assignandi, praeter Episcopum Lauretan. dirigere, concedere, statuere posse, sed ipsi Episcopo Lauretan. solum hujusmodi facultatem privative quoad praedictum Cardinalem Protectorem, et alios reservatam esse, deputationemque Sacerdotis pro exercenda cura animarum, etiam in hospitali Lauretan., ad ipsum Episcopum Lauretan., etiam privative quoad praedictum Cardinalem Protectorem, et alios spectare in Cantores quoque dictae Ecclesiae Lauretan. ac Clericos Sacristiae etiam Missis ejusdem Ecclesiae Lauretan. servientes nullam penitus, praeter ipsum Episcopum Lauretan., etiam quoad retentionem portionum, seu pitantiarum, aliquam jurisdictionem habere, vel exercere posse, facultatemque visitandi Parochialem S. Petri Terrae Castrificardi Lauretan., seu alterius Dioec. et alias Ecclesias, et beneficia Ecclesiastica eidem Sanctae Cappellae, et Domui Lauretan. unita, annexa et incorporata, seu ab eidem dependentia ad ipsum Episcopum Lauretan. spectare, Sacristas quoque ac Ministros Sacristiae dictae Sanctae Cappellae teneri ad parendum ordinibus praedicti Episcopi Lauretan. in concernentibus servitium, et cultum dictae Sanctae Cappellae, pro celebratione Missarum, et administratione Sacramentorum, correctionemque, et punitionem, seu mulctam judicialem, ac etiam in levibus extrajudicialem omnium Ecclesiasticarum personarum sanctarum Domus, et Cappellae, ac Civitatis, et Dioeces. Lauretan. hujusmodi etiam si sint Custodes ejusdem Sanctae Cappellae, vel Sacristiae inserviant, ad Episcopum Lauretan. in omnibus etiam privative quoad Protectorem, et Gubernatorem spectare.

Praeterea eundem Episcopum Lauretan. omnes functiones Episcopales, et publicas etiam administrationis Sacramentorum, et collationis quorumcunque ordinum in dicta sancta Cappella, sicut in alia parte dictae Ecclesiae Lauretan. facere, necnon Montem Pietatis Lauretan. juxta decreta Concilii Tridentini visitare posse, Gubernatoremque, et Custodes dictae Sanctae Cappellae, ac Cappellanos, et alios inservientes Sanctae Domui, et Cappel-

lae praedictis, nec non coeteros Officiales, Ministros, Factores, Laboratores, et alios inservientes esse Episcopo Lauretan. pro tempore existenti quoad curam animarum immediate subjectos, et propterea saltem semel in anno in die Paschatis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi teneri eorum peccata praedicto Episcopo Lauretan., vel ejus deputatis confiteri, et ab eo vel ejus Ministris Sanctiss. Eucharistiae Sacramentum suscipere, Protectoremque, et Gubernatorem a Protectore deputari solitum, vel alium ejus ministrum non posse mulctare, nec punctare, aut mulctas imponere cantoribus, nec cuilibet alteri, sive clerico, sive laico servienti in dicta Ecclesia Lauretan., vel Sancta Cappella, etiam quod essent negligentes, et in eorum officium delinquerent, sed id totum spectasse, et spectare ad dictum Episcopum Lauretan., ipsumque Gubernatorem teneri in functionibus praedictae Ecclesiae Lauretan. in loco sibi per eundem Episcopum Lauretan. assignato assistere: Insuperque dubitabatur, alias praetensiones, et controversias quotidie exoriri posse.

Quia vero nos nuper defuncto praedicto Cardinali Gallo, et Augustino Cardinali de Aracoeli praedicto ad Ecclesiam Auximanam per Nos translato, ad praedictis, et aliis perturbationibus, et discordiis in futurum forsan excitandis obviandum, ac ut praefata Domus, et Sancta Cappella Lauretana, ejusque officiales, Ministri, laboratores, factores, et alii quomodolibet ei inservientes, ejusdemque Domus, et Sanctae Cappellae bona, res, et jura quecumque in pacis, et quietis amaenitate confoveantur, et a dilecto filio nostro Scipione tituli Sancti Chrysogoni Presbytero Cardinali Burghesio nuncupato, nostro secundum carnem ex Sorore germana nepote, nuper in Protectorem eidem Domui, et Sanctae Cappellae per nos deputato, et a Protectore pro tempore deputando, ejusque et cujuslibet eorum Gubernatoribus, Officialibus, Ministris, et personis melius, et facilius gubernari possint, litem, et causam, seu lites, et causas in Rota, et forsan, alibi coram quibuscunque Congregationibus, Judicibus, et Tribunalibus pendentes, ut praefertur, aut alias quomodolibet commissas, vel introductas in statu, et terminis, in quibus, reperiebantur, ac praedictas, et quascunque alias actiones, exceptiones, et praetensiones hinc inde factas, et exortas, et tam coram eisdem Cardinalibus, quam in Rota, ac alias quomodocunque deductas, ac quomodolibet in futurum exoriundas, et deducendas, nostrae vivae vocis oraculo ad nos avocavimus, illasque, et quascunque alias pretensiones ex indultis praefatarum erectionum litteris, observantia etiam antiqua, et immemorabili scripturis, et actis praemissa omnia, et singula quomodolibet concernentibus, ac alias quomodolibet, et quandocunque resultantes dilecto filio Joanni Garziae tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Card. Millino nuncupato, et nonnullis aliis personis discutiendas, et examinandas nobisque

referendas commisimus, qua discussione matura per eosdem habita, et plena relatione nobis desuper facta.

Nos non ad ejusdem Scipionis Cardinalis Protectoris, vel alterius petitionem, vel instantiam nobis factam, sed motu proprio, certaque scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, tam ex praefata relatione, quam ex certis rationabilibus causis animum nostrum etiam absque relatione praefata moventibus induti, ad quarum omnium, et singularum causarum verificationem nolumus, quemquam unquam teneri statum et merita hujusmodi causae, et causarum, ac controversiarum, nec non jurium, actionum, et exceptionum, aliorumque juris, et facti remediorum quorumcunque, etiam speciali, et individua mentione, seu insertione dignorum nominaque, et cognomina Judicum, et quorumcunque collitigantium, ac jurium actionum, et exceptionum, et praetentionum, privilegiorum quorumcunque, et indultorum, concessionum, gratiarum, consuetudinum, et praescriptionum, etiam longissimarum, etiam immemorabilium, statutorumque, etiam juramento, ac alias etiam auctoritate Apostolica confirmatorum, et constitutionum etiam universalium, et decretorum etiam Synodalium Lauretan., ac in Provincialibus, et universalibus Conciliis, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine, etiam consistolialiter, ac alias quomodolibet factorum, et factarum, emanatorumque, et emanatarum, ac usu etiam antiquissimo receptarum, et quarumcunque aliarum obstantiarum conjunctim, vel separatim, aut alias quomodolibet concurrentium, aliorumque forsan exprimendorum, seu inserendorum tenores, etiam ampliores, et veriores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, harum serie ad nos de novo avocamus, extinguimus, et respective perpetuo cassamus, tollimus, et abolemus; necnon dictae Ecclesiae Lauretan., cujus Sedes Episcopalis nunc vacat, ac futuro, et pro tempore existenti Episcopo Lauretan. super praemissis omnibus et singulis, ac quibuscunque aliis actionibus, exceptionibus, juris et facti remediis, coeterisque juribus quibuscunque dignitati Episcopali, ac mensae Episcopali dictae Ecclesiae Lauretan. quomodolibet competentibus, et de coetero competituris, omnibusque aliis praetensionibus quomodolibet resultantibus etiam non deductis, nec etiam cogitatis, nec cognitis perpetuum silentium imponimus, praedictasque actiones, praetensiones et jura, quaecunque Protectori pro tempore existenti earumdem Domus Lauretanae et Sanctae Cappellae nullum in posterum praestare posse, vel debere impedimentum, vel obstaculum declaramus, et decernimus.

Et nihilominus etiam omnibus, et singulis praefatis cessantibus, eidem Sanctae Domui, seu sancto Cubiculo Lauretan. solum, seu pavimentum tam ejusdem Sancti Cubiculi, seu Sanctae Cappellae, quam circumcirca usque ad columnas, et scalas inclusive contentum in Territorium proprium,

distinctumque, et separatum nullius Dioecesis, in qua, seu quo, et quibus de coetero solus Protector pro tempore existens, ejusque Gubernator, qui pro tempore ab eo deputatus fuerit, privative quoad Episcopum Lauretan. pro tempore existentem, jurisdictionem omnimodam, et quasi Episcopalem habere, et exercere possit, perpetuo assignamus, et constituimus, ipsamque Domum, seu Cubiculum Lauretan., ejusque Sanctam Cappellam magnam, et parvam nuncupatam, ac pavimentum, et territorium praedictum, ejusque Gubernatorem, Officiales, Custodes, Cappellanos, Sacristanos, Presbyteros, Clericos, etiam Missis inservientes, et quoscunque Poenitentiarios, etiam Regulares, Ministros, Cantoresque, familiares, seu famulos, et quoscunque alios eidem Sanctae Domui, seu Sanctae Cappellae inservientes, tam intus, quam foris, etiam Factores, Bubularios, Pastores, et animalium custodes, laboratores, et quoscunque alios in servitio praedictae Sanctae Domus, seu Sanctae Cappellae, ejusque bonorum nunc, et pro tempore existentes, ac eorundem officialium, ministrorum, et aliorum inservientium familias, servitores, et famulos, necnon quoscunque, ac cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, et praeeminentiae existentes peregrinos, et alios ad eandem Sanctam Cappellam, seu Domum, aut Ecclesiam Lauretanam confluentes, necnon ejusdem Sanctae Domus, seu Sanctae Cappellae palatia, aedificia, domos, possessiones, tenutas, terras, et praedia, quaecunque, et reliqua bona stabilia, tam in praefata Dioecesi Lauretana, quam in quibuscunque aliis Dioecesibus consistentia, ac etiam semoventia, et mobilia, suppellectiliaque cujuscunque generis, ac paramenta, ornamenta, et vasa, calices, patenas, coronas, torques, monilia, gemmas, et quaecunque alia jocalia, etiam auri, vel argenti, etiam pretiosa, et pretiosissima, pecuniasque, et largitiones, legata, eleemosynas, donationes, et relicta cujuscunque conditionis, qualitatis, quantitatis, valoris, et aestimationis etiam inexcogitabilis, et incredibilis a quacunque Episcopi Lauretani pro tempore existentis, ac aliorum Episcoporum, seu Archiepiscoporum, etiam quod essent ejusdem S. R. E. Cardinales, superioritate, dominio, et jurisdictione civili, criminali, et mixta, ac quacunque alia potestate, auctoritate, et facultate, tam de jure, quam usu, et consuetudine etiam longissima, et praescripta, etiam immemorabili, ac alias quomodolibet Episcopo Lauretano, et aliis Episcopis, et Archiepiscopis etiam Cardinalibus competente, et competitura, ac alias eidem Episcopo Lauretano, et aliis Episcopis, et Archiepiscopis praedictis, etiam ex litteris cujuslibet erectionis, privilegiis quoque, et indultis, ac Decretis Synodalium Constitutionum, etiam forsan acceptatarum, et usu receptarum, et aliis praemissis, ac alias quomodolibet quacunque auctoritate, etiam Apostolica, etiam motu, scientia, et potestate similibus, ac etiam consistorialiter concessa, ita quod Episcopus Lauretanus pro tempore existens, et quilibet alius ex praedictis Episcopis,

et Archiepiscopis, etiamsi sit ejusdem S. R. E. Cardinalis, etiam uti exequutor generalis, seu particularis quarumcumque ultimarum voluntatum, seu piorum relictorum, legatorum, aut aliarum dispositionum, ac alias quomodolibet ex quacunque ratione, vel causa quantumlibet juridica, et pia, etiam uti Sedis Apostolicae ex Decretis Concilii Tridentini, aut alias generaliter delegatus, aut vicinior nullam penitus jurisdictionem, auctoritatem, correctionem, et visitationem, et facultatem in, et super praemissis omnibus, et singulis habere, et praetendere, vel exercere nullatenus possit in quibuscunque articulis, etiam primis, et ulterioribus instantiis, et cognitionibus, etiam per viam visitationis, appellationis, quaerelae, gravaminum, recursus, in integrum restitutionis, et canonicae denunciationis, ac cujuscunque alterius devolutionis, vel modi, etiam juridici, etiam in corpore juris, vel constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum Concilii Tridentini, aliorumque universalium Conciliorum clausi, etiam ratione supplendi negligentiam Protectoris pro tempore existentis, seu Gubernatoris, et quorumcunque aliorum ministrorum, et officialium praedictae Sanctae Domus, seu Sanctae Cappellae, ac etiam ratione, vel sub praetextu, quod exempti metam eorum exemptionis excedant, ac etiam ratione, vel sub praetextu capiendi delinquentes, vel debitores, etiam de fuga suspectos, et illos Protectori, seu Gubernatori consignandi, ac etiam ratione curae animarum, subministrationis quorumcunque Sacramentorum, et celebrationis divinorum collationis quorumcunque etiam presbyteratus ordinum, ac concessionis testimonialium, et dimissorialium, et quorumcunque aliorum quomodolibet legem Dioecesanam, ac legem jurisdictionis, et dignitatis Episcopalis, etiam uti Episcopi vicinioris, vel in cujus Dioecesi, districtu, seu ambitu territorium exemptum, vel Ecclesia exempta consistit, seu personae exemptae degunt, aut etiam ratione cujuscunque contractus celebrati, delicti sive in officio, sive extra officium, aut alias quomodolibet commissi, vel rei etiam extra locum, et territorium separatum praedictum sitae potestatem, facultatem, et jura tangentium, et concernentium, et ex quacunque, et quibuscunque aliis causis, et rationibus, etiam juridicis, etiam insimul, vel conjunctim pro Episcopi Lauretan. pro tempore existentis, et aliorum Episcoporum, et Archiepiscoporum praedictorum etiam S. R. E. Cardinalium jurisdictione, superioritate, correctione, aut visitatione, ac alias quomodolibet concurrentibus, ita quod tam Episcopus Lauretanus, quam quilibet alius ex aliis Episcopis, et Archiepiscopis etiam S. R. E. Cardinalibus habeatur, et sit pro persona extranea quoad Sanctam Cappellam praefatam, ejusque territorium nullius Dioecesis, ac reliqua omnia, et singula praemissa, tenore praesentium perpetuo, ac plenissime, penitus, et omnino eximimus, absolvimus, et liberamus, ac sub B. Petri, et Sedis

Apostolicae protectione speciali suscipimus, omnimodamque jurisdictionem Ecclesiastioam, et spiritualem, ac quasi Episcopalem in praedictam Sanctam Domum, seu Sanctam Cappellam, ejusque territorium praedictum, ac Gubernatorem, Officiales, Ministros, Custodes, Cappellanos, laboratores, et alios inservientes praedictos, eorumque familias, servitores, et famulos, eorumque bona, res, et jura quaecunque, necnon omnia, et singula quaecunque bona stabilia, se moventia, et mobilia, resque, et jura praedicta praesentia, et futura ejusdem Sanctae Domus, seu Sanctae Cappellae, Ecclesiasque, et beneficia etiam curata eidem Sanctae Domui, seu Sanctae Cappellae, nunc, et pro tempore unita, annexa, vel ab ea dependentia, et quoscunque illis nunc, et pro tempore inservientes, nec non omnes, et singulos peregrinos, et alios cujuscunque qualitatis, gradus, status, et praeeminentiae ad eandem Sanctam Domum, seu Sanctam Cappellam confluentes praedictos eidem Scipioni Cardinali, et pro tempore Protectori, et ejus Gubernatori concedimus, et perpetuo adjudicamus; Praedictoque Protectori, et Gubernatori tanquam Praelato proprium, et distinctum territorium nullius dioecesis, Sedique Apostolicae immediate subjectum habenti, et in eo jurisdictionem omnimodam, et quasi Episcopalem exercenti, litteras, et commissiones Apostolicas, praesertim quoad personas, bona', res, et jura ut praemittitur Cardinali Protectori pro tempore existenti subjectas, et subjecta, dirigendas, et scribendas esse decernimus.

Quodque Vicarius Curatus Sanctae Cappellae nuncupandus per Protectorem, vel alium de ejus mandato pro tempore existen., ad vitam deputandus, et approbandus curam Animarum Gubernatoris, Custodum, Cappellanorum, Sacristanorum, Praesbyterorum, Poenitentiariorum, Officialium, Ministrorum, Factorum, Bubulariorum, Pastorum, et aliorum Custodum, Laboratorum, et quorumcunque aliorum eidem Sanctae Domui, seu Sanctae Cappellae intus, et foris, ubilibet tam in Lauretana, quam in qualibet alia Dioecesi inservientium, eorumque familiarum, servitorum, et famulorum, et quorumcunque Peregrinorum, et aliorum Confluentium praedictorum ac etiam infirmorum in praedicto hospitali existentium habere, et exercere, ita quod cura Animarum praedictarum personarum, illiusque exercitium quoad omnia, quae sunt fori poenitentialis apud ipsum solum Vicarium seu Curatum nuncupandum residere, et ad eundem spectare debeat privative quoad Episcopum Lauretanum, aliosque Episcopos, et Archiepiscopos praedictos, etiam S. R. E. Cardinales, et quoscunque alios, et ab eodem Vicario in Cappella publica in Palatio ejusdem Sanctae Domus, vel in Ecclesia ipsa Lauretana, vel alibi arbitrio Cardinalis Protectoris construenda, et decenter ornanda eadem cura Animarum exerceri, et Sacramenta quaecunque ibi etiam decenter custodiri, et haberi, ac eisdem personis subministrari, possint, et debeant.

Volumus autem quod Peregrini, et alii forenses confluentes praefati sumere possint Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in praedicta Sancta Cappella, quam in Cappella Sanctissimi Sacramenti, vel in Cappella noviter, ut praefertur construenda, vel in alia Cappella prout eisdem Peregrinis, et Forensibus placuerit, praeterquam in casum infirmitatis, quo casu Sacramenta a praedicto Vicario sunt illis subministranda.

Decernimus quoque, quod Custodes Sanctae Cappellae habeant facultatem assignandi horas pro celebratione Missarum in Sancta Cappella juxta ordinationem Card. Protectoris pro tempore existentis, seu ejus Gubernatoris, necnon quod Canonici, Beneficiati, et Clerici, qui officio Custodis, seu Custodum S. Cappellae, vel ejus Sacristiae, seu Sacristanorum funguntur, vel resident in Ecclesiis ubicunque existentibus, et praedictae S. Domui, vel S. Cappellae Lauretan. unitis, seu annexis, vel quomodolibet ab ea dependen. etiam curam Animarum habentibus, seu illas obtinent, in omnibus, et per omnia subjaceant omnimodae jurisdictioni, correctioni, et visitationi Protectoris pro tempore existentis, ejusque Gubernatoris praedictorum privative quoad eundem Episcopum Lauretan. etiam uti Sedis Apostolicae delegatum, etiam uti viciniorem, et quemlibet alium ex praedictis Episcopis, et Archiepiscopis etiam S. R. E. Cardinalibus, praeter quam in concernentibus beneficia Episcopo Lauretan. pro tempore existenti subjecta, et illorum servitium, a quo tamen servitio Custodes, et Sacristae liberati, et absoluti sint, et esse intelligantur pro tempore, quo in servitio praedictae S. Cappellae, vel alibi de mandato Protectoris, seu Gubernatoris pro servitio ejusdem S. Cappellae erunt occupati; ita quod propterea a quoquam nullo modo punctari, vel mulctari, aut puniri possint.

Quodque deputatio, et provisio, examen et approbatio Rectorum, et aliorum inservientium, etiam curam Animarum exercere debentium, in Ecclesiis, Beneficiis, et Cappellis unitis, annexis, vel alios quomodolibet a S. Cappella dependentibus ad Protectorem pro tempore existentem, vel alium ab eo deputandum pertinere debeat privative quoad Episcopum Lauretan., aliosque Episcopos, et Archiepiscopos, etiam S. R. E. Cardinales praedictos, et examinatores etiam Synodales Lauretan., et respective aliarium Dioecesium.

Necnon quod Organistae, et Cantorum quorumcunque ejusdem S. Domus, seu S. Cappellae, et Ecclesiae deputatio, et amotio spectet, et pertineat ad Protectorem pro tempore existentem, cujus, suique Gubernatoris omnimodae jurisdictioni correctioni, et visitationi in omnibus, et per omnia subjaceant, teneatur tamen praedictus Gubernator pro tempore existens in concernentibus servitium Chori praedictae Ecclesiae Lauretan. recipere, admittere, et exequi defectus, et punctationes per punctatorem Chori pro tempore factas et in libro punctactionum descriptos, et descriptas.

Insuperque decernimus, quod facultas concedendi licentiam volentibus celebrare in S. Cappella, necnon quibuslibet personis quomodolibet qualificatis etiam Peregrinis ingrediendi S. parvam Cappellam, et ad praedictum effectum notulas, bollettinos nuncupat. celebrare volentibus dandi, ad eundem Protectorem pro tempore existentem, et ejus Gubernatorem privative ad ipsum Episcopum Lauretan. pro tempore existentem, et alios quoscunque perpetuo pertineat, necnon quod nullus omnino cujuscunque dignitatis, qualitatis et conditionis sit, nec etiam idem Episcopus Lauretan. pro tempore existens possit in praedicta S. Cappella ordinationem facere, Chrismate, Pontificalia quaecunque, et reliqua omnia, quae sunt ordinis, legis Dioecesanae, jurisdictionis, et dignitatis Episcopalis exercere, nisi de expressa licentia Cardinalis Protectoris pro tempore existentis, vel ejus Gubernatoris.

Quodque idem Vicarius Curatus S. Cappellae nuncupandus per Protectorem pro tempore existentem, quomodocunque ipsa Vicaria, et in quolibet mense ordinario, seu reservato, ac ex cujuscunque persona quamcumque reservationem, et affectionem, etiam ratione familiaritatis, continuae commensalitatis nostrae, et Romanorum Pontificum praedecessorum, et successorum nostrorum etiam tempore vacationis Vicariae viventium, ac S. R. E. Cardinalium familiarium, aut alias quomodolibet inducente vacet, et vacare contigerit, deputari possit, et debeat, et de coetero quoad curam animarum, et alia fori poenitentialis jura censeatur, et sit proprius Sacerdos, et Curatus praedictae S. Cappellae, ejusque Territorii, Gubernatoris, Custodum, Sacristanorum, Cappellanorum, Officialium, Ministrorum, Factorum, Bubulariorum, Pastorum, et quorumcunque aliorum Custodum, Laboratorum, Familiarium, et quorumlibet aliorum praedictorum inservientium, eorumque familiarum, servitorum, et famulorum, Clericorumque, et Presbyterorum in Ecclesiis unitis, seu annexis, aut alias dependentibus existentium, intitulatorum, aut alias quomodolibet existentium, seu inservientium, ita quod non teneantur recognoscere Episcopum, seu Archiepiscopum, etiam S. R. E. Cardinalem, in eorum Superiorem, etiam ratione cujuslibet delicti, vel defectus, sive in officio, sive extra officium delinquant, seu deficiant, etiam quoad curam Animarum; sed praeceptis Sanctae Matris Ecclesiae satisfaciant eorum peccata confitendo eidem Vicario, vel Confessariis ab eo pro tempore deputandis, et per Cardinalem Protectorem, vel alium de ejus mandato examinandis, et approbandis, ac Sacramentum Sanctiss. Eucharistiae sumendo, aliaque Sacramenta ab eodem Vicario, seu ejus deputatis praedictis recipiendo, ita quod praedictus Vicarius S. Cappellae possit, et debeat pueros ejus curae subjectos in fonte Baptismatis praedictae Ecclesiae Lauretan. baptizare, et propterea Sacrista, vel alius ab Epi-

scopo pro tempore deputatus, qui curam Animarum Episcopo subjectarum exerceat, et gubernium, seu custodiam habeat praedicti fontis Baptismalis, teneatur, et per Protectorem sive ejus Gubernatorem pro tempore existentem cogi, et compelli possit, etiam per Censuras Ecclesiasticas, et alia juris remedia, ad aperiendum fontem Baptismalem praedictum, et usum illius praedicto Vicario pueros, vel alios inibi baptizare volenti statim concedendum, et ad praedictum effectum necessaria, et opportuna libere subministran.

Liceatque Protectori pro tempore existenti eisdem personis sibi, ut praemittitur subjectis litteras dimissoriales, et testimoniales pro ordinibus a quocunque Catholico Antistite communionem cum Sede Apostolica habente recipiendis, ac pro aliis necessariis, et opportunis concedere, eidemque Cardinali Protectori pro tempore existenti Peregrinos, et quoscunque alios coeteros ad praedictam S. Domum, et Cappellam confluentes, seu accedentes benedicere, benedictionemque eisdem tam in S. Domo, seu sancta Cappella, quam extra in praedicta Ecclesia, ac in Palatio ejusdem S. Domus, ac alibi in praedicta civitate Lauretana concedere, et impartiri, confessionesque sibi subdictorum, Peregrinorum, et aliorum coeterorum ad Sanctam Domum, seu S. Cappellam Confluentium in pavimento circumcirca Sanctam Cappellam existente, in Sede inibi ponenda audire posse, quodque Cardinalis Protector pro tempore existens semel, et pluries, ac toties quoties sibi videbitur, et placebit, statuta, et ordinationes pro felici gubernio praedictae Sanctae Domus et Sanctae Cappellae, ejusque bonorum, rerum, et jurium quorumcunque Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis non contraria concedere, edere, et publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, et emendare, quoties sibi videbitur, et prout in domino cognoverit salubriter expedire, quae inviolabiliter ab omnibus observari debeant concedimus.

Quodque Cardinalis Protector pro tempore existens, ejusque Gubernator possit omnes et singulos, fures, seu latrones, et quoscunque alios in Sancta Cappella, et ejus territorio, et bonis delinquentes, seu etiam inde aufugientes, in quocunque loco, etiam Ecclesia Lauretana, Dioecesique, et Civitate etiam Lauretana capi, retineri, et incarcerari, facere et punire, privative quoad Episcopum Lauretanum, et quoscunque alios praedictos.

Volumus quoque, et decernimus, quod cura, et administratio Fabricae Ecclesiae Lauretanae, ac Palatii Sanctae Domus Sacristiaeque, et Hospitalis, ac Montis Pietatis, Lauretan. nec non Officialium, ac Ministrorum Fabricae, Sacristiae, Hospitalis, et Montis Pietatis deputatio, amotio, omnimodaque correctio, et visitatio spectet ad Protectorem pro tempore existentem, ejusque Gubernatorem privative quoad Episcopum, et alios praedictos etiam S. R. E. Cardinales: Ita quod in omnibus, et per omnia tam Fa-

brica, Sacristia, Hospitale, et Mons Pietatis, quam cujuslibet eorum Officiales, Rectores, Cappellani, familiares, famuli, servitores, et alii quicunque Ministri inservientes, et laboratores, eorumque, et cujuslibet eorum familiae, servitores, et famuli, nec non eorum, et cujuslibet eorum bona, res, et jura quaecunque omnimodae Jurisdictioni, correctioni, et visitationi subjaceant ejusdem Protectoris pro tempore existentis, ejusque Gubernatoris, etiam ratione cujusvis delicti seu in officio, seu extra officium, vel alias quomodolibet delinquant, et quoad curam animarum respectu fori poenitentialis subjaceant, et pareant eidem Vicario Curato nuncupando privative quoad Episcopum, aliosque praedictos eisdem modo, et forma, prout supra de Ministris, et bonis Sanctae Cappellae dispositum fuit.

Liceat quoque eidem Vicario Curato nuncupando pro personarum ejus curae subjectarum servitio, usu, vel necessitate petere, et recipere Sanctum Chrisma, et Sanctum Oleum, ac reliqua, quae sunt Ordinis Episcopalis a quocunque Catholico Antistite gratiam, et communionem cum Sede Apostolica habente, per ipsum Vicarium de Cardinalis Protectoris, seu ejus Gubernatoris licentia eligendo, seu etiam respective vocando.

Volumus etiam, quod litterarum dimissorialium, testimonialium, et licentiarum Sacerdotum forensium, ac Peregrinorum in Sancta Cappella, seu in Cappella Sanctissimi Sacramenti Missas celebrare volentium examen, et approbatio spectet ad Protectorem pro tempore existentem, ejusque pro tempore deputatum, vel deputatos, privative quoad Episcopum Lauretanum, et alios supradictos.

Per praesentem vero exemptionem, et liberationem S. Domus, seu Sanctae Cappellae, ejusque rerum, et personarum, ut praemittitur concessam, non intendimus in aliquo liberare, nec liberatum censeri Capitulum, Dignitatesque, Canonicos, Beneficiatos, Clericos Cappellanos, et quoscunque alios praedictos, quo minus debeant celebrare Missas in dicta Cappella, et alibi hactenus per eos celebrari solitas, sed volumus, quod illas celebrare teneantur juxta tabellam in Sancta Cappella retentam, seu retinen. a Protectore, seu Gubernatore faciendam, ad quas celebran. volumus, etiam per censuras Ecclesiasticas, subtractiones fructuum, et alia juris remedia per Protectorem pro tempore existentem, seu ejus Gubernatorem cogi, et compelli posse, et debere, privative ad Episcopum Lauretanum praedictum, et quoscunque alios.

Possit quoque Protector pro tempore existens, seu ejus Gubernator habere, et tenere unam Clavem portae Ecclesiae Lauretanae.

Et nihilominus, ut Episcopo Lauretano pro tempore existenti debitus honor, et sua jurisdictio praeservetur, declaramus, volumus quoque, et decernimus, quod praemissis omnibus, et singulis semper, et perpetuo sal-

vis, et firmis, ac illesis remanentibus, ac non alias, aliter, nec alio modo, Episcopus Lauretanus pro tempore existens, etiam si S. R. E. Cardinalis pro tempore fuerit, jurisdictionem Ecclesiasticam spiritualem, et Episcopalem, et quamlibet aliam, si quae sibi competiisset, vel competeret habere, et exercere libere possit, et debeat dumtaxat in coeteris Dignitates, Canonicatus, Beneficiatos, Clericatus, Cappellanias, Ecclesias, etiam Parochiales, aliaque Beneficia in Ecclesia praefata Lauretana, et in tota ejus civitate, et Dioecesi obtinentibus, aliisque Clericis, et Presbyteris tam saecularibus, quam Regularibus, nec non Clero, et populo ejusdem Ecclesiae, Civitatis, et Dioecesis, eorumque bonis, rebus, et juribus, etiam ratione curae Animarum, Sacramentorum administrationis, et divinorum celebrationis, possitque illos, et illa visitare, corrigere, et punire, exceptis tamen locis, et personis, bonis, et rebus, et quibuscunque aliis ab ejus jurisdictione, ut praemittitur, ac alias quomodolibet exemptis, ac Protectori, ejusque Gubernatori, et respective Vicario praedicto subjectis.

Necnon ex gratia speciali concedimus Episcopo Lauretano pro tempore existenti, quod habere debeat separatam Sacristiam, et paramenta, ac res pro cultu divino, et pro ipsius Episcopi, et celebrantium usu necessaria, et necessarias sibi per Protectorem sub Inventario in Archivio Sanctae Domus conservando assignanda, et assignandas, quorum paramentorum, et rerum quantitas, et qualitas sit illa, quae erint bene visa Protectori pro ejus libero, et absoluto arbitrio, a quo nulla appellatio, reclamatio, revisio, aut recursus, etiam ad Sedem Apostolicam detur, etiam sub praetextu arbitrii boni viri, qui Cardinalis Protector, ejusque Gubernator pro tempore existens etiam possit contra Sacristam, et Ministros in praefata separata Sacristia per Episcopum deputandos, et corrigendos, et alios culpabiles civiliter, et criminaliter procedere ratione paramentorum, suppellectilium, et rerum pro praedicta Sacristia separata pro tempore assignandorum, et assignandarum, si illa, vel eorum aliqua furto subtracta, vel alias deperdita fuerint.

Possitque Protector pro tempore existens, ejusque Gubernator ad ejus libitum toties, quoties sibi placuerit revidere inventarium bonorum pro Sacristia Episcopali, ut praemittitur assignatorum, et bona, ac paramenta, et ornamenta assignata, eorumque statum perquirere, et videre, ac cum Inventario confrontare.

Volumus quoque, quod Episcopus Lauretanus pro tempore existens possit ad libitum cum assistentia duorum, vel ad summum trius Presbyterorum celebrare Missas submissa tamen voce, non autem possit celebrare Missas Conventuales, seu Pontificales in Sancta Cappella, nec in ea reliqua omnia Pontificalia, etiam collationem quorumcunque Ordinum, et Chri-

smatis celebrare, facere, nec subministrare, et quando ut praefertur Missas submissa voce in Sancta Cappella celebrabit, tunc tantum in ea possit communicare quos voluerit.

Possit tamen Episcopus per se, vel alium, ac etiam Dignitates, et Canonici, cum ornamentis tamen, et paramentis, ut supra pro Sacristiae Episcopi servitio pro tempore assignandis, Missas etiam Conventuales celebrare ad Altare Sanctissimae Annunciatae, etiam quod sit exemptum, et in praedicto loco, seu territorio exempto, ac nullius Dioecesi positum, scilicet in pavimento circa, et prope Sanctam Cappellam inter columnas, et scalas praedictas, hoc enim de specialis dono gratiae sibi concedimus, ita tamen quod ab Episcopo, seu a quocunque alio Missarum, et aliorum divinorum quorumcunque celebratio in Sancta Cappella facienda horis per Custodes, ut praemittitur assignandis impediri, seu perturbari nullo modo possit, nec debeat.

Insuperque indulgemus eidem Episcopo non autem ejus Vicario, nec cuilibet alteri per Episcopum deputando, ut quandocunque possit ingredi Sanctam parvam Cappellam orandi causa tantum.

Decernentes, et expresse prohibentes, ac mandantes, quoad Sanctam Domum, seu Sanctam Cappellam Gubernatorem, Vicarium Curatum nuncupan. Custodes, Cappellanos, et alios inservientes, ac famulos, et familiares, laboratores, et alias quascunque personas praedictas, necnon bona, res, et jura quaecunque territorium, locumque, et loca Ecclesias etiam curatas, et beneficia, Fabricamque, Sacristiam, Hospitale, Montem Pietatis, et alia quaecunque, qualiacunque, et quomodocunque in praemissis, et eorum singulis comprehensa, ac quomodolibet per nos exempta imo penitus liberata ab Episcopo Lauretano, et quocunque alio Episcopo, et Archiepiscopo, etiamsi pro tempore foret S. R. E. Cardinalis, et Protectori, ejusque Gubernatori, ut praemittitur subjecta, eundem Episcopum Lauretan. pro tempore existentem et alios praedictos, ullo unquam tempore ex quacunque occasione, ratione, jure, vel causa quantumlibet juridica, et pia etiam de praesenti forsan incognita, imo incogitata, et de novo supervenienti non posse habere, praetendere deducere, et exercere aliquam aliam jurisdictionem, facultatem, cognitionem, superioritatem, praeminentiam, praerogativam auctoritatem, visitationem, et quodlibet aliud, si quae in locis, et personis praemissis, ac alias quomodolibet exemptis, imo ut praefertur liberatis, et in statu nullius Dioecesis positis, et aliis etiam immediate Sedi Apostolicae subiectis de jure, consuetudine, etiam immemorabili, vel Privilegio Apostolico competant, vel quomodolibet competere possent cuilibet Episcopo, sive Archiepiscopo, etiam S. R. E. Cardinali praefatis, in quorum Dioecesi nunc, et pro tempore sita sint, sive existunt loca, et bona exempta, et liberata, sive

personae exemptae, et liberatae, ut praefertur maneant, et habitent, aut commorentur, vel transeant, aut Episcopo viciniori, aut alteri etiam ex decretis Tridentini, vel aliorum Conciliorum etiam universalium subjacere dicantur, vel praetendantur, ita quod idem Episcopus Lauretan., et quilibet alius Episcopus, et Archiepiscopus, etiam si pro tempore foret S. R. E. Cardinalis, non possit etiam uti vicinior Episcopus, seu Archiepiscopus de coetero quidquam aliud, praeter, et ultra, per Nos eidem, ut praemittitur, expresse concessa habere, praetendere, vel exercere etiam vigore cujusvis interpretationis verborum nostrae praesentis dispositionis; Quae verba volumus, quatenus favent Episcopo, aliisque stricte et prout jacent, quatenus vero Sanctam Domum, seu Sanctam Cappellam, et illius Protectorem pro tempore existentem, et alios praedictos juvant late, et favorabiliter quantum possibile sit, esse intelligenda, et recipienda, et interpretanda, ita quod idem Episcopus Lauretanus, et quilibet alius Episcopus et Archiepiscopus praedictus, etiam si foret S. R. E. Cardinalis, sit, et esse censeatur tanquam persona extranea in praemissis omnibus, et singulis sibi expresse non concessis.

Prohibemus quoque tam Episcopo Lauretano, at aliis Episcopis, et Archiepiscopis, etiam S. R. E. Cardinalibus, eorumque Officialibus, et Ministris, quam Cardinali Protectori pro tempore existenti, ejusque Gubernatori, et Ministris praedictis, ne audeant quoquo modo contumaces, vel banditos unius curiae affidare, vel salvum conductum adversus aliam curiam concedere, nec illos apud se quoquo modo, et ex quacunque causa retinere.

Volumus quoque, quod illi, qui praesentibus quoquo modo directae, vel indirecte contravenerint, Excommunicationis, Episcopi, vel Archiepiscopi, et alii praedicti suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae sententias, et poenas ipso facto absque aliqua declaratione incurrant, a quibus nonnisi a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente, praeter quam in mortis articulo absolvi non possint.

Sequuntur Clausulae amplissimae pro validitate, et observatione hujus Constitutionis.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo, pridie Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno sextodecimo.

CXLVII.

1621. 20. Decemb.

Cum fuerit, et sit prout asseritur, et Partes infrascriptae confessae sunt ad hoc ut Ecclesia Cathedralis Recineten., et illius decor inibi destitutas Dignitates obtinentium Personarum status salubriter dirigi, serva

rique possit honestius, ac Personae inibi psallentes Officium, ad tenendum statum suum habeant redditus suos, potissime cum temporum requirit necessitas, Caussae persuadent rationabiles, et Divini Cultus augumentum salubriter id exposcit, Ven. Societates nuncupatae Sancti Jacobi, Mercatorum, Sanctae Mariae Castrinovi, et S. Luciae Illustriss. Civitatis Recineti, et ipsarum Confratres agnoscentes paupertatem, exiguitatem, et tenuitatem fructuum, reddituum, et proventuum Dignitatum inibi existen., Praepositura excepta, necnon Canonicatuum ipsiusmet Ecclesiae Cathedralis, cupientesque in ea Divinum Cultum magis atque magis augere, et numerum interessentium quotidianis Canonicis horis accrescere annuentes, juxta, et rationabilibus petitionibus Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Julii Tituli S. Mariae super Minervam S. R. E. Presbyteri Cardinalis Romae Episcopi Recineten., et Lauretan.; ut quae D. S. Illustrissimae rem gratam facerent singulae ipsarum respective, cohadunatis Radunis de more solitis, decreverint omnia, et singula Beneficia de Jure patronatus ipsarummet Ven. Confraternitatum perpetuis futuris temporibus unire, et aggregare Ven. Capitulo Dignitatum, et Canonicorum dictae Ecclesiae Cathedralis, Praepositura semper excepta; fecerint, et ordinaverint, respective infrascriptos DD. Confratres, et Deputatos pro terminatione hujusmodi negotii etc. prout latius ex Decretis respective factis, et inferius registran. etc., qui volen., et cupientes ipsi commissa debitae executioni demandare; Hinc igitur est, quod coram praedicto Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Episcopo, et Testibus infrascriptis, ac me Notario praesentes, et principaliter constituti

Illustres DD. Thomas Putius, Gaspar Bonjoannes, et Josephus Politus Confratres, et Deputati Ven. Confraternitatis S. Jacobi in absentia Illustrissimi Domini Capitanei Mauritii Vulpiani Collegae etc.

Illustres, et Admodum Excell. DD. Baptista Lunarius, Antonius quond. D. Equitis Jacobi Anticij, et Antonius quondam Lupidiani Anticij Confratres, et Deputati Ven. Confrater. Mercatorum.

Illustres, et Admodum Excell. DD. Mercurius Vulpianus, et Petrus Politus Confratres, et Deputati Ven. Confraternitatis S. Mariae Castrinovi, ac

Illustres DD. Carolus Lunarius, et Josephus Anticius Confratres, et Deputati Venerabilis Confraternitatis Sanctae Luciae.

Qui omnes praedicti Illustres DD. Confratres, et Deputati vigore ipsorum auctoritatis, ac nomine et vice ipsorum, et cujuslibet ipsarum Confraternitatis, et Confratrum, nunc, et pro tempore quovis modo existen. tam conjunctim, quam divisim, et de per se, etiam cum interventu, et Decreto ipsiusmet Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Cardinalis Episcopi praesentis, et ejus auctoritate ordinaria acceptantis, et confirmantis etc. promittunt

et obligant sese imposterum ad supradicta omnia, et quaecunque Beneficia simplicia de Jure patronatus ipsarummet Ven. Confraternitatum respective, tam ea sita, et erecta sub quibusvis vocabulis in dicta Ecclesia Cathedrali, quam alia in quibuscumque alteris Ecclesiis, et sub quocumque nomine nuncupentur specifican. per DD. Deputatos in folio suis loco, et tempore registran. in calce praesentis Instrumenti etc. cum omnibus suis juribus, et pertinentiis ex nunc, et pro tunc, et e contra etc., ac dum, et quando casus evenerit etc., praesentare, et nominare unum ex dd. Dignitatibus, seu Canonicis non solum modo, et forma praemissis, sed et omni alio meliori modo etc. Ita quod etc. ceden., vel deceden. modernis quibuscumque respective Rectoribus etc. seu illa alias quomodolibet dimitten., etiamsi acta quovis modo vacent, eo ipso intelligatur nominata una ex dd. Dignitatibus, seu Canonicis, ac ita, et taliter, quod ab hodie imposterum eo casu eveniente, ipsae Ven. Confraternitates respective nequeant ullo modo nominare, et praesentare nisi unam ex praedicti Capituli Dignitatibus, seu Canonicis, et non alias, aliter alio modo etc. salvis Capitulis sequentibus, videlicet.

L'obligo delle Confraternite di nominare alli Benefizj di *Jus patronato* loro uno del Capitolo della Cattedrale, il quale sia Canonico, o Dignità di essa, si propone, che si faccia con gl'infrascritti Capitoli.

Che li Benefizj tenui s'uniscano insieme sino alla somma di scudi cento, centoventi, o centotrenta, come portarà la qualità ed il valore di essi Benefizj, in modo tale, che nessun Benefizio sia di minore rendita di scudi cento.

Che li Benefizj, che saranno di scudi duecento si dividano, e se ne facciano due.

Che le Dignità, e Canonici, ai quali si conferiranno i sudetti Benefizj non ne possino ottenere più d'uno, ed occorrendo, che dalla Confraternita sia nominato ad un Benefizio di maggior rendita, non possa ottenerne la collazione dall'Ordinario, se non averà rassegnato quel Benefizio, che otteneva per prima.

Che le Dignità, e Canonici provisti d'alcuno delli sudetti Benefizj siano obligati di deporre una terza parte delli frutti del Benefizio a S. Giovanni di Natale, ed un'altra terza parte a S. Giovanni di Giugno anticipatamente in mano del Sindico del Capitolo per le distribuzioni quotidiane, *e le distribuzioni, che si renderanno s'intendano applicate alla Sacristia per li bisogni di essa.*

Che dalle Confraternite non si possa prestare il consenso ad alcuna rassegna *ad favorem certae personae,* se il Rassegnatario non sarà Canonico per prima, acciochè non vi corra mai pericolo, che li Benefizj eschino dal Capitolo de'Canonici, e Dignità di detta Catedrale.

Che se alcuna Dignità, o Canonico, il quale anco sia Altarista sarà nominato ad uno delli dd. Benefizj non possa fargli essi la Collazione, se non lasciarà l'Altaristato, ad effetto, che la Chiesa abbia maggior numero de Preti, che la servano.

Che per le sopradette cose non s' intenda pregiudicare alli carichi, ed oblighi de'sopradetti Benefizj.

Il Benefizio, che lasciarà l'Altarista lo dovrà dare quella Compagnia, che glie l' averà provisto.

Che mancando gli Ordinarj *pro tempore* d'osservare li presenti Capitoli il presente contratto sia per non fatto, e ciascheduno ritorni *ad primaeva Jura, et non alias etc.*

E casochè non vi siano Dignità, o Canonici Recanatesi, che le Confraternite siano libere di poter eleggere altri, che più le piacerà etiam che non fussero di Capitolo, *pro illa vice tantum.*

Hac tamen lege, et conditione, quod si, et quatenus eveniat per unam ex ipsis Confraternitatibus aliquam Dignitatem, seu Canonicum ad aliquod Beneficium vacaturum praesentare, ex quo percipi non possint dd. scuta centum plus, et minus etc., quod altera vice eamdemmet Dignitatem sive Canonicum jam electum ipsa Ven. Confraternitas teneatur praesentare, et nominare ad Beneficium successive vacan., seu vacaturum, donec conjunctim, vel seperatim ex eo, vel eis percipi possint, et valeant dd. scuta centum plus, et minus, omni etc.

Et ut magis constet de jure praedictarum Confraternitatum super dd. Beneficiis instant, et petunt pronunciari Jus sibi competiisse, et competere nominandi, et praesentandi ad Beneficium, de quibus dabitur notula unacum publicis documentis, et hujusmodi Sententias, et unacum hoc Instrumento Concessionis ad perpetuam memoriam, et pro conservatione suorum Jurium in Tabulis marmoreis describi ad effectum, ut in loco publico, et patenti, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in Palatio Priorali appendantur, et nihilominus interea praedicta applicatio sic facta suum sortiatur effectum, et teneantur RR. Confratres ad Beneficia interim vacantia, vel vacatura nominare ut supra. Hoc autem fecerunt, et faciunt facere declaraverunt ex causis, et rationibus praedictis, et quia sic uuicuique ex dd. Ven. Confraternitatibus placuit, et visum fuit expedire, non solum dicto, sed et omni meliori modo etc.

Quibus peractis etc. ac ibidem praesens supradictum Capitulum coram eodem Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Roma Episcopo congregat., ubi interfuerunt infrascripti videlicet

Illustris, et Admodum Rev. D. Alexander Lucidus J. U. D. Archidiaconus, et ad praesens Vicarius Generalis.

Illustris et admodum Rev. D. Julius Confalonerius Archipresbyter, et Illustris, ac Admodum Rev. Dominus Clemens Politus J. U. D. Decanus, nec non admodum Rev. Dominus Calistus Constantinus, Admodum Rev. Dominus Tiburtius Trebbianus, Admodum Rev. Dominus Tiburtius Pettorubeus, Admodum Rev. Dominus Josephus Massutius, Admodum Rev. Dominus Bernardinus Trafichinus, Admodum Rev. Dominus Prosperus Cicchinus, Admodum Rev. Dominus Petrus Stephanus Brancaleonus, Admodum Rev. Dominus Antonius Lecchus, et Admodum Rev. Dominus Hieronymus Baricchius Canonici dictae Cathedralis Ecclesiae etc. praedicta omnia et singula acceptaverunt, et acceptant modis et formis praedictis, et non alias, aliter, nec alio modo etc. singula singulis etc. jurarunt etc. tactis scripturis, etc. omni etc.

Quae omnia et singula in praesenti Instrumento expressa, descripta, contenta, et adnotata dd. DD. Deputati, ac Dignitates, et Canonici perpetuo promiserunt nominibus quibus supra respective, ac sese, et successores in eis obligan. convenerunt habere rata, grata, valida, et firma, atque attendere, et observare, ac observari facere, et non contravenire quovis praetextu, quaesito colore. causa, vel ingenio, aut alias quomodocumque, et qualitercumque etiam in praesenti Istrumento non expressis, ac in corpore juris clausis etc. renuncian. etc. expresse ipsi Illustres DD. Deputati, et Confratres per speciale Juramentum qnibuscumque exceptionibus, cautelis, et aliis tam a jure, quam ab homine introductis, seu introducendis etc., quibus posset modo aliquo sese defendere, ac tueri, et denique Juri dicenti generalem renunciationem non valere, nisi praecesserit specialis et expressa etc. omni meliori modo etc. constituen. insuper iidemmet Illustres DD. Deputati praedictum Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum Cardinalem Episcopum praesentem etc. Procuratorem irrevocabilem cum juramento, ut in rem propriam etc. ad petendam, et obtinendam confirmationem omnium, et singulorum praemissorum a SSmo Domino Nostro Papa sive etc. quatenus opus etc. et non aliis etc. omni meliori modo etc.

Pro quibus sic tenendis, adimplendis, plenarieque, et firmiter observandis etc. dd. Illustres DD. Confratres, et Deputati obligaverunt omnia, et singula Bona Confraternitatum respective praesentia, et futura, Libro Justitiae Civitatis Recineti, etiam in ampliori forma Rev. Camerae Apostolicae cum omnibus, et singulis clausulis in dicta forma Camerae requisitis, ac in similibus apponi solitis, et consuetis latius cum opus fuerit exten. etc. licentiam dantes etc. ac reservata facultate, non mutata tamen substantia facti, jurantes tactis scripturis corporaliter ad delationem mei Notarij, et Cancellarij etc. petens ab eodem Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Cardinale Roma Episcopo, ut dignaretur suam, et ejus Pa-

storalis Officii auctoritatem interponere etc. rogan. me eumdem Notarium large etc. ut de praesenti unum, vel plura, publicum, seu publica Instrumentum, et Instrumenta conficerem omni meliori modo etc.

Super quibus omnibus, et singulis sic peractis praedictus Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Cardinalis Roma Episcopus Seden. etc. praemissis veris existentibus, et de eis omnibus, et singulis informatus supradicta omnia admisit, acceptavit, et acceptat, ac confirmavit, mandavitque suis loco, et tempore fieri, et exequi eo modo, et forma prout in praesenti Instrumento deponitur, ejusque auctoritate ordinaria, et a Sacrosancto Concilio Tridentino attribut. Decretum necessarium, et opportunum interposuit supplen., omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus etc. pronunciavitque, decrevit, et declaravit eisdemmet Ven. Confraternitatibus competiisse, et competere Jus nominandi, et praesentandi ad supradicta Beneficia quoties pro tempore vacare contigerit, scilicet unum ex dd. Dignitatibus, seu Canonicis juxta notulam, quae dabitur etc. non solum dicto sed et omni alio meliori modo etc.

CXLVIII.

E Synodo Recanat. An. 1623. *Julii Card. Roma*

Cap. XIII. de Cathedrali Ecclesia, Dignitatibus, et Canonicis.

1623.

A prima die qua commissi nobis gregis curam suscepimus, illud inprimis cordi semper fuit, ut si quae in hac nostra Civitate, et Dioecesi a suo ordine et structura declinasse reperiremus, ea ad suum pristinum connaturalemque statum et locum omni sollicitudine diligentiaque reponere atque restituere curaremus, prout et hanc Cathedralem Ecclesiam (siquidem uti sponsa nostra magis alte resedit semper nobis in corde) in nostra Visitatione quasi postliminio revertentem pristino restituimus decori atque dignitatum omnium praerogativa redonavimus. Dedecebat enim Cathedralem Ecclesiam, quae omnibus in locis aliarum mater et prototypus est (ut esse debet) deformem, et deordinatam reperiri, prout haec nostra Recanatensis ad haec usque tempora nobis dolentibus extitit.

Dignitates et Canonicos suis jam restituimus gradibus et sedibus eisque pro annuis redditibus ad ipsorum status praerogativam congruentibus atque sufficientibus per applicationem Beneficiorum, quae jurispatronatus Confratriarum existunt (Deo conatibus nostris favente) provisum fuit.

Fecimus nos quod nostra intererat abunde, partes ipsorum modo erunt (prout eosdem enixe in Domino hortamur, et monemus), ne quod ad eos in proprio munere spectat, cunctentur, praetermittant et negligant. Illud etiam semper alte in corde retineant quod sicuti fratres nostri sunt,

Ecclesiaeque Senatus nuncupantur, ita morum suavitate integritateque pollere, atque coeteris exemplum bonorum operum esse debebunt.

CXLIX.

Ex Protocol. Camilli Pretiocti Notar. pag. 210. in Archiv. publ.

1626. 12. Junii.

In Dei nomine Amen. Anno Domini 1626. Indictione nona die duodecima Junii Pontificatus SS. in Christo Patris et D. N. D. Urbani divina providentia Papae octavi anno tertio.

Illmus et Revmus D. Julius miseratione divina tituli S. Mariae supra Minervam S. R. Eccl. Praesbyter Cardinalis Roma Episcopus Recanatensis et Lauretanus habita notitia de quodam testamento a quondam D. Barbara olim filia D. Gregorii Massillae de S. Ginesio, et conjuge quondam D. Jo. Laurentii Massutii de Recaneto condito 13. Januarii 1595. sub rogitu D. Diomedis Riccii in Curia tunc Notarii Apost. Camerae, in quo inter alia disposuit, quod mortuo Antonio ejus filio legitimo et naturali sine filiis legitimis et naturalibus in illius aedibus nuncupatis *la casa grande* hujus civitatis sitis in quarterio S. Angeli et contrata *Porta da mare* juxta bona DD. de Constantiis ab uno, viam communis ante, retro foveum, et alia veriora latera, si quae etc. construeretur Monasterium ad effectum recipiendi ibidem tot viduas Recaneti et Laureti, quot ali et gubernari possent ex fructibus et reditibus cujusdam praedii nuncupati *di S. Paolo* siti in territorio Recanati juxta bona. . . . . .

Cumque mensibus elapsis Antonius filius dictae D. Barbarae testatricis obierit sine filiis legitimis et naturalibus, fueritque factus locus dispositioni illius matris, et capta possessio dictae domus a Deputatis a D. S. Illma et Revma, et de podere non potuerit capi eo quia pro debitis a praedicta D. Barbara relictis ac illis solvendis fuerit venditum et alienatum, ita ut ad omnimodam executionem dispositionis dictae testatricis deveniri nequeat, volens nihilominus in quantum in se est, piam dispositionem exequi, et considerans idem Illmus D. statum loci Orphanarum in eadem civitate Recanatensi existentis satis angusti, incommodi, ac de officinis necessariis carentis, et quod ad praesens non sint viduae quae hujusmodi statum religiosum velint eligere, nec adsint bona unde postea ali possint, ut in quantum fieri potest, voluntas dictae D. Barbarae adimpleatur, idem Illmus auctoritate tam ordinaria, quam facultate a sacris Summorum Pontificum sanctionibus ac Conciliis, ac omni meliori modo etc. *ad Dei et Beatae Mariae Virginis Assumptae gloriam et honorem, aedes ac domum praefatam in Monasterium erexit et instituit, ac erigit et instituit, et sic erectum et institutum cum Ecclesia, claustro, dormitorio et aliis requi-*

sitis perpetuo PUELLIS *et Monialibus supradicti* LOCI ORPHANARUM *assignavit* sub invocatione S. Mariae Assumptae, *easdem* PUELLAS *et Moniales* ad idem Monasterium ut supra erectum et institutum *cum omnibus illarum bonis, facultatibus, suppellectilibus, utensiliis*, paramentis, ornamentis et rebus ejusdem loci, nec non cum regulis, constitutionibus et capitulis suis *in eisdem terminis, ac statu, in quibus ad praesens reperiuntur,* ET NON ALIAS etc. *trasfert* ac illuc pro translatis haberi vult, et mandat causis et rationibus supra enunciatis, ac aliis animarum Dom. Suae Illmae, et Revmae moventibus. *Voluit autem et mandavit* D. S. Illma *quod si futuris temporibus aliqua vidua,* quae semper fuerit bonae famae et probatis moribus, *voluerit hunc pium locum ingredi, recipiatur* salvis regulis super hac re edendis *adveniente casu etc.* Et ita erexit istituit, constituit et transtulit singula singulis etc. non solum etc., sed omni etc.

Actum Recineti in Palatio Episcopali in Sala audientiae D. S. Illmae et Revmae, praesentibus Perillustribus et Ad. RR. DD. Guidotto Baldutio de Vulsinio, et Vincentio Cuncio San Savinatense familiaribus et continuis commensalibus dicti Illmi testibus etc.

Ego Camillus Praetioctus Notarius et Cancellarius Episcopalis.

CL.

1631. 23. April.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

In supremo Apostolicae Dignitatis culmine, meritis licet imparibus, Divina dispositione constituti circa Ecclesiasticarum quomodolibet, praesertim Cathedralis, ac personarum in illis divinis officiis intervenientium, et deservientium statum nostrae considerationis intuitum libenter convertimus, et ne propter fructuum, ac distributionum quotidianarum, Canonicatuum, et Praebendarum, ac aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum defectum, seu tenuitatem Ecclesiae aliquod in divinis patiantur dispendium, opem, et operam libenter conferimus, ac in his more pii Patris officii nostri partes favorabiliter interponimus, cum et Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Ecclesiarum Praesulum vota id a nobis exposcunt, et conspicimus in Domino salubriter expedire; Sane dilectus filius noster Julius tituli S. Mariae supra Minervam Praesbyter Cardinalis Roma nuncupatus Ecclesiae Recinetensis ex concessione, et dispensatione Apostolica, precibus dilectorum filiorum Capituli, et Canonicorum dictae Ecclesiae, ac Dignitatum in ea obtinentium, ac Mercatorum nuncupatorum, et S. Luciae, ac S. Jacobi, nec non S. Mariae de Castro novo nuncupatorum etiam Recineten. canonice erectarum, et institutarum Confraternitatum Confratrum, nobis nuper exponere fecit, quod cum Ca-

nonici, et Praebendae, ac Dignitates, Praepositura excepta, dictae Ecclesiae Recineten. adeo tenuis substentur redditibus, ut illos, et illas pro tempore obtinentes ex illis juxta eorum status exigentiam manuteneri nequeant, ac stante redditiuum tenuitate apud eamdem Ecclesiam Recinetensem personaliter residere, divinisque laudibus, et officiis assistere non venit, in non modicum ejusdem Ecclesiae Recinetensis dedecus, ac divini cultus in illa detrimentum, idque provide animadvertentes dicti Confratres, redditiuumque hujusmodi tenuitatem aliqua ratione sublevare, ac cultum divinum, numerumque interessentium horis canonicis diurnis, et nocturnis augere, nec non Canonicos dictae Ecclesiae Recinetensis, et dignitates in ea obtinentes, mediante aliquo subventionis auxilio ad Residentiam personalem apud dictam Ecclesiam Recinetensem faciendam allicere, aliasque ipsius Ecclesiae, et Civitatis Recinetensis decori, ac Christifidelium spirtuali consolationi' felici quoque, et prospero ejusdem Ecclesiae Recinetensis servitio, statui, et directioni opportune consulere volentes, piisque, et laudabilibus D. Julii Cardinalis, et Praesulis petitionibus desuper factis annuentes, ad infrascriptam cum dictis Capitulis, et Canonicis, ac Dignitatibus in ea obtinentibus sub nostro, et Sedis Apostolicae Beneplacito devenerunt conventionem, per quam videlicet moderni Confratres Confraternitatum praedictarum, tam suis, quam Successorum suorum, earumdem Confraternitatum Confratrum pro tempore existentium nominibus Mercatorum, et ad quos Juspatronatus Laicale, et praesentandi personas idoneas ad unum sub S. Catharinae, et ad aliud sub ejusdem S. Catharinae, alias SS. Philippi et Jacobi, aliudque sub S. Joannis in platea nuncupatum, atque aliud sub S. Juliani, et aliud sub S. Margaritae Virginis, et Martyris, aliudque sub S. Martini, nec non aliud sub SS. Petri, et Pauli in dicta Ecclesia Recinetensi, ac aliud sub S. Salvatoris, et aliud sub S. Catharinae invocationibus in S. Maria Montis Morelli, Recinetensis Dioecesis, respective Ecclesiis perpetua simplicia Benificia Ecclesiastica, ac sine cura Ecclesiam, sive Cappellam S. Petri etiam Recinetensis. S. Luciae vero ad quos juspatronatus similiter, et praesentandi personas ad S. Antonii ejusdem Montis Morelli una cum Praeposito dictae Ecclesiae Recinetensis, ac S. Mariae de Laureto nuncupatae sine cura Cappellas, nec non perpetuum simplex Beneficium Ecclesiasticum sub invocatione Sancti Claudii in Ecclesia S. Mariae Castrinovi dictae Dioecesis. S. Jacobi autem, ad quos juspatronatus similiter Laicale, et praesentandi personas idoneas unum sub S. Mariae Magdalenae, et S. Alberti, ac aliud sub S. Matthei Bovi nuncupatum, nec non una cum illis de Gherarduccis reliquum perpetua simplicia Beneficia Ecclesiastica sub S. Angeli in monte nuncupat. invocationibus in dicta Ecclesia Recinetensi, ac sine cura Cappellam S. Joannis Baptistae dicti loci Montis Morelli. S. Mariae autem

Confraternitatum Confratres hujusmodi, ad quos juspatronatus pariter laicale, et praesentandi personas idoneas ad perpetuum simplex Beneficium Ecclesiasticum sub invocationibus S. Joannis Evangelistae in Ecclesia S. Mariae, nec non sine cura Cappellam S. Barnabae Apostoli Castrinovi dictae Dioecesis, quae omnia personalem Residentiam non requirunt respective, ex eorumdem Beneficiorum, et Cappellarum fundatione, seu dotatione spectare dignoscuntur, occurrente Beneficiorum, ac sine cura Ecclesiarum, seu Cappellarum hujusmodi, aut alicujus eorum vacatione ad illam, seu illas pro tempore quomodolibet vacantia, seu vacantes aliquem ex Canonicis dictae Ecclesiae Recinetensis, seu Dignitates in ea obtinentes, in Civitate Recinetensi oriundi, Praeposito tamen dictae Ecclesiae Recinetensis semper excepto, privative quoad quosvis alios Ordinario Loci pro tempore existenti, infra tamen tempus patronis laicis ad praesentandum a jure praefixum, praesentare debeant; Ita quod si fructus, redditus, et proventus Beneficii, ad quod quemlibet ex Canonicis, seu Dignitates obtinentes hujusmodi pro tempore praesentari contigerit ad valorem annuum centum ad minus scutorum monetae annuatim non ascendant, ipse sic praesentatus occurrente alterius, seu aliorum Beneficiorum successive vacatione, ad illud, seu illa, donec eorum omnium insimul fructus ad centum scutorum valorem annuum hujusmodi ascendant, dummodo tamen centum et triginta scuta similia insimul annuatim non excedant, praesentari, et ad praesentationem hujusmodi in eisdem Beneficiis, quae invicem perpetuo canonice unita intelligantur, ac censeantur, seu uniri debeant, et ex tunc deinceps, uti unita uni soli ex Canonicis, seu Dignitatibus hujusmodi obtinentibus ad praesentationem praedictorum Confratrum, et Patronorum respective conferantur, per Ordinarium Loci institui possit, et debeat, quodque omnia, et singula Beneficia praedicta nullo unquam tempore ad aliorum, quam Canonicorum, et Dignitates obtinentium praedictorum favorem quomodolibet resignari ipsique Confratres, et Patroni resignationibus eorumdem Beneficiorum, alias, quam ad favorem Canonicorum, et Dignitatum obtinentium faciendum suum assensum nullatenus praestare possint, aut debeant, cum hoc etiam, quod si ad unum, seu plura insimul, ut praefertur ante Beneficia valoris supra expressi, quempiam ex Canonicis, seu Dignitates obtinentibus hujusmodi jam tunc aliud Beneficium obtinendum praesentari contingerit in illo, seu illis antea institui non debeat, quoad Beneficium obtinendum hujusmodi vere, realiter, et cum effectu dimiserit, ad hoc ut ministerium Ecclesiasticorum, et servientium Ecclesiis numerus non imminuatur, sed potius augeatur. Quodque si tempore vacationis Beneficiorum hujusmodi, seu alicujus eorum nullus Canonicus, seu Dignitates obtinens ex Civitate, vel Dioecesi Recinetensi oriundus non sit, et eo casu pro illa vice tantum

Confratres, et Patroni praedicti ad Beneficium tunc vacans, seu Beneficia tunc vacantia alium, seu alios, et de gremio, seu numero Canonicorum, seu Dignitatum obtinentium hujusmodi non existentium praesentari valeant, cum hoc similiter, quod illi ex Canonicis, seu Dignitatibus obtinentibus hujusmodi, quibus de Beneficiis praedictis ad presentationem eorumdem Confratrum, supra pro tempore provisum fuerit, unam in S. Joannis Evangelistae de mense Decembris, et alteram tertiam partem fructuum Beneficiorum eorumdem in Nativitate S. Joannis Baptistae de mense Junii festivitatibus anticipate quotannis, in manibus Sindici Capituli ipsius Ecclesiae Recinetensis pro usu Distributionum quotidianarum inter Canonicos, et Dignitates obtinentes praedictas divinis officiis, et Horis canonicis in eadem Ecclesia Recinetensi recitandis, et decantandis annuatim, juxta providam ab eisdem Canonicis, et Dignitates obtinentibus faciendam, et ab Ordinario approbandam ordinationem dividendarum, et repartiendarum deponi; ac portio Distributionum per Canonicos, et Dignitates obtinentes divinis Officiis infirmitatis, aut alio legitimo, de quo doceri debent, cessante impedimento, non interessentes amittendarum, Sacristiae ejusdem Ecclesiae Recinetensis pro ejus necessitatibus, seu usibus necessariis applicari debeat, et alias, prout in conventione hujusmodi, ac scriptura desuper confectis plenius dicitur contineri; cum autem sicut eadem petitio subjungebat conventio hujusmodi pro divini cultus dictae Ecclesiae Recinetensis augumento, et ipsis Ecclesiis Recinetensibus decore factum esse dignoscuntur. Quare idem Julius Cardinalis nominibus supradictis nobis humiliter supplicavit, quatenus conventionem praedictam, ac desuper confectam scripturam, et in eis contenta, quae cum per licita tamen, et honesta, ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, quotiescumque, et quandocumque Beneficia, et Cappellas hujusmodi, et eorum singula processum, et decessum, aut matrimonii contractum, vel Religionis ingressum, aut privationem, sive quamvis aliam dimissionem, vel amissionem illa nunc, pro tempore obtinentia, seu alio quovis modo vacari contigerit, ad illa sic vacantia verificantis prius coram Ordinario Loci jurispatronatus ex fundatione, vel dotatione hujusmodi Canonici dictae Ecclesiae Recinetensi, ac Dignitates in ea, Praepositum praedictum ut praefertur exceptum, obtinentes ex civitate, vel Dioecesi Recinetensi oriundi privative quoad alios infra tempus ad id a jure praefixum, ut praefertur praesentari, et in eisdem Beneficiis, et Cappellis ad praesentationem hujusmodi per Ordinarium praedictum institui possint, et debeant, ac omnes, et singulae praesentationes, institutiones, provisiones, et quaevis aliae dispositiones de eisdem Beneficiis aliter quam, ut praefertur, et per nos, et alios Romanos Pontifices Successores nostros canonice intrantes, et sedentes

etiam motu proprio, et ex certa scientia etiam cum quibusvis derogationibus, ac clausulis etiam efficacissimis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, et aliis Decretis, ac etiam Loci ordinationibus pro tempore quomodolibet factis nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti sint, et esse censeantur; dummodo ex praescripto ejusdem fundationis, vel dotationis Beneficii, et Cappellae hujusmodi Clericis, seu Praesbyteris de parentela, seu familia illorum fundatorum oriundis, aut alio certo generi personarum nominatim, et expresse affectae, et destinatae non sint; ac Praepositi dictae Ecclesiae Recinetensis, et illorum de Gherarducciis, quoad illorum interesse, ad hoc accedat assensus, et sine aliquo illorum, aut alicujus alterius praejudicio Ecclesiastica auctoritate, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, eisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, et sollemnitatum quamtumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplemus; Decernentes conventiones, et desuper confectas scripturas, et in eis contenta hujusmodi semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, ac fore, ac tam ex Capitulo, et Canonicis, Dignitatesque obtinentibus praedictis, quam pro tempore existentibus dictarum Confraternitatum Confratribus, ac etiam Ordinario Loci pro tempore existente, omnibusque et singulis aliis, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit perpetuo, firmiter, et inviolabiliter observari debere, praesentesque litteras semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore; neque sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, et quoscumque alios Romanos Pontifices, ac Sedem praedictam, ac alias quomodolibet factis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutionis, repositionis, et plenariae reintegrationis, ac denuo etiam sub quacumque posteriori data per Canonicos, et Dignitates obtinentes, nec non Confratres praedictos pro tempore quandocumque eligendi concessum esse, et fore, sicque, et non aliter per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos judicari debere ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, dictaeque Ecclesiae Recinetensis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod per praesentem gratiam Beneficia, et Cappellae hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrua supportentur onera consueta, ac Confratri-

bus, et aliis praedictis circa praesentationes ad ipsa Beneficia, et Cappellas nullum novum jus acquiratur, aut acquisitum esse censeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis Decreti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Nono Kal. Maji Pontificatus nostri anno octavo.

Registrata in Çancellaria Apostolica per D. Felicem de Rotis.

A. Tulphus de Zarano.

CLI.

Archiv. secr. Civitatis Recan.

1637. 22. Junii.

In Dei nomine Amen. Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, indictione quinta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divina providentia Papae octavi. Die vero 22. Mensis Junii.

Illmus et Rmus Dominus Amicus Panicus Maceratensis Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Recanatensis et Lauretanus ad petitionem et supplicationem perillustris Civitatis Recaneti e Palatio suae habitationis se contulit ad Ecclesiam et Conventum S. Joannis Fratrum SS. Barnabae et Ambrosii extra menia Civitatis associatus a Perillustri Domino Peroctio Leopardio uno ex Prioribus dictae civitatis, ac magno civium concursu, et ingressus Ecclesiam, postquam aliquantulum oraverit ante Altare S. Caroli ubi de praesenti asservatur SS. Sacramentum, se contulit ad Altare majus ubi ab immunerabili repositum adest Corpus, prout asseritur, Beati Placidi, qui fuit et est in maxima hujus Civitatis, totius Provinciae, ac etiam regionum longinquarum veneratione, et cum dictum Corpus in locum decentiorem reponi debeat. Ideo Dominatio Sua Illma mandavit ad praesentiam supradictorum, ac etiam Illustrium DD. Mutii Masii et Curii Condulmarii Deputatorum dictae Civitatis aperiri cratem ferream, quae est in summitate et planitie Altaris, prout illico aperta fuit cum duabus clavibus, quarum altera fuit data per suprascriptum Perillustrem Dominum Peroctium Priorem, et altera per Patrem Priorem dicti Conventus, penes quos claves praedictae conservantur, et postmodum eademmet cratis ferrea fuit amota una cum alia crate ferrea parva, quae est prope Corpus dicti Beati Placidi, et in pariete in forma antri seu fornicis fuit repertum Corpus supradicti B. Placidi velo albi coloris coopertum, quod ut commodius amoveri possit, mandavit destrui totum Altare et solo adaequari, prout exequutum fuit: deinde mandavit per Admodum Reverendos Patres Obe-

dientem de Gabrielis, et Cardolum Capitostum Visitatorem et Priorem respective dicti Conventus amoveri a loco in quo dictum Corpus jacebat, et in capsa ex ligno cypressino constructa cooperta ex parte interiori tela serica rubei coloris reponi, prout immediate exequutum fuit, et quia construi debet novum Altare ex lapidibus aere publico, statuit per modum provisionis dictam capsam claudi quinque clavis ferreis, eamque ligari funiculis lineis apponendo prout appositum fuit sigillum D. suae Illmae in cera rubea Hispaniarum a parte superiori capsae praedictae quatuor in locis, et alterum sigillum cum eadem cera in loco serrae per me Notarium et Cancellarium infrascriptum, dictaque capsa sic sigillis munita fuit translata in quandam cellam quae est in ordine prima a capite dormitorii inter meridiem, et ponentem ad effectum asservandi ibi donec et quousque fuerit constructum suprascriptum lapideum Altare et postea ejusdem cellae fuerunt clausae fenestra et duo ostia, quae fenestra et ostia fuerunt cum eodem sigillo munita pro securitate ejusdem Corporis B. Placidi, clavisque portae primariae fuit consignata Illustribus Dominis Mutio Masio et Curio Condulmario deputatis pro constructione dicti Altaris pro dicta perillustri Civitate. Quibus peractis D. Sua Illma unacum Perillustri Magistratu et quampluribus aliis civibus e dicto Conventu discessit, et ad Palatium Episcopale se contulit animo etc.

Acta fuere supradicta omnia in Ecclesia supradicta, et in cella, de qua supra fit mentio, situata extra moenia dictae Civitatis, praesentibus ibidem supradictis Reverendis Patribus Visitatore et Priore DD. Deputatis, nec non Illustr. et Admodum Reverendis Dominis Cononico Vincentio Tribbiani, et Antonio Jacobo Condulmario Magistro Caeremoniarum dicti Illustrissimi testibus ad praedicta omnia vocatis etc.

Die 23. mensis Junii 1637.

Illmus, et Revmus D. Episcopus supradictus associatus post Vesperas a Perilustri Magistratu, nec non a Perill. et Admodum RR. DD. Antonio francisco Massuccio Decano aliisque DD. Canonicis et Altaristis discessit a suo Palatio Episcopali, et se contulit ad Ecclesiam praedictam S. Joannis ubi ingressus et postquam aliquantulum oravit ante SS. Sacramentum discessit, et associatus ut supra ingressus fuit Conventum, et perventus ad ostium Cellae, ubi reposita fuerat capsa in qua asservatur Corpus B. Placidi quod ostium cum fuerit repertum clausum eo modo et forma prout relictum fuerat, mandavit per Ill. D. Mutium Deputatum, penes quem aderat clavis dictae cellae, aperiri. Quo aperto dictus Illmus D. Episcopus adinvenit omnia eis modo et forma quibus hesterna die reliquit, et cum eisdem signis et contrasignis: deinde mandavit per supradictos Patres vi-

sitatorem et Priorem dicti Conventus sumi capsam, de qua supra ad effectum claudendi eam in Altari majori noviter aere publico constructo, et dum portaretur Clerus et Cantores processionaliter incedentes canebant Te Deum laudamus, et cum perventum fuit ad Ecclesiam, supradicta capsa posita fuit super Altari majori, et facta per me Notarium et Cancellarium infrascriptum ad praesentiam Perill. D. Peroctii Leopardi Prioris, ac Ill. DD. Mutii Masii Deputati, et Fabritii Lepretti recognitione sigillorum, quibus munita fuit hesterna die dicta capsa, amotisque ab ea dictis sigillis mandavit eandem poni in medio Altaris noviter constructi, prout posita fuit etc. postmodumque fuit impositus lapis superior dicti Altaris, ita ut amplius a dicto loco capsa praedicta amoveri non possit. Reliquum quod erat clavium consignatio, clavis ejusdemmet capsae fuit de mandato D. Suae Illmae consignata Perill. Domino Peroctio Leopardo Priori supradicto, aliae duae claves quae sunt in crate ferrea deaurata a parte anteriori Altaris introclusa in lapide ornato cum tribus insignibus aereis videlicet ex parte dextera dicti lapidis Eminentissimi et Revmi D. Cardinalis Romae olim Episcopi, a parte sinistra Illmi et Revmi D. Amici Panici Episcopi in praesentiarum dictae Civitatis, ac a parte inferiori in medio Perillustris Communitatis Recaneti, altera fuit consignata supradicto D. Peroctio Leopardo Priori, et altera admodum Reverendo Patri Priori dicti Conventus, ita ut eaedem claves modo praedicto perpetuis futuris temporibus conserventur. Quibus omnibus peractis D. S. Illma associata ut supra discessit et se contulit ad suas mansiones etc.

Acta fuere praedicta omnia in locis supra designatis praesentibus Perill. et adm. Reverendo Domino Antonio francisco Massuccio Decano, ac Perillustr. DD. Capitaneo Caesare de Anticis, Thoma Massuccio, Francisco Flaminio, et Dominico Venerio testibus etc.

Et quia ego Marinus de Marinis de Recaneto publicus Apostolica auctoritate Notarius et judex ordinarius, et ad praesens dictae Civitatis Cancellarius Episcopalis supradictis omnibus interfui, et praesens fui, eaque rogatus scribere scripsi et publicavi, meoque solito signo signavi requisitus etc.

Signum L. S. Mei Marini de Marinis Notarii publici et Cancellarii supradicti.

CLII.

Ex Archivo Episcopali.

1725. 22. Januar.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

In Apostolicae potestatis plenitudine nullo licet meritorum nostrorum suffragio, sed solum per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam constituti circa ea, quae ad Ecclesiarum quarumlibet praesertim Cathedralium

decorem, et venustatem, ac Personarum in eis divinis laudibus, et officiis insistentium honoris incrementum pertinere noscuntur propensis studiis intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, et ad justa, ac honesta petentium vota aures exauditionis libenter inflectimus, eaque favoribus, et gratiis prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum Filiorum modernorum Praepositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, et Decani, necnon Canonicorum et Beneficiatorum Ecclesiae Recanatensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ipsa Ecclesia Sancto Flaviano Patriarchae Constantinopolitano, qui pro defensione Fidei Catholicae sanguinem, et vitam fudit dicata in suis structuris ampla et lacunare deaurato, ac apside, et magnifico choro, et organis decorata, nec non paramentis et sacris suppellectilibus, ac vasis, et candelabris, aliisque rebus argenteis ad cultum divinum necessariis pro majori parte magnificentia, et liberalitate Venerabilis Fratris nostri Laurentii Gherardi moderni Recanaten., et Lauretan. Episcopi elargitis locupletata, variisque Sanctorum Reliquiis, inter quas praecipua Crucis Dominicae pars una cum Spina de Corona sacro Salvatoris Capiti innixa, ac particula Vestis inconsutilis, ejusque Sancti Flaviani Martyris dictae Ecclesiae Titularis Brachium, nec non Sandalia Sancti Francisci cum impressione sanguinis Sacrorum Stigmatum in argenteis thecis decenter asservantur, pluribusque aliis insignita existat, et in ea quatuor Dignitates, videlicet Praepositura post Pontificalem major, Archidiaconatus secunda, Archipresbyteratus tertia, et Decanatus quarta, nec non quatuordecim Canonicatus, totidemque Praebendae, quarum duae una videlicet Theologalis, altera vero Poenitentiaria existunt fundatae, et fundati reperiantur, quas, et quos pro tempore obtinentes illius Capitulum constituunt, et ulterius in ea Collegium duodecim Beneficiatorum Choro inservientium institutum existat, qui omnes insimul Missas, atque horas canonicas, aliaque divina officia celebrantes, et decantantes continuo Altissimo praestant famulatum; Et licet ipsa Ecclesia in sua Cathedralitate antiquissima existat, attamen Dignitates, ac Canonicatus et Praebendae hujusmodi, nec non duodecim perpetua Beneficia simplicia Ecclesiastica Beneficiatus nuncupata in ea respective obtinentes nullis adhuc insigniis decorati reperiantur; Proptereaque moderni Praepositus, Archidiaconus, Archipresbyter, et Decanus, nec non Canonici. et Beneficiati pro majori ejusdem Ecclesiae decore plurimum cupiant eis per Nos, ut infra benigne indulgeri. Quare pro parte modernorum Praepositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, et Decani, nec non Canonicorum, et Beneficiatorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus majori ipsius Ecclesiae decori, et divini Cultus in ea incremento opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur, qui Ecclesiarum

quarumlibet praesertim Cathedralium decorem, et venustatem sedulo procuramus, ac Personarum in eis Altissimo famulantium votis annuere paternis, et sinceris desideramus affectibus, modernis Praeposito, Archidiacono, Archipresbytero, et Decano, nec non Canonicis, et Beneficiatis praedictis specialem gratiam facere volentes, ipsosque, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem modernis Praeposito, Archidiacono, Archipresbytero, et Decano, nec non Canonicis, et Beneficiatis, eorumque in Praepositura, et Archidiaconatu, ac Archipresbyteratu, et Decanatu, nec non Canonicatibus, et Praebendis hujusmodi, ac Beneficiis praedictis respective Successoribus pro tempore existentibus, ut ipsi, et eorum singuli, eorumque respective Successores praedicti de coetero perpetuis futuris temporibus, Praepositus videlicet, nec non Archidiaconus, et Archipresbyter, et Decanus, ac Canonici praedicti *Cappam magnam ad instar Capitulorum aliarum Cathedralium Ecclesiarum illarum partium cum pellibus armellinis albi coloris hiemali, aestivo vero temporibus Mozzettam violacei coloris supra Cottam, seu Rocchettum; Beneficiati vero praedicti Cappam seu Capputium cum pellibus dossinis, seu cinericiis supra Rocchettum absque manicis etiam hiemali, aestivo vero temporibus Cottam ad instar dilectorum similiter filiorum Beneficiatorum pariter aliarum Cathedralium Ecclesiarum illarum partium, et signanter Cathedralis Ecclesiae Lauretan.* tam in dicta Ecclesia Recanaten., quam extra eam etiam in Processionibus, et Funeralibus, omnibusque aliis actibus Capitularibus, aliisque Functionibus etiam publicis, et privatis, ac similiter extra Civitatem Recanaten., et ubicumque locorum, etiam in Synodalibus, Provincialibus, et Generalibus Conciliis, ac etiam in praesentia Venerabilium etiam Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, Archiepiscoporum, ac Ordinarii etiam proprii, et aliorum quorumque semper, et quandocunque, quibuscunque anni temporibus, et diebus respective deferre, et gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, Apostolica authoritate tenore praesentium perpetuo concedimus, et indulgemus, ac modernos Praepositum, Archidiaconum, Archipresbyterum, et Decanum, nec non Canonicos, et Beneficiatos praedictos, eorumque respective Successores praedictos desuper a quoquam quavis authoritate, et quovis pretextu, colore, vel ingenio publice, vel occulte, directe, vel indirecte molestari, inquietari, vel perturbari nullatenus unquam posse, neque debere, sicque, et non alias per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis authoritate

fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, et Sedis Apostolicae Nuntios, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, et ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus quibusvis etiam in eisdem, et aliis Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Ecclesiae Recanaten. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis dictae Ecclesiae Recanaten., illiusque Praesuli, et aliis quibusvis Superioribus, et personis in contrarium eorumdem praemissorum quomodolibet factis, concessis, approbatis, et innovatis, quibus et omnibus singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenore, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, et insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat speciali, et expresse delatissime, et plenissime derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo, vigesimoquinto, undecimo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno undecimo.

A. Marianus Lesen Scriptor
Reg. L. Martinettus.

CLIII.

1783. 9. Septemb.

In Signatura Gratiae habita coram SSmo D. N. Papa Pio VI
die martis 9. Septembris 1783.
R. P. Litta — Lauretana

Circumscripta Sententia Secretarii Congregationis Lauretanae Causam spectare ad Episcopum, qui procedat jure ordinario, declarando Congregationem praedictam habere in spiritualibus tantummodo jurisdictionem quasi Episcopalem intra fines Territorii S. Cappellae designatos in Constitutione Pauli Quinti, nec non super rebus ad eandem Cappellam pertinentibus, et in personas praefatae Cappellae addictas in concernentibus eorum ministerium; ita ut in his causis teneatur Episcopus procedere

jure delegato ad formam Constitutionis Innocentii XII, in reliquis autem uti possit sua jurisdictione ordinaria, non obstante Synopsi Benedicti XIV, aliisque Pontificiis Constitutionibus, Decretis, et Ordinibus in iis partibus, quae huic nostro Rescripto quomodolibet adversantur.

CLIV.

E tabulario R.mi Capituli Recanat.

1801. 10. Julii.

In Nomine Domini Amen

Cunctis ubique sit notum quod Anno a Nativitate Dñi Nostri Jesu Christi MDCCCI. Die vero 10. Mensis Julij Poñtus autem SSmi Dñi Nostri Dñi Pij PP. VII. Anno ejus secundo Ego Officialis deputatus vidi et legi quasdam Litteras Apostolicas sub plumbo expeditas tenoris sequentis videlicet — Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad Perpetuam rei memoriam — Ad Apostolicae Dignitatis fastigium, divina favente Clementia, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quae Divinus Cultus adaugeatur, ac Ministri Ecclesiastici, qui in Ecclesie Catholice vicissitudinibus preclarum Religionis, et Charitatis specimen dederunt Novis honoribus, et prerogativis decorentur, maxime dum id in majorem eorumdem Ecclesiasticorum Virorum honorem tendere speramus, libenti animo concedere non pretermittimus, prout arbitramur in Dño salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum Praepositi, et Archidiaconi, ac Archipresbyteri, et Decani, ac Canonicorum Majoris Ecclesiae Recanaten. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum dicta major Ecclesia, que Deo in honorem Divi Flaviani Patriarche Constantinopolitan. dicte Civitatis Principis Patroni dicata a primis usque seculis suam trahit originem, prout ex qualitate ipsius structure Basilice vestigia preferentis immemorabilis illius antiquitas concipitur, tum antiquitate illius fundationis, tum celebritate fame adeo insignis existat, ut primum inter ceteras illarum partium Cathedrales Ecclesias optimo quidem jure locum sibi vindicare videatur. Ipsa enim Episcopalis Sedes preclara quamplurimorum Antistitum serie, quos inter Sex Sancte Romane Ecclesie Cardinales adnumerantur, elucens sui splendoris complementum sumpsit ab Administratione, quam de Ipsa Sede tenuit Gregorius Decimus secundus Predecessor Noster, qui post dimissum ab eo libere Summi Apostolatus Officium, cui fuerat assumptus, et Legatus Marchie, et una simul Administrator ipsius Recanaten. Ecclesie creatus, apud Ipsam Recanatensem Ecclesiam semper resedit, et postquam de Anno Domini Millesimo Quadrigentesimo Decimo septimo ab hac luce migravit, in prefata majori Ecclesia sepultus fuit. In prefata insuper Majori Ecclesia, a qua Maceraten., et Lauretan. respective

Episcopales Sedes suam ducunt originem, extat Cappella, in qua Brachium, et ossa predicti Divi Flaviani, ac duodecim Sanctorum Martyrum corpora, ac quamplurima eorumdem Sanctorum Reliquie, quarum nonnulle vere Insignes, scilicet particule quedam Ligni SSme Crucis Domini nostri Jesu Christi, et presertim dimidiam partis illius particule Crucis, quam Beatus Petrus Martyr in Platea prefate Civitatis Recanaten. verbum Dei ad Hereticos predicans, ut eos confunderet in medio flammarum injecit, queque illesa remansit, ac una ex ejusdem Salvatoris Nostri Corone Spina, particula Vestis inconsutilis, aliaque illius Passionis Instrumenta a predicto Gregorio Predecessore Nostro eidem Majori Ecclesiae elargita pie decenterque asservantur; Nec parum decoris, et honorificentie eidem Majori Ecclesiae superaddidit Translatio Alme Domus de Nazaret a plurimis usque seculis inibi mirifice collocata, que tunc existentium Episcoporum, et Capituli, ac Canonicorum Recanaten. jurisdictioni extitit obnoxia: Ipsius autem Majoris Ecclesie Capitulum uno Preposito unam Prepositurum inibi post Pontificalem Majorem, ac Archidiacono, Archidiaconatum secundam, et Archipresbytero, Archipresbyteratum Tertiam, ac Decano, Decanatum Quartam inibi Dignitates, ac quatuordecim Canonicis totidem Canonicatus, paresque Prebendas, ac quatuor preter duodecim Beneficiatorum, seu Altaristarum Collegium Beneficiatis totidem perpetua simplicia, et personalem residentiam requirentia Beneficia Ecclesiastica in ea respective obtinentibus componitur, qui omnes Indulto deferendi scilicet Cappam magnam hyemali, estivo vero temporibus Mozzettam violacei coloris Apostolica sibi Auctoritate concesso gaudentes dicte Majori Ecclesie cum Seminarii Puerorum Ecclesiastici in dicta Civitate erecti Alumnis Ecclesiasticis functionibus in ea maximo cum decore, et majestate celebrare consuetis intervenientibus laudabiliter deserviunt. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat moderni Prepositus, et Archidiaconus, ac Archipresbyter, et Decanus, nec non Canonici dicte Majoris Ecclesie in proximis transactis vicissitudinibus preclarum Religionis, et Charitatis specimen dederint, quia licet Ipsi propriis redditibus pene prorsus orbati, eorum tamen Ecclesiam publice omnium Christifidelium venerationi patere, propriisque sumptibus omnes sacras functiones, ut antea, exercere, ac insuper omnia alia pietatis, et Charitatis opera, que in aliis prefate Recanaten. Ecclesiis tunc in prophanos usus redactis peragebantur, maxima cum populi edificatione, et animarum eorumdem Christifidelium utilitate adimplere, Sacrasque eorumdem Sanctorum Exuvias una cum Sacris Imaginibus, Iconibus, suppellectilibusque quamplurimis ad predictas Ecclesias pertinentes per eos collatos in tutum collocare, ac fideliter diligenterque asservare curarunt, proptereaque attentis premissis eorum Major Ecclesia predicta digna videatur, ut specialibus prerogativis, et gratiarum muneri-

bus Individuis illius Capitulum componentibus Sedis Apostolice benignitate elargiendis cumuletur. Quare pro parte dictorum modernorum Prepositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, et Decani, ac Canonicorum predictorum fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus eis in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui quantum cum Domino possumus, piis Ecclesiasticarum Personarum precipue Altissimo inservientium desideriis libenter annuimus, modernos Prepositum, Archidiaconum, Archipresbyterum, et Decanum, ac Canonicos predictos specialis gratie favore prosequi volentes, ipsosque, et eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati modernis, et pro tempore existentibus Preposito, et Archidiacono, ac Archipresbytero, et Decano, ac quatuordecim dicte Majoris Ecclesie Recanaten. Canonicis, ut Ipsi, eorumque in dictis Dignitatibus, singulisque Canonicatibus, et Prebendis respective Successores in Missarum etiam solemnium celebratione Canonem, et Lycneolum, seu Palmarium, vulgo Bugìa tam in Missis privatis, quam in omnibus aliis functionibus Ecclesiasticis adhibere, ac insuper ne tanti, ut prefertur, relati Miraculi a predicto Divo Petro Martyre patrati, memoria pereat, ut ipsi Crucem lamine auri elaboratam a recta ejus parte Imaginem Beate Marie Virginis supra Domum Nazaret sedentis cum Epigraphe. — Non fecit taliter omni Nationi — a parte vero inversa Divi Flaviani respective Imagines preseferentem cum Epigraphe — Protector noster aspice et respice — juxta formam in Calce presentium delineatam cum cordula serica nigri coloris, non tamen auro intexta de collo ante pectus descendentem, que tam forma, quam magnitudine a Crucibus Episcopalibus differat, et sit absque Sacrarum Reliquiarum custodia vulgo Sepulchrino nuncupat. supra Vestes Chorales, et ubique, non tamen super Paramenta sacra deferre. Ac demum Preposito, et Archidiacono, ac Archipresbytero et Decano prefatis tantum, eorumque in Prepositura, et Archidiaconatu, et Archipresbyteratu, et Decanatu hujusmodi Successoribus predictis, ut ipsi Vestem Talarem vulgo Subtanam sericam estivo, hiemali vero temporibus laneam violacei coloris cum asulis, et globulis etiam sericis cremesini coloris, ac ornatu vulgo Mostre pariter serico dicti Cremesini coloris super manicis in illius extremitate respective ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam in dicta Majori Ecclesia, quam in illius Choro, et Capitulo, ac inter Missarum, et horarum Canonicarum diurnarum pariter et nocturnarum, aliorumque Divinorum Officiorum ce-

lebrationem, quam etiam extra predictam Majorem Ecclesiam in Processionibus, aliisque functionibus, et actis Capitularibus tam publicis, quam privatis, ac alias quandocumque, ubicumque, et quotiescumque opus fuerit, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibus Conciliis, et in presentia Venerabilium Fratrum Nostrorum Sancte Romane Ecclesie Cardinalium etiam de Latere Legatorum, et Vicelegatorum, ac Nostri, et Sedis Apostolice Nunciorum Archiepiscoporum, et Episcoporum, et Ordinarii etiam proprii respective deferre, et gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, Apostolica Auctoritate tenore presentium perpetuo concedimus, et indulgemus, Ipsosque modernos, et pro tempore existentes Prepositum, et Archidiaconum, ac Archipresbyterum, et Decanum, ac Canonicos predicte Majoris Ecclesie super premissis a quoquam quavis auctoritate, et quovis pretextu, colore, et ingenio molestari, inquietari, perturbari, vel impediri nullatenus unquam posse, neque debere, ac easdem presentes nullo unquam tempore ex quocumque capite quantumvis juridico, et legitimo de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostre, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari, seu per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam predictam, seu ejusdem Sancte Romane Ecclesie Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, dicteque Sedis Nuncios prefatos, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes, seu Dignitate, honore, et prerogativa fulgentes revocari, suspendi, limitari, ad viam et terminos juris reduci, seu adversus illos restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, vel facti, justitie, vel gratie remedium impetrari, aut etiam Motu proprio, et plenitudine potestatis concedi, ac illis in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullo unquam tempore posse, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ut prefertur, vel alias quomodolibet etiam per Cancellarie Apostolice regulas, aut Constitutiones Apostolicas pro tempore factis, et faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties ille emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori Data per dictos modernos, et pro tempore existentes Prepositum, ac Archidiaconum, ac Archipresbyterum, et Decanum, nec non quatuordecim Canonicos dicte Majoris Ecclesie quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectare poterit, in futurum firmiter, et inviolabiliter observari, eisdem etiam ut prefertur modernis, et pro tempore existentibus

Preposito, ac Archidiacono, et Archipresbytero, et Decano, ac Canonicis predictis semper, et perpetuo suffragari, sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prefate Sancte Romane Ecclesie Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, dicteque Sedis Nuncios prefatos judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus: Non obstantibus quibusvis etiam in eisdem, et aliis Conciliis editis, vel edendis specialibus, Generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, dicte Majoris Ecclesie etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium premissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserti forent eisdem presentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostre absolutionis, concessionis, Indulti, Decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominice millesimo octingentesimo primo Sexto Idus Julii Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Loco ✠ Plumbi

CLV.

1803. 10. Januar.

Illmo e Revmo Sig. Sig. Proñe Colmo

Sono ormai dieci mesi, da che colli assensi di V. S. Illma e Revma fù aperta nel nome del Signore in questa Città quella Casa di Educazione, e di Refugio per le Fanciulle, specialmente povere, ed in particolare per l'Orfane, che sempre si è riconosciuta necessarissima in Loreto, ma che poi con dolore de' buoni non fù mai realizzata, e per la di cui mancanza le Orfane distintamente rimanevano affatto abbandonate, con quelle funeste conseguenze, che V. S. Illma, et Revma più d'ogni altro tanto deplora.

Quelle stesse Persone, e con esso il Sacerdote Pietro Antonio Cristianopulo Canonico di questa Sacrosanta Basilica, che s'interessarono nella prima apertura del novello Orfanotrofio, e Pia Scuola, si sono incessantemente adoperate, onde la doppia benefica Istituzione si andasse di giorno in giorno più sistemando, e le raccolte Orfane, e le altre Fanciulle educate venissero nella pietà, e nei lavori. E poichè la pia Opera non contava da principio, che le piccole risorse derivanti dalle Case, e Censi delle Famiglie Polidori, e Vici donate, perciò studiarono di rinvenire mezzi stabili, onde il Santo Luogo gettare potesse sicuri fondamenti di perpetuità. Non tardò la Divina Provvidenza ad accordar questi, ispirando il Signor Francesco Antonio Simi Romano di disporre, come di fatti dispose, che li Beni tutti da esso goduti, come Erede fiduciario di Marianna Orselli Anfossi, siano dopo la di lui morte applicati al Conservatorio suddetto da canonicamente eriggersi a tempo opportuno. Convalidata la disposizione medesima da benigno venerato Pontificio Rescritto dei 28. Aprile 1802., e da ossequiato relativo esecutoriale Decreto di V. S. Illma e Revma dei 25. Maggio successivo, restò così assicurato alla Pia Opera il fondamento bramato per la perpetua sua sussistenza. Quindi è che per questi, e per altri ajuti, che confidasi presto assicurati alla Pia Opera, e progredendo questa per Divina Misericordia con ottimo successo rapporto alla buona disciplina ed alla educazione cristiana e civile delle Orfane, e delle altre Fanciulle con l' approvazione, e conforto di tutti gli ordini della Città, il Canonico Pietro Antonio Cristianopulo suddetto in nome proprio, e delle accennate Persone fà umilissima istanza a V. S. Illma e Revma, perchè in vista di tutti gli esposti vantaggiosi principj, e delle fondate speranze di più felici successi degnare si voglia di venire alla formale Canonica Erezione dell'Orfanotrofio, e Pia Scuola sotto il titolo della SSma Annunziata, e de Santi Gaetano, e Girolamo Emiliani, attribuendo alla doppia Pia Opera tutti gli onori, e grazie, e privilegj competenti a tali, e consimili Luoghi Pii, supplicando altresì il Canonico, e le Persone medesime, affinchè seguita che sia l'Erezione implorata, voglia Ella dichiarare il Santo Luogo sotto l'assoluta dipendenza di V. S. Illma e Revma come Vescovo di Loreto, e de' legittimi Successori Suoi in perpetuo. Che ecc.

Felix Paoli Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Lauretanus, et Recinetensis, SSmi Dni Nostri Papae Praelatus Domesticus, ac Pontificio Solio Assistens.

Quae a peccatis, et a peccatorum periculis Christifidelium animas removent, easque in virtutis viam per justitiae semitas ad Dei gloriam efficaciter ducunt, Pastoralis sollicitudinis approbatione non modo, sed et

laude sunt digna. Nunquam satis deploratum fuit infortunium, quod et in hac Lauretana Civitate, et per Dioecesis Oppida plurimae essent puellae patre orbatae, summa laborantes inopia, nullam callentes artem, quae idcirco utpote omni institutione, et victu destitutae, in vitia praecipites ruerunt. Affulsit Divina tandem Providentia Deum amantium optatis. Reverendus Dominus siquidem Canonicus Petrus Antonius Christianopulo, aliis adstipulantibus bonis, Nobis quidem videntibus, et ob dotis deficientiam expresse probare non audentibus, Conservatorium in domibus ex familia Polidori, et Vici cum alicujus census largitione provenientibus privata quidem aperuit facultate, in quo non tantum Orphanae recipiuntur, sed et aliae puellae et catholicis rudimentis, et temporalibus opificiis instruendae opportunis diei horis admittuntur. Haec, ut Deo erant placita, ipsius consecuta sunt benedictionem, divino quippe afflante Spiritu factum est, ut Franciscus Antonius Simj Romanus bona omnia haereditaria quondam Mariannae Orselli Anfossi, quorum usufructu administrante Reverendo Domino Primicerio Buzi, fruebatur, post sui mortem in Orphanotrophii substentationem adjicienda reliquerit, cujus voluntas sub die 28. Aprilis elapsi anni 1802. a Pio VII Pontifice Optimo Maximo Apostolicae firmitatis robur accepit.

Cum itaque nostrum sit pias hominum institutiones executioni demandare, cum sancti perpetuae manutentioni operis modo sit aliquomodo cautum, cumque alia praestet ex fidelium pietate sperare subsidia, ad praelaudati Canonici Christianopulo preces, ad honestorum Civium vota, ad gemitus pauperum, in honorem ejus, qui super illos intelligit, incoeptum opus complere, atque perficere Nos volentes, matura nostra deliberatione praemissa, Christi nomine invocato, auctoritate nostra ordinaria, omnique alio, quo possumus, modo, via, et jure dictum Conservatorium sub invocatione, et protectione Sanctissimae Annunciationis Beatae Virginis Mariae, et Sanctorum Cajetani, et Hieronymi Aemiliani, in quo pauperes Orphanae recipi, et enutriri, nec non interdiu egenae Civitatis puellae tanquam in Schola pia instrui debeant domi supernunciatae Polidori ac Vici in via Montis Regalis veteris hujus Civitatis sitae libentissime fundamus, instituimus, atque erigimus, et sub legibus sive praescriptis, sive praescribendis pro fundato, atque erecto haberi volumus, et mandamus, illudque sub Nostra, et Successorum Nostrorum immediata atque integra, et omnimoda jurisdictione et potestate perpetuis futuris temporibus pendere jubemus, et declaramus.

Assignantes propterea eidem Orphanotrophio pro dote et Manso primae erectionis praefatam haereditatem Orselli Anfosssi, localem Immunitatem, ceteraque privilegia, quibus de jure gaudere potest, ac debet communicando.

Et ne rerum ordo aliqua confusione turbetur, in primarium Conservatorii Rectorem, et Moderatorem cum facultatibus necessariis, et opportunis ipsum sanctissimi operis aggressorem Canonicum Christianopulo, cujus zelum, charitatem, ac prudentiam perspectam satis habemus, eo libentius eligimus, constituimus, ac deputamus. Et ita, qua supra auctoritate sancimus, firmamus, atque erigimus, et solemne Decretum interponimus erectionis, quod in actis nostrae Curiae, et in construendo Archivio Conservatorii una cum Libro introitus ejusdem, et exitus servari mandamus.

Datum Recineti hac die X. Januarii 1803.

F. Episcopus Lauretanus et Recinetensis

Exuperantius Angelucci Secretarius de mandato.

CLVI.

1803. 1. Julii.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam — In Summo Apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti ad statum Ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum intendentes illarum honorificentiae et decori libenter consulimus. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Capitulum, et Canonici Ecclesiae Basilicae Lauretanae, ipsa Basilica non modo quia intra suos parietes continet Almae Domus Sanctuarium in universo terrarum Orbe celeberrimum emineat, sed etiam Templi majestate, patrimomii amplitudine, Sacrarum Suppellectilium copia, Sacerdotum numero, probitate et scientia, atque Christifidelium eo undique vel ex remotissimis regionibus confluentium frequentia perexcellat, non parum splendoris et ornamenti ad ipsam accederet, et Divinus in ea cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem Basilicae Dignitates, Canonici, et Beneficiati novis praerogativis, novisque decorationibus donentur; Nobis propterea etc. dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes etc. specialibus etc. inclinati, modernis et pro tempore existen. Dignitatibus, Canonicis, Beneficiatis, Clericisque Beneficiatis Basilicae praedictae Mantellettam et Vestem oblongam violaceas cum asulis et globulis ejusdem violacei coloris tam intra, quam extra dictam Ecclesiam in quibusvis functionibus, et actibus publicis quibuscumque, Canonici praedictam Vestem oblongam similiter violaceam intra Ecclesiam predictam atque in Processionibus, et in singulis functionibus Capitularibus dumtaxat gestare: Praeterea Dignitates, et Canonici Crucem ante pectus pendentem cum flocculo nigro tam in Choro, et intra Basilicam, et Civitatem Lauretanam, quam extra eas, ac tandem Beneficiati, Clericique Beneficiati ovale Numisma ante pectus itidem pen-

dens, in quarum et quorum antica Deiparae Lauretanae Imago, in postica vero idem Basilicarum Conopaeum juxta formas Nobis exhibitas sint insculpta pariter deferre, illisque respective uti libere et licite possint et valeant, Auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, et indulgemus, dictosque Dignitates, Canonicos, Beneficiatos, et Clericos Beneficiatos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum etc. attentari decernimus. Non obstan. Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit ejusdem Basilicae etc. statutis, et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die prima Julii Anno millesimo Octingentesimo Tertio Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CLVII.

E tabulario R.mi Capituli Recanat.

1804. 17. Aug.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam. In summo Apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti ad Ecclesiarum omnium statum, quarum Nobis a Deo commissa est cura, propensis studiis animum jugiter adjicientes, illarum honorificentiae, et splendori, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus. Cum itaque, sicut Nobis exponi fecerunt dilecti filii Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Recineten., ipsa Ecclesia antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, Templi majestate, ac nitore, sacrorumque Ministrorum in eo Altissimo famulantium numero, probitate, et doctrina non mediocriter floreat, ac praeterea ipsa Civitas Recineten. singularissimo a Deo beneficio sit affecta, jam ex eo, quod celeberrimum in universo terrarum orbe Sanctuarium, Alma scilicet Domus, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, in ejus Territorium e Dalmatia fuerit divinitus translata, multum splendoris, et ornamenti ad dictam Ecclesiam accederet, atque divinus in ea cultus majora susciperet incrementa, si eadem Cathedralis Ecclesia per Nos aliqua nova illustriori praerogativa donetur. Nobis propterea Capitulum, et Canonici praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eamdem Cathedralem Eccle-

siam Recineten. in Basilicam Minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae Ecclesiae Basilicae Minores quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere consueverunt, Auctoritate Apostolica tenore praesentium erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse, et fore decernimus, dictamque Ecclesiam Basilicam nuncupari, et haberi volumus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sic in praemissis per quoscunque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae Ecclesiae, et quibusvis aliis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum ac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Augusti MDCCCIV. Pontificatus nostri Anno quinto.

R. Card. Braschius de Honestis.

CLVIII.

E tabulario R.mi Capituli Recan.

1806. 18. Martii.

Pius PP. VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. — Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti Filii Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Recineten., se favorabiliter impetrasse a Nobis, ut Ecclesia hujusmodi in Basilicam Minorem erigeretur, quemadmodum eam Nos per Apostolicas Nostras in simili forma Brevis Die XVII. Augusti MDCCCIV. expeditas Litteras in Minorem Basilicam cum omnibus et singulis privilegiis, praeeminentiis, gratiis, et indultis per similes Basilicas Minores haberi, et gaudere solitis, et consuetis ereximus, et alias, prout eisdem in Literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur: Nunc autem se vehementer optare, ut Pavilione, et Tintinnabulo, quas Basilicae Minores so-

lemne habent in Processionibus adhibere, ipsi possint libere uti ea etiam occasione, quando juxta antiquam, ac immemorabilem consuetudinem in Die festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis, vel alio, si talis fuerit impeditus, Sacram Lauretanam Domum processionaliter visitant; Atque ut Pavilio, et Tintinnabulum Cathedralis Basilicae Recineten. tunc praecedentia gaudeat super Pavilione, et Tintinnabulo Cathedralis Basilicae Lauretan., eodem plane modo, quo Recineten. Canonici praedicto die praecedunt Lauretanis Canonicis, qui vi Decreti a Congregatione Sacrorum Rituum post rationes hinc inde in formali judicio deductas editi, et a fel. recor. Clemente PP. VIII Praedecessore Nostro per Apostolicas suas in pari forma Brevis Die XXVII. Junii MDCIII. expeditas Literas confirmati tenentur Canonicis Recineten. Capitulari Processione Lauretum ingredientibus obviam ire Capitulariter usque ad Portam Civitatis, illosque excipere cum honore, et ad dexteram ponere, sicque ad Sacram Domum praememoratam solemniter sociare. Quapropter licet Exponentes suo freti jure nil prorsus quoad recensitam Pavilionis, et Tintinnabuli praecedentiam extimescant, nihilo tamen minus, ut quodcumque quomodolibet suboriturum ejus caussa jurgium tollatur de medio, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, ac absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in die Annunciationis Beatae Mariae Virginis, vel alio die, si eum aliquando impeditum esse contigerit, dum Capitulum Recineten. processionaliter excipitur modo, et forma, ut praemittitur, a Capitulo Lauretan., tunc Pavilio, et Tintinnabulum Cathedralis Basilicae Minoris Recineten. perpetuis futuris temporibus in Processione praedicta, aliisque functionibus Ecclesiasticis possit semper et valeat incedere in manu dextera Pavilionis, et Tintinnabuli Cathedralis Basilicae Minoris Lauretan., Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, statuimus, et declaramus: Ac dilectis filiis Capitulo, et Canonicis Lauretan., ut in singulis functionibus praedictis dexteram manum, quam ipsi, sicut praemittitur, Recinenet. Capitulo cedere solent, similiter cedant, seu cedi facere debeant per eos, a quibus fertur Pavilio, et Tintinnabulum suae Cathedralis Basilicae, illis, qui ferunt Pavilionem et Tintinnabulum Cathedralis Basilicae Recineten., in virtute sanctae obedientiae, ac etiam sub poenis in casu contraventionis Nostro, et Sedis Apostolicae arbitrio ferendis injungimus, manda-

mus, atque praecipimus. Decernentes easdem has Nostras Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et Capitulo Recineten. plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis, quae in memoratis Literis tum Clementis Praedecessoris, tum Nostris concessa sunt, non obstare, coeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die XVIII. Martii MDCCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CLIX.

E tabulario DD. Altaristarum Basilicae Cathedral. Recanat.

1806. 18. Martii.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam. — Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Beneficiati Altaristae nuncupati primae et secundae Erectionis Cathedralis Basilicae Minoris Civitatis Recineten., quod quamquam dictae Ecclesiae Canonici per hanc Sanctam Sedem nonnullis honorificentiis decorati reperiuntur, ipsi tamen Altaristae sine ulla speciali externa decoratione adhuc remanent; ideoque ad majorem Dei gloriam, et Christi Dñi in Cruce patientis, Deiparaeque, ac Sancti Protectoris ejusdem Civitatis memoriam jugiter in suis animis excitandam, Sacrum Numisma Cruci insertum collo appensum gestare posse plurimum desiderant: Nobis propterea similiter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excomunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Modernis, et pro tempore in perpetuum existen. primae, et secundae erectionis Beneficiatis praedictis, ut sacrum Numisma ad instar Altaristarum alterius Minoris Basilicae Lauretanae, non tamen eadem forma, Cruci insertum, et suprapositum serico funiculo nigroflavo cum flocculo simili alligatum, in cujus Numismatis antica insculpta sit Almae Domus Lauretanae effigies cum inscriptione — Non fecit taliter omni nationi —

in postica vero S. Flaviani ipsius Civitatis Protectoris imago cum alia inscriptione — Protector noster aspice — tam in Ecclesia praedicta, quam extra eam ad instar eorumdem Altaristarum Lauretanorum palam gestare, eoque uti libere, et licite possint, et valeant, Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque Beneficiatos Altaristas desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstan. Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictae Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, coeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die XVIII. Martii MDCCCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

R. Card. Braschius de Honestis.



De Monumentorum authenticitate
Episcopi Bellinii testimonium

Attente perlectis ac expensis omnibus singulisque veteribus monumentis, quae Vir Cl. Josephus Vogelius Argentoratensis, Recinetensis olim, Lauretanae nunc Basilicae Canonicus meritissimus, ad roboranda quaelibet in primo Tomo tradita, et ne quid e penu suo deprompsisse ipse videretur, summo labore atque solertia collegit, inque hoc altero Tomo, ordine temporum rerumque serie servatis, perbelle disposuit, compertum cunctis facio enixeque testor, praefata omnia veterum monumentorum apographa Autographis suis ad amussim respondere, et e publicis Dioecesis utriusque atque Provinciae Tabulariis, in quibus asservantur excerpta fuisse; et per eum quidem Virum, quo in rebus ejusmodi dijudicandis neminem hactenus sagaciorem peritioremque me novisse, jure dixerim meritoque.

Dat. Recineti ex Aedib. Ep. III. Nonas Martii MDCCCXVI.

Stephanus Episcopus Lauret. et Recanat.

INDEX

MONUMENTORUM

I. 1151. *menses Junio.* — Donatio camporum quorumdam facta Ecclesiae S. Joannis Evangelistae sitae in Monte Vulpi, qui Racanati vocatur, ab Alberto Angeli . . . . . *Pag.* 5

II. 1162. *m. Junio.* — Donatio facta Ecclesiae S. Joannis de Pertica a Pagano et Ugone filiis Joannis de Alimano . . . . » 6

III. 1174. *m. Febr.*—Carta qua Rainaldus et Tornainparte filii Rainaldi de Montemorello Consulibus Auximanis promittunt per duos menses quotannis Auximi habitare, et militare cum Auximanis adversus quoscumque eorum hostes eo tantum casu excepto, quo Recanatensibus bellum esset adversus Imperatorem. » ib.

IV. 1179. *die* 15. *Junii.* — Venditio facta Domno Ribaldoni Priori Claraevallis a Gislerio filio Racanati terrarum, quas possidebat in fundis Montis Ursi, et Montis Prodi . . . . . » 7

V. 1193. (1194.) 4. *Januarii.* — Carta, qua Jordanus Episcopus Humanatensis Ecclesiam S. Mariae de Laureto cum bonis et juribus parochialibus concessit Eremo S. Crucis Fontis Avellanae » 9

VI. 1202. 3. *Junii.* — Carta, qua Rectores Ecclesiae S. Mariae de Montazano campum quendam in Emphyteusim concedunt . » 11

VII. 1202. 18. *Maji.* — Bulla Innocentii III, qua Fratribus Cruciferis Hospitalis Pontis Potentiae privilegia a decessoribus Pontificibus concessa, et donationes complurium Ecclesiarum, hospitalium, et possessionum eis factas confirmat, et jus sepulturae concedit . . . . . » ib.

VIII. 1226. *m. Martio.* — Diploma Friderici II Imperatoris, quo privilegia a Friderico I et Henrico VI Impp. Fratribus Cruciferis concessa confirmat etc. . . . . *Pag.* 13

IX. 1228. 10. *Martii.* — Carta Sanguini Episcopi Humanatensis, qua Thomae Notario licentiam largitur Monasterium Puellarum S. Nicolai extruendi, idque eximit a jurisdictione episcopali reservato censu . . . . . » 16

X. 1229. *m. Julio.* — Diploma Friderici II Imperatoris pro Recanatensibus, quo eis varia privilegia indulget . . . . » 17

XI. 1237. 17. *Aug.* — Carta Sinibaldi Episcopi Auximani, qua Priori Ecclesiae S. Mariae Castrinovi plurimos Ecclesiae Auximanae agros in Emphyteusim concedit . . . . . » 18

XII. 1238. 14. *April.* — Carta Jacobi Episcopi Humanensis, qua Sororibus Damianitis Ecclesiam S. Mariae sitam in fundo S. Heliae in districtu Castri Racanati, atque immunitatem, et exemptionem a potestate Episcoporum donavit, reservatis tamen censu ac juribus nonnullis . . . . . » 23

XIII. 1240. 4. *Julii.* — Litterae Gregorii IX, quibus scribit se statuisse Sedem Episcopalem Auximi Recanatum transferre, terramque Racanatium perpetuo Episcopatus honore decorare. . » 24

XIV. 1240. 15. *Novembr.* — Litterae ejusdem Pontificis, quibus Episcopo Humanatensi scribit se Castrum Racanatense ab ejus jurisdictione exemisse . . . . . » 25

XV. 1240. 22. *Decembris.* — Erectio Castri Recanatensis in Civitatem, et Ecclesiae S. Flaviani in Cathedralem . . . . . » 26

XVI. 1244. 9. *Decembris.* — Bulla Innocentii IV, qua Recanatensis Episcopus creatur Petrus Gregorii Canonicus Basilicae S. Petri. » 27

XVII. 1247. 15. *Oct.* — Bulla ejusdem Innocentii IV, qua Villa Auximana subjicitur Episcopo Humanatensi in recompensationem Castri Recanatensis, quod Dioecesi Humanatensi olim subjectum fuerat. » 28

XVIII. 1247. 15. *Oct.* — Aliae Literae ejusdem Innocentii IV, quibus Episcopo Anconitano, et Abbati S. Joannis de Pinnoclara committit, ut partem Dioecesis Auximanae Dioecesi Humanatensi uniant, si Villa Auximana ei concessa non esset digna recompensatio pro Castro Recanatensi . . . . . » ib.

XIX. 1249. 22. *Martii.* — Bulla Innocentii IV, qua Ecclesiam S. Flaviani sub protectione S. Petri, et sua suscipit, et Ecclesias enumerat Episcopo Recanatensi subjectas . . . . . » 29

XX. 1249. 29. *Maji.* — Privilegium exemptionis a jurisdictione episcopali concessum a Matthaeo Episcopo Monasterio S. Mariae Magdalenae in fundo Petreti . . . . . » 31

XXI. 1255. 6. *Maji.* — Litterae Alexandri IV quibus Monasterium in loco vicino Fratribus Minoribus de Recanato aedificari vetat. » 53

XXII. 1259. 18. *Jul.* — Bulla ejusdem Alexandri IV, qua Monasterium S. Nicolai de Racanato cum bonis suis sub protectione S. Petri suscipit, et confirmat privilegium exemtionis a Bonajunta Episcopo Sororibus concessum, ac jubet ab iis observari Regulam S. Benedicti, et institutionem Monialium S. Damiani de Assisio, et formulam eisdem traditam . . . . . *Pag.* 34

XXIII. 1264. 15. *Martii.* — Bulla Urbani IV, qua Recanatum Episcopali dignitate privat, ac Episcopo Humanatensi subjicit . . » 38

XXIV. 1264. 24. *Maji.* — Alia ejusdem Urbani IV, qua Ecclesiam S. Flaviani et bona Episcopo Recanatensi olim concessa Ecclesiae Humanatensi uniri jubet. . . . . » 39

XXV. 1264. 2. *Junii.* — Alia ejusdem Urbani IV, qua confirmat collationem Ecclesiae S. Mariae de Monte sitae extra Castrum Recanati factam Venturae Canonico Asculano . . . . . » 40

XXVI. 1269. 15. *Junii.* — Statuta Fraternitatis Mercatorum . . » 41

XXVII. 1273. 19. *Julii.* — Fr. Arnulphus Episcopus Human. confirmat licentiam a se An. 1272. mense Junii concessam Conventum Fratrum Praedicatorum, et Oratorium extruendi in Castro Recanati» 49

XXVIII. 1276. 12. *Maji.* — Fr. Hieronymus de Asculo Minister Generalis Fratrum Minorum jubet restitui Fratribus Praedicatoribus Ecclesiam S. Salvatoris . . . . . » ib.

XXIX. 1285. 12. *Martii*, et 1292. 10. *Maji.* — Inventarium bonorum Ecclesiae S. Flaviani olim Episcopatus Recanatensis . . . . » 51

XXX. 1289. 1. *Decembris.* — Nicolaus IV Civitati Recanatensi dignitatem Episcopalem restituit, jubetque ab ea Ecclesiae Humanatensi persolvi 6000. florenorum ad eam indemnem servandam ob territoria quaedam et bona dictae Ecclesiae, quae Pontifex Dioecesi Recanatensi attribuit . . . . . » 56

XXXI. 1289. 12. *Decembr.* — Idem Pontifex Episcopum Recanatensem creat Fr. Salvium Ordinis Praedicatorum . . . . . » 57

XXXII. 1290. 27. *Sept.* — Acta judicialia in causa Abbatis Vallisfucinae contra Salvum Ep. Recanatensem, qui Ecclesiam S. Joannis in Pertica Clericis contulerat . . . . . » 58

XXXIII. 1290. 14. *April.* — Fr. Salvus Episcopus Racanatensis concedit Fratribus Dominicanis Ecclesiam S. Gregorii cum domibus et parochia, easque unit cum Ecclesia, et Monasterio S. Dominici» 59

XXXIV. 1292. 5. *Maji.* — Testamentum Matthaei Roberti, quo legata continentur Ecclesiis, et Locis Piis Recanatensibus ab eo relicta etc.» 61

XXXV. 1296. 7. *Maji.* — Bulla Bonifacii PP. VIII, qua Durando Episcopo Mimatensi Marchiae Anconitanae Rectori praecipit, ut curet a Recanatensibus persolvi Gerardo Episcopo Humanatensi 4000. flor. sc. residuum summae eidem debitae ex concessione Nicolai IV occasione restitutionis Cathedrae Recanatensis . » 64

XXXVI. 1300. 25. *Sept.* — Fr. Salvus Ep. Racanatensis confitetur solutas sibi fuisse nomine Monasterii S. Benedicti 220. lb. Ravenn. et Ancon. . . . . *Pag.* 66

XXXVII. 1304. 27. *Aug.* — Fr. Raynaldus Minister Fratrum Minorum Provinciae Marchiae Ancon. Scholasticae Abbatissae Monasterii S. Mariae Magdalenae seu S. Heliae, et ejus Sororibus concedit Regulam S. Damiani Ordinis S. Clarae . . . . . » 67

XXXVIII. 1315. 23. *Octob.* — Sententia lata a D. Jacobo de Nursia Judice generali super maleficiis in Marchia Anconitana adversus Jacob et Berardum D. Percivalli aliosque Recanatenses, qui cum multis armatis domos Domini Episcopi proprias, et possessiones, atque Ecclesiam S. Mariae de Laureto expoliaverunt . . . . . » 68

XXXIX. 1318. 25. *Aug.* — Bulla Joannis XXII, qua enarratis horrendis facinoribus, quae Commune Recanati et Commune Auximi in Officiales Ecclesiae, Civesque Recanatenses eis adhaerentes, quorum 500. trucidarunt, commiserant, terminum eis praefigit, intra quem ad Ecclesiae obedientiam redire debeant sub poena excomunicationis et interdicti, ac privationis privilegiorum, feudorum, bonorum etc. . . . . » 77

XL. 1320. 18. *Nov.* — Bulla Joannis XXII, qua enarratis excessibus Recanatensium Castrum Maceratae in Civitatem, et Eccl. S. Juliani in Cathedralem erigit ad eam transferens Episcopum, Canonicos, et bona Ecclesiae Recanatensis, eique subjiciens terram et Dioecesim Recanatensem . . . . . » 83

XLI. 1324. 10. *Jun.* — Bulla Joannis XXII, qua Inquisitoribus haereticae pravitatis in Marchia Ancon. mandat, ut sententias adversus Recanatenses quosdam Fridericum Comitem Urbini, et Lippacium ac Andream Gonzolini de Auximo exequantur, et procedant contra fautores eorum, ac receptatores . . . . . » 89

XLII. 1326. 22. *Julii.* — Fridericus Episcopus Senogalliensis (antea Recanatensis) donat Monasterio S. Benedicti de Montefano (sive Congregationis S. Silvestri) domos, et bona sua patrimonialia, fundatque Monasterium S. Mariae de Platea . . . . » 91

XLIII. 1328. 1. *Decembr.* — Absolutio Communis Recanatensis a D. Francisco Episcopo Florentino Apost. Sedis Nuntio, et a D. Fulcone de Popia Marchiae Ancon. Vicerectore Commissariis Domini PP. ab omnibus poenis spiritualibus, et temporalibus, quas incurrerat ob rebellionem, sub certis tamen pactis et conditionibus a dicto Communi observandis . . . . . » 93

XLIV. *Eadem die.* — Absolutio quorundam Nobilium Virorum, qui non solum ob delictum rebellionis contra S. Sedem, sed etiam ob errores contra sanctam Fidem, qui recensentur, condemnati fue-

rant, ac impositio quarundam poenarum spiritualium iis facta ab iisdem Commissariis . . . . . *Pag.* 101

XLV. 1537. 22. *April.* — Aegidius (Albornozius) Cardinalis Sabinensis Cathedram, et Capitulum Ecclesiae Recanatensis restituit, eamque cum Ecclesia Maceratensi unit: ita tamen ut honorificentiorem locum in titulo Episcopi Ecclesiae Recanatensi attribueret. Capitulum dividit in duo, ac ab utroque Episcopi electionem fieri decernit ea in Civitate, in qua Episcopus obiisset . . » 108

XLVI. 1572. 1. *Maji.* — Bulla Gregorii XI, qua acta in causa circumscriptionis Dioecesis Maceratensis rescindit . . . . . » 115

XLVII. 1575. 17. *Martii.* — Nicola quidam de Recanato petit licentiam a Communi Montis sancti in ejus territorio pontem fundandi, et fabricandi, quem ipse sumtibus suis in honorem Sanctissimae Virginis Lauretanae extruere volebat . . . . . » 117

XLVIII. 1576. 8. *Junii.* — Gregorius XI concedit Parochianis Ecclesiae S. Mariae Castrinovi jus Parochum sibi deligendi . . . . » 118

XLIX. 1589. 9. *Nov.* — Bonifacius IX confirmat Ecclesiae S. Mariae de Laureto eam Indulgentiam, quam Urbanus VI concesserat fidelibus in festo Nativitatis ejusdem Beatissimae Virginis eam visitaturis, eandem scilicet, quam Gregorius XI Ecclesiae S. Quiriaci de Ancona concesserat. . . . . » 119

L. 1595. 12. *Sept.* — Testamentum Andriotti D. Francisci de Montelupono, quo redditus bonorum suorum inter pauperes dictae Terrae in perpetuum quotannis distribui jubet . . . . » 120

LI. 1596. 12. *Jul.* — Bonifacius IX Parochianis S. Mariae Castri novi concedit jus Parochum sibi e Monachis Avellanensibus eligendi. . . . . » 124

LII. 1599. 7. *Nov.* — Capitulum Recanatense eligit in Canonicum D. Antonium Bertutii Recanatensem . . . . . » 126

LIII. 1402. 9. *Maji.* — Testamentum D. Angeli de Mevania Episcopi Recanatensis et Maceratensis . . . . . » 127

LIV. 1412. 20. *Junii.* — Quietatio facta per eundem D. Angelum Cardinalem et Episcopum Recanatensem Sacristae Ecclesiae Cathedralis S. Flaviani . . . . . » 130

LV. 1412. 16. *Jun.* — Codicillus ejusdem D. Episcopi . . . . » ib.

LVI. 1412. 20. *Jun.* — Alius Codicillus ejusdem . . . . . » 132

LVII. 1412. 22. *Jun.* — Inventarium Bullarum et privilegiorum Cardinali Angelo a Gregorio XII olim concessorum . . . . . » 135

LVIII. 1407. 24. *Febr.* — Contractus initus a Fratribus Minoribus cum Sculptore quodam Fanensi, quo describitur Sepulcrum S. Benvenuti ab eo fabricandum in Ecclesia S. Francisci, pacta etc. » 156

LIX. 1412. 22. *Junii.* — Electio Vicarii generalis sede vacante facta a Capitulo Recanatensi . . . . . » 158

LX. 1412. 24. *Junii.* — Capitulum Recanatense eligit in Episcopum D. Montem de Campli Plebanum Montis sancti . . . *Pag.* 139

LXI. 1416. 7. *Martii.* — Electio Canonici Recanatensis in locum defuncti D. Baptistae de Carbonibas facta a D. Angelo Corario Cardinali Commendatario Episcopatus Recanatensis, et a Capitulo. » 141

LXII. 1417. 18. *Octobr.* — Electio Vicarii Capitularis facta post mortem D. Angeli Corarii Episcopi Recanatensis olim Gregorii XII Papae; item electio Oeconomi Mensae Episcopalis . . » 143

LXIII. 1417. 6. *Nov.* — Capitulum Recanatense postulat in Episcopum loco Cardinalis Angeli Corarii defuncti Marinum Episcopum Aprutinum . . . . . » 144

LXIV. 1418. 2. *Maji.* — Canonici Recanatenses et Maceratenses capitulariter uniti postulant in Episcopum eundem D. Marinum Episcopum Aprutinum. . . . . » 145

LXV. 1418. 6. *Julii.* — Bulla Martini V, qua Episcopum Recanat. et Maceratensem creat D. Marinum Episcopum Aprutinum . » 147

LXVI. 1429. 20. *Nov.* — Descriptio picturae, quam in Ecclesia S. Mariae de Laureto faciendam curabat Philippus Mediolani Dux. » 149

LXVII. 1431. 3. *Maji.* — Epistola Joannis Vitelleschi Episcopi Recanatensis ad Priores, et Consilium Civitatis Recanatensis, qua se excusat, quod ad residendum in sua Ecclesia nondum accesserit. » 150

LXVIII. 1432. 22. *Junii.* — Immunitas, et exemptiones, aliaque jura, quae Communitati Montisalti, postquam ab Exercitu Romanae Ecclesiae in potestatem redacta fuisset, concessit Joannes de Vitelleschi . . . . . » ib.

LXIX. 1435. 31. *Octob.* — Breve Eugenii PP. IV, quo nuntiat, se Thomam Episcopum Traguriensem, quem eximiis laudibus ornat, ad Ecclesiam Recanatensem, et Maceratensem transtulisse . » 153

LXX. 1436. 12. *Sept.* — Decretum Conservatorum, et Consiliariorum Almae Urbis, quo honores amplissimi Joanni Vitellesco decernuntur, ac Civitas Romana Cornetanis omnibus datur ob merita Civis ipsorum . . . . . » ib.

LXXI. 1440. 23. *Octob.* — Thomas Episcopus olim Recanatensis nunc Feltrensis et Belluuensis Ecclesiae S. Flaviani, atque Cappellanis, et Altaristis ei servientibus ad usum Sacristiae donat decem Calices ac 23. libras argenti oblatas in Ecclesia S. Mariae de Laureto . . . . . » 157

LXXII. 1441. 7. *Octob.* — Bulla, qua Eugenius IV Ecclesiam S. Mariae de Monte urso ejusque pertinentias Hospitali pauperum loci Laureti annexuit, atque univit . . . . . » 160

LXXIII. 1446. 28. *Januarii.* — Constitutiones quaedam factae ab Episcopo et Canonicis Ecclesiae Recanatensis circa optationem Praebendarum, et numerum ac jura Canonicorum supranumerariorum. » 162

LXXIV. 1446. 20. *April.* — D. Nicolaus de Astis Episcopus, et ser Philippus de Astis ejus nepos fundant Beneficium S. Hieronymi in Ecclesia S. Mariae de Laureto . . . . . *Pag.* 164
LXXV. 1446. 26. *Decemb.* — Constitutiones observandae ab Altaristis Ecclesiae S. Flaviani, factae a D. Nicolao de Astis Episcopo Recanaten. . . . . » ib.
LXXVI. 1447. 23. *Maji.* — D. Nicolaus de Plebanis Praepositus Recanatensis consentiente Episcopo et Capitulo Ecclesiam S. Mariae de Varano, et campum contiguum concedit Fratribus Minoribus S. Francisci de Observantia ad construendum ibi Conventum. » 166
LXXVII. 1447. 29. *Maji.* — Fratres Minores de Observantia adeunt possessionem Ecclesiae S. Mariae de Varano . . . . . » 168
LXXVIII. 1447. 17. *Augusti.* — Testamentum D. Andreae de Adria Presbyteri residentis in Domibus Almae Virginis de Laureto . » 169
LXXIX. 1450. 18. *April.* — Bulla Nicolai V, qua donaria Ecclesiae S. Mariae de Laureto tempore Nicolai Episcopi obtenta a successoribus Episcopis alienari prohibet . . . . . » 174
LXXX. 1452. 25. *Januarii.* — D. Nicolaus Episcopus Recanatensis una cum Johanne Muccioni de Cingulo, et Fraternitatibus S. Mariae, et S. Antonii de Cingulo confert Ecclesiam SS. Pauli et Juliani D. Leopardo Federici Clerico de Auximo . . . . . » 175
LXXXI. 1453. 18. *Martii.* — Constitutio Episcopi, et Capituli Recanatensis de modo recipiendi novos Canonicos . . . . . » 176
LXXXII. 1453. 2. *Junii.* — D. Nicolaus de Astis donat Altaristis Ecclesiae S. Flaviani quasdam domos, e quarum naulis persolvi debent distributiones iis ex ipsorum numero, qui officia canonica in dicta Ecclesia celebraverint . . . . . » 178
LXXXIII. 1454. 7. *Octob.* — Fratres Apostolini auctoritate Nicolai V reintegrantur in possessione Ecclesiae S. Joannis in Pertica, ac domorum, horti etc. contiguorum . . . . . » 180
LXXXIV. 1459. 5. *Decembris.* — Donatio praedii dicti Morlongo, fenariae, et silvae facta a D. Nicolao de Astis Episcopo Recanat. Ecclesiae S. Mariae de Laureto . . . . . » 181
LXXXV. *Eadem die.* — Fundatio Beneficii S. Mariae, S. Joannis Baptistae, et S. Hieronymi in Ecclesia Cathedrali facta ab eodem Nicolao Episcopo . . . . . » 184
LXXXVI. *Eadem die.* — Inventarium Librorum dicti D. Episcopi, quos Conventui Fratrum Minorum de Observantia donavit . . » ib.
LXXXVII. 1460. 14. *Januarii.* — Constitutiones pro Altaristis Ecclesiae S. Viti. » 185
LXXXVIII. 1461. 16. *Julii.* — Electio duorum Canonicorum supranumerariorum . . . . . » 187
LXXXIX. 1461. 15. *Decemb.* — Installatio Canonici supranumerarii in Canonicatu vacante per renuntiationem D. Pini de Astis. . » 188

XC. 1461. 30. *Sept.* — Decretum D. Nicolai Episcopi circa Apothecas Ecclesiasticorum et pensiones in eis solvendas Communitati tempore nundinarum . . . . . *Pag.* 189
XCI. 1463. 20. *Januarii.* — Constitutiones quaedam Capitulares . » 190
XCII. 1463. 6. *Februarii.* — Acta saecularizationis Prioratus S. Mariae de Castronovo . . . . . » 192
XCIII. 1464. 10. *Decemb.* — Institutio Archidiaconatus in Ecclesia Cathedrali Recanatensi; et electio Archidiaconi. . . . » 194
XCIV. 1466. 27. *Augusti.* — Nicolaus Episcopus Dp. Antonium Petri instituit in Beneficio S. Mariae, quod in Ecclesia Lauretana erexerat Jacobus pictor . . . . . » 195
XCV. 1466. 29. *Aug.* — Nicolaus Episcopus Beneficium S. Mariae a se fundatum in Altari Ecclesiae S. Mariae de Laureto confert Pino D. Johannis de Astis, ac eidem Beneficio dotem constituit. » 197
XCVI. 1467. 18. *Nov.* — Transactio ejusdem D. Episcopi cum Communi Recanatensi, qua limites bonorum Mensae Episcopalis describuntur, ac determinantur . . . . . » 199
XCVII. 1469. 5. *Octob.* — Inventarium donariorum oblatorum in Ecclesia S. Mariae de Laureto tempore Episcopatus D. Nicolai de Astis. » 206
XCVIII. 1469. 6. *Octob.* — Particula Testamenti D. Nicolai de Astis spectans ad Fraternitatem S. Luciae. . . . . » 208
XCIX. 1469. 6. *Octob.* — Alia particula ejusdem Testamenti spectans ad Altaristas Ecclesiae Cathedralis . . . . . » 211
C. 1469. 6. *Octob.* — D. Nicolaus Episcopus 2000. ducatorum auri tradit Officialibus Montis Pietatis expendenda in constructione Ecclesiae Lauretanae . . . . . » 212
CI. 1469. 10. *Octob.* — Capitulum Recanatense in Episcopum eligit Nicolaum Benedicti de Trevisanio Venetum Judicem causarum spiritualium in Marchia Anconitana . . . . . » 214
CII. 1470. 17. *Januarii.* — D. Franciscus Maurocenus Episcopus Parentinus Administrator Ecclesiarum Recanatensis, et Maceratensis auctoritate a Summo Pontifice sibi concessa confirmat legata a D. Nicolao de Astis facta Altaristis, et Sacristiae Ecclesiae Cathedralis, et Fraternitatibus . . . . . » 215
CIII. 1470. 12. *Febr.* — Bulla, qua Paulus II Indulgentiam plenariam concedit iis, qui tempore Quadragesimae An. 1470. Ecclesiam Lauretanam visitaturi, ac stipem ad ejus conservationem essent collaturi. . . . . » 217
CIV. 1470. 19. *Febr.* — Litterae patentes Communitatis Recanatensis, qua Indulgentiam praedictam ad populorum notitiam deducit. . . . . » 218
CV. 1471. 22. . . . . — Constitutio super distributionibus quotidianis Altaristarum Ecclesiae Cathedralis Recanatensis . . » 219

CVI. 1471. 5. *Octob.* — Pacta cum M. Marino Marci Veneto Architecto Ecclesiae Lauretanae circa fabricationem murorum dictae Ecclesiae . . . . . *Pag.* 221

CVII. 1476. 26. *Nov.* — Bulla Sixti IV, qua Ecclesiam Lauretanam a jurisdictione Episcopi Recanatensis eximit, eamque Sedi Apostolicae immediate subjectam fore decernit, Ministros et Cappellanos in ea constituit, ac Indulgentiam plenariam pro die festo Nativitatis B. V. Mariae concedit. . . . . » 222

CVIII. 1477. 8. *Febr.* — Bulla Sixti IV, qua Ecclesiam Lauretan. Episcopo Recanaten. restituit. . . . . » 226

CIX. 1477. 11. *Febr.* — Breve Sixti IV, quo Prioribus et Communi Recanatensi nuntiat se Oratorium S. Mariae de Laureto Ecclesiae, et curam ac jus donaria custodiendi ipsi Communi restituisse. . . . . » 230

CX. 1479. 28. *Maji.* — Inventarium vasorum argenteorum Ecclesiae Lauretanae in Turre majore Palatii Communis Recanatensis adservatorum . . . . . » ib.

CXI. 1481. 7. *Octobr.* — Statuta pro Altaristis Ecclesiae Cathedralis, ac divisio Massae ipsorum in sexdecim praebendas . . » 232

CXII. 1507. 21. *Octobr.* — Bulla Julii II, qua Indulgentias Ecclesiae Lauretanae a Decessoribus suis concessas confirmat, eamque denuo ab Ecclesia Recanatensi avellit, ac in proprietatem et protectionem Apostolicae Sedis suscipit . . . . . » 238

CXIII. 1507. 12. *Octobr.* — Decretum Capitulare circa praecedentiam Canonicorum, et electio Canonici in locum defuncti . . » 248

CXIV. 1508. 20. *Novembr.* — Quietatio D. Thesei de Cuppis Episcopi Recanatensis, et Maceratensis de 150. ducatis auri sibi persolutis pro pensione Anni 1508. pro terris et silvis Ecclesiae Recanatensis Almae Domui Lauretanae locatis . . . . . » 249

CXV. 1514. 8. *Decembr.* — Bulla Leonis X, qua in Ecclesia Lauretana Collegium XII. Canonicorum, XII. Mansionarios, et VI. Clericos instituit . . . . . » ib.

CXVI. 1519. 18. *Januarii.* — Constitutiones Capituli Canonicorum, et Collegii Altaristarum Ecclesiae Cathedralis Recanatensis factae sub Aloysio de Tassis Episcopo . . . . . » 253

CXVII. 1519. 13. *Sept.* — Testamentum Jacobi Venerii de Veneriis . » 259

CXVIII. 1527. 25. *Januarii.* — Jo. Dominicus de Cuppis Cardinalis Tranensis Administrator Ecclesiae Recanatensis quartam in ea Dignitatem sive Decanatum instituit. . . . . » 262

CXIX. 1527. 19. *Sept.* — Praepositus, et Altaristae Ecclesiae S. Mariae Castri novi collatis redditibus Massam conficiunt, e qua deinceps distributiones quotidianae persolvendae sint iis ex ipsorum numero, qui Officiis divinis rite interfuerint . . » 264

CXX. 1528. 11. *Maji.* — Constitutiones Capituli Altaristarum Ecclesiae S. Mariae Castrinovi . . . . . *Pag.* 266
CXXI. 1529. 9. *April.* — Inventarium rerum mobilium Ecclesiae, et Sacristiae S. Joannis in Pertica . . . . . » 268
CXXII. 1532. 28. *Sept.* — Decreta Card. Joannis Dominici de Cuppis Episcopi Recanaten. pro Ecclesia S. Mariae Castri novi, et institutio Massae communis pro Altaristis Ecclesiae S. Viti . » 270
CXXIII. 1533. 24. *Junii.* — De vacantiis unius mensis pro quolibet Altarista introducendis in Ecclesia Cathedrali . . . . . » 272
CXXIV. 1530. *circ.* — Supplicatio porrecta Summo Pontifici a Fraternitate S. Petri Martyris, ut conservetur consuetudo liberandi die Veneris sancti unum e carceratis in honorem SS. Crucis, et Passionis D. N. Jesu Christi . . . . . » ib.
CXXV. 1540. 9. *Maji.* — Decretum generalis Consilii Civitatis Recanat., quo ex omnibus Hospitalibus Fraternitatum conflatum et institutum fuit Hospitale unicum, id est Hospitale S. Luciae prope Ecclesiam S. Viti . . . . . » 275
CXXVI. 1548. 15. *Martii.* — Bulla Pauli III, qua fundatio Hospitalis unici ex Hospitalibus Fraternitatum cum certis conditionibus conflati confirmatur . . . . . » 276
CXXVII. 1548. 7. *Augusti.* — Inventarium SS. Reliquiarum, quae asservabantur in Sacrario Ecclesiae Cathedralis . . . . . » 279
CXXVIII. 1548. 20. *Sept.* — Transactio inter Clerum et Communitatem Recanatensem super pensionibus Apothecarum . . . . » 280
CXXIX. 1566. 8. *Dec.* — Epistola pastoralis D. Philippi Riccabellae Episcopi circa administrationem Sacramentorum Baptismi, et Matrimonii. » 285
CXXX. 1568. 22. *Dec.* — Hospitale, quod hactenus a Communitate administrabatur, restituitur Fraternitati S. Luciae. . . . . » 286
CXXXI. 1571. 2. *Junii.* — Electio Vicarii Capitularis, et Oeconomorum facta a Capitulis Canonicorum et Altaristarum S. Flaviani, S. Viti, et S. Mariae Castrinovi juxta decreta, ut ipsi putabant, Concilii Tridentini. . . . . » 287
CXXXII. 1571. 15. *Octobr.* — Bulla S. Pii V, qua Recanatensem et Maceratensem Ecclesiam denuo unit, ac utrique praeficit Hieronymum Melchiorium Episcopum hactenus Maceratensem dumtaxat, eumque Recanatensem et Maceratensem Episcopum intitulari jubet. » 288
CXXXIII. 1576. 1. *Junii.* — Bulla Gregorii XIII, qua Praeposituram S. Mariae Castri novi saecularizzat, eamque Mensae Episcoporum Recanaten. annectit. . . . . , » 290
CXXXIV. 1577. 1. *Julii.* — Bulla Gregorii XIII, qua fundationem Collegii Societatis Jesu a Petro Nicolao de Leopardis factam approbat, Ecclesiam S. Viti, aedesque praepositurales Collegio concedit, translatis alió Parochia, Beneficiis, et Fraternitatibus . » 295

CXXXV. 1577. 20. *Octobr.* — Galeatius Moronus Episcopus Recanaten. Parochiam S. Viti transfert ad Ecclesias S. Mariae Montismorelli, et S. Michaelis in Ponticello. . . . . *Pag.* 295

CXXXVI. 1577. 21. *Octobr.* — Idem Episcopus Altaria Praepositurae et Decanatus transfert ad Ecclesiam Cathedralem, cetera Altaria, ac Altaristas ad Ecclesiam S. Mariae Montismorelli, uti et Fraternitates, excepta Fraternitate SS. Corporis Christi, quam una cum Fonte baptismali transfert ad Ecclesiam S. Michaelis . » 297

CXXXVII. 1578. 11. *April.* — Instrumentum fundationis ac dotationis Collegii Societatis Jesu Recanatensis factum a Domino Petro Nicolao de Leopardis Presbytero Recanatensi, et acceptationis ejusdem a R. P. Everardo Mercuriano Generali Praeposito Societatis Jesu . . . . . » 298

CXXXVIII. 1580. 16. *Julii.* — Bulla Gregorii XIII, qua Ecclesiam, et *Oppidum* Lauretanum a potestate Episcopi Recanatensis exempta esse declarat . . . . . » 304

CXXXIX. 1585. 26. *Januarii.* — Transactio inter D. Episcopum et Clerum Recanatensem cum Communitate ad sopiendas controversias circa immunitatem a tributis, gabellis etc. . . . . » 307

CXL. 1586. 17. *Martii.* — Bulla Sixti V, qua Oppidum Lauretanum in Civitatem, et Ecclesiam in Cathedralem erigit, eique Dioecesim, et Mensam assignat. . . . . » 308

CXLI. 1586. 31. *Maji.* — Epistola pastoralis Francisci Cantucii Episcopi Lauretani ad Clerum et Populum suae Dioeceseos . . » 311

CXLII. 1591. 8. *Feb.* — Bulla Clementis VIII, qua Recanatensi Ecclesiae Cathedra Episcopalis cum pristinis juribus, et honoribus restituitur . . . . . » 213

CXLIII. 1598. 8. *Martii.* — Epistola Cardinalis Praefecti Congregationis SS. Rituum, qua urgetur executio Decreti ejusdem S. Congregationis, quod Magistratus Recanatensis teneatur, cum Episcopus pontificaliter celebrat, ampullas aquae', more consueto adferre . . . . . » 316

CXLIV. 1598. 10. *Decembr.* — Enumeratio jurium Recanatensis Ecclesiae, qua Rutilius Benzonius Episcopus spondet se observaturum. » ib.

CXLV. 1603. 27. *Junii.* — Constitutio Apostolica Clementis VIII, qua observari jubet consuetudinem antiquam in processione, quum Capitulum Recanatense die festo Annuntiationis B. M. V. ad visitandam Ecclesiam Lauretanam accedebat, observari solitam, ac recens a S. Congregatione SS. Rituum pluribus decretis approbatam, quod nempe Capitulum et Canonici Ecclesiae Lauretanae cum toto Capitulo et Canonicis Recanatensibus usque ad portam maris obviam ire, ac deinceps comitari dexteram eis dando, teneatur. . . . . » 318

CXLVI. 1620. 14. *Julii.* — Bulla Pauli V, qua acta juridica, et sententiae Tribunalis S. Rotae in favorem Episcopi Lauretani latae annullantur, ac sublatis etiam concordatis jussu Sixti V inter Cardinalem et Episcopum factis, Sacrum Cubiculum, ejusque Ministri, et coloni etc. jurisdictione Episcopi Lauretani omnino eximuntur. . . . . *Pag.* 319

CXLVII. 1621. 20. *Decembr.* — Concordata Fraternitatum S. Jacobi, Mercatorum, S. Luciae, et S. Mariae Castrinovi cum Capitulo Recanatensi super Beneficiis sui jurispatronatus nonnisi Dignitati aut Canonico dicti Capituli conferendis . . . . . » 337

CXLVIII. 1623. . . . . — Decretum Synodale de Cathedrali Ecclesia, Dignitatibus, et Canonicis . . . . . » 342

CXLIX. 1626. 12. *Junii.* — Decretum Cardinalis Julii Roma Episcopi, quo Aedes Dominae Barbarae Massillae in Monasterium Mariae Assumptae erigit, ac puellis orphanis et Monialibus loci orphanarum assignat. . . . . » 343

CL. 1631. 13. *April.* — Bulla Urbani VIII, qua Concordata super Beneficiis Fraternitatum nonnisi alicui membro Capituli Recanatensis conferendis approbat, et confirmat . . . . . » 344

CLI. 1657. 22. *Junii.* — Acta translationis Corporis B. Placidi in Altare novum sumptibus Communitatis Recanatensis extructum. » 349

CLII. 1725. 22. *Januarii.* — Bulla Benedicti XIII, qua Canonicis Ecclesiae Cathedralis Recanatensis usum Cappae magnae, ac Altaristis usum Caputii sive Cappae indulget . . . . . » 351

CLIII. 1783. 9. *Sept.* — Sententia Pii VI, qua finis imponitur litibus circa jurisdictionem Episcopi Lauretani respectu Almae Domus, ejusque Ministrorum . . . . . » 354

CLIV. 1801. 10. *Julii.* — Bulla S. D. N. Pii VII, qua Canonicis Ecclesiae Cathedralis Recanatensis usum Canonis, et Lychneoli, et gestationem Crucis pectoralis super vestibus choralibus, ac Dignitabus vestem coloris violacei concedit . . . . . » 355

CLV. 1803. 10. *Januarii.* — Erectio Conservatorii Orphanarum, et Scholae piae in Civitate Lauretana sub invocatione S. Mariae Virginis Annuntiatae, et SS. Cajetani, et Hieronymi Æmiliani . » 359

CLVI. 1803. 1. *Julii.* — Bulla S. D. N. Pii VII, qua Canonicis, Mansionariis, et Clericis Ecclesiae Lauretanae vestes violaceas, aliaque insignia, dum sacra obeunt, gestanda concedit. . . . » 362

CLVII. 1804. 17. *Augusti.* — Breve ejusdem S. D. N. Pii VII, qua Ecclesiae Cathedralis Recanatensis titulum et honores Basilicae minoris indulget. . . . . » 365

CLVIII. 1806. 18. *Martii.* — Breve ejusdem S. D. N. Pii VII, qua usum Pavilionis, et Tintinnabuli Ecclesiae Recanatensi utpote Basilicae minori competen. declarat locum habere etiam in Processione

ad visitandam Almam Domum Lauretanam quotannis fieri solita, cum jure praecedentiae, quo gaudet Capitulum Recanatense. . . . . *Pag.* 364

CLIX. 1806. 18. *Martii.* — Breve ejusdem S. D. N. Pii VII, quo Altaristis Basilicae Cathedralis Recanatensis facultas conceditur Numisma sacrum ad instar Altaristarum Basilicae Lauretanae deferendi . . . . . » 366

De Monumentorum authenticitate Episcopi Bellinii testimonium. » 368

Recineti die 30 *Januarii* 1859

IMPRIMATUR

A. Can. Anselmini Rev. S. Off.

Recineti 15 *Februarii* 1859

IMPRIMATUR

M. Can. Seri-Molini Vic. Gen.

Recanati 20 *Marzo* 1859

VISTO PER LA STAMPA E PUBBLICAZIONE

R. Avv. Cervigni Gov. Distret.

Ital 4415.1
De ecclesiis Recanatensi et Laureta
Widener Library 007119178
3 2044 082 264 839